PROSODIA REFORMATA, ET EX DUOBUS TOMIS IN VNUM AB...

Giovanni Battista Riccioli



PROSODIA REFORMATA,


Et ex duobus Tomis in vnum ab ipso Auctore redacta,

Nec sola Rudimenta Prosodiæ pro Tironibus, sed Prosodiam Maiorem absolutè tamen prouectis necessariam continens;

Vnà cum selectis Poetarum Versibus, ad confirmandam Syllabarum quantitatem; & Triplici vt ante[illegible] dice Vocabulorum

AVCTORE

P. IO. BAPTISTA RICCIOLIO SOCIETATIS IESV Ferrariensi.



MEDIOLANI

Typis Ludouici Montiæ. MDCLXXV.

Superiorum permissu, & Priuilegio.

REIMPRIMATVR.

Commiss. S. Officij Mediolani.

Carolus Ghioldus Canon. Theol. S. Nazarij pro Eminentiss., & Reuerendiss. D. D. Cardinali Litta Archiepiscopo.

Franciscus Arbona pro Excellentiss. Senatu.



AD LECTOREM.

PROSODIAM dudum à me Reformatam, duobusq; tomis comprehensam, vt minoris impensæ illicio pluribus venditarent non pauci Typographi, sic vnicum in tomum contraxerunt, vt eam mutilarint, & solis Prosodiæ Rudimentis, inferioribus scholarum nostrarum Classibus à me accommodatis, Indiceque Vocabulorum contenti, reliqua omnia omiserint. Inconsultè sanè, (ne iniustè ob inconsultum Auctorem adhuc viuentem dixerim;) quandoquidem Magistros superiorum Classium, & Prouectiores quosque Præceptis illis, & Regularum Appendicibus frustrarunt, quæ ad absolutam Prosodiæ cognitionem vsumque non modo vtilia, sed omnino necessaria sunt, & quorum defectu agnoui doluique non semel plures, qui se hoc puluere satis perfusos putant, in turpes enormesque errores impingere, aut hæsitare miserrimè: siue in pangendis carminibus proprijs, siue alienorum in scansione versuum, siue denique in pronunciandis vocabulis. Ego verò vt omnibus prodessem, nihil in hoc genere intactum relinquendum duxeram. Neque verò quia nescio qui Græcæ linguæ elementa ne à li-

mine quidem salutarunt, debui negligere præceptiones illas, quas sibi tanquam proprias vindicant Græcolatina Vocabula; quibus nimirum passim referta sunt Poetarum Latinorum carmina.

His diu multumq; consideratis, censui sic Prosodiam in vnicum volumen contrahendam, vt ex vna parte Typographorum, ac Bibliopolarum lucro, emptorumque parcimoniæ fiat satis; & ex altera opus hoc omnibus numeris absolutum prodeat, suaque debita constet integritate. In hunc finem, ex viginti quatuor Chiliadibus carminum, quibus aliàs quantitatem syllabarum comprobaueram, tres tantummodo Chiliadas selegi pro vocabulis Quantitatis, Latinitatis, aut Scansionis magis reconditæ. Ipsam verò quantitatem syllabarum in Indice Vocabulorum Generali, duplici notarum genere, ad maiorem securitatem indicandam duxi. Primò enim Pedum species, vna vel altera Characteristica nota indicatur, prout expressius ante Indicem explicabo: deinde singularum syllabarum quantitas, antiquo meo modo clarior indicatur per literam b, quæ *breuem*; per l, quæ *longam*; vel per c, quæ *communem* syllabam ordinatim collocatas denotant; sed minus spatium occupant. Atque hac tandem compendio, totam Prosodiam in vnicum volumen redactam exhibemus.

Viue, vale, caue ne titubes, mandataque frangas.

CA-

CATALOGVS AVCTORVM

QVI DE PROSODIA *Metrisue scripserunt.*

Aelius Autonius Nebrissensis *Prosod.*
Bartholomæus Brau Soc. Iesu *Prosod.*
Benedictus Pererius *de primis, ac medijs syllabis.*
Cornelij Valerij *Prosodia.*
Demetrius Tridinius *de Metris Sophoclis.*
Diomedes *de Arte Metrica, & de Metris, præsertim Horatianis.*
Emmanuel Aluarus Soc. Iesu, *l. 3. de Institutione Grammatica.*
Emmanuel Moscopulus *de Prosodia Græcorum.*
Eobani Hessi *Elementa Prosodiæ.*
Erasmus Sidelmanus *in Epitome de Poesi, & Prosodia Græcorum.*
Franciscus Iunius *l. 4. Grammaticæ Hebrææ, vbi de Prosodia Hebræorum.*
Franciscus Vergara *l. 4. Grammaticæ Græcæ.*
Hannardi Ganerij *Via Regia ad Musas.*
Henrici Glareani *Isagoge de Ratione syllabarum, & Figuris Poeticis.*
Henrici Smetij *Prosodia.*
Hephæstion Alexandrinus *de Metris Poematum cum Scholijs.*
Huberti Susannei *Collectanea in Despauterium.*
Iacobi Micylli *Elementa Prosodiæ.*
Iacobus Gretserus Societ. Iesu *lib. 3. Institutionum linguæ Græcæ.*

Io. Despauterij *Versificatoriæ Artis libri 5.*

Io. Claij *Prosodia Latina, & de Metris Graec. Latin. & Hebraic.*

Io. Francisci Quintiani Stoæ *de Syllabarum quantitate Epographiæ sex.*

Io. Cassarus *de Poesi Græcolatina.*

Io. Maturantij *Prosodia.*

Io. Murmellij *Elementa Prosodiæ.*

Io. Pellissonij *Prosodia.*

Io. Varennius *de Prosodia Græcorum.*

Io. Pellisson *de Accentibus.*

Io. à Planis Siculi *Lima, seu Dictionarium Poeticum.*

Kirchneri *Prosodia.*

Ludouici Caualli Minoritæ *Scala Parnaßi, & deinde Ianua Musarum.*

Nicolai Caussini Soc. Iesu *Thesaurus Græcæ Poeseos.*

Nicolaus Ferrettus *Prosodia.*

Nicolai Nancelij *αυτοσχίδια in Despauterij Versificatoriam.*

Nicolai Selnecceri *Prosodia Græcolatina.*

Panthaleonis Bertholonæi *Prosodiæ Epitoma.*

Petri Colminni *Prosodia Græca.*

Philippus Labbe Soc. *in Elencho Prosodico, & Appendice ad Indices Catholicos.*

Ricardi Eßij Soc. Iesu *Rudimenta Prosodiæ.*

Rodericus Gunlalerus *de Syllabarum, & Carminum ratione.*

Simon Verrepæus *lib. 4. Grammaticæ Despanterianæ.*

Thomæ Choreæ *Prosodia.*



AR-

ARGVMENTVM PARTIVM X. PROSODIÆ REFORMATÆ

Cum Indice Regularum.

PARS IV.

Regulæ Speciales vltimæ Syllabæ.

PARS V.

Regulæ Speciales Mediæ Syllabæ.

De

PARS VI.

De Figuris Poeticis ad quantitaté Syllabarum, aut structuram Pedum spectantibus.

PARS VII.

De Pedibus, & Versibus.

PARS VIII.

De Accentu in pronunciando, & in scribendo.

EPIGRAMMA,

Quo, ad subsidium memoriæ, indicantur Generaliores Regulæ quantitatis Syllabarum.

VTimur *Exemplo*, cùm Regula deficit omnis;
  Est tamen electi carmine vatis opus.
Si exemplo careas, exempla simillima quære,
  Sed cautè *Analogi* sit tibi norma soni.
Vocalis breuis est, *vocali* ponè sequente,
  Diphthongus longa est; longaque *Crasis* erit.
Consona si duplex *Posita* est, fit sillaba longa,
  Sed *Muta*, ac *Liquida* vi breuis esse potest.
Epsilon, atque *Omicron* breue fit; longum *Omega*, & *Hita*
  Seruat, & hanc legem Græcolatina fides.
Deriuata Etymon plerumque oriundo sequuntur:
  Quæ fonti, hæc riuis vena saporis inest.
Prima in *Præteritis*, si sint dissyllaba, longa est:
  Si *Geminent* primam, mox erit illa breuis.
Prima *Supinorum*, quæ sunt dissyllaba, longa est.
  Congruus *Accentus*, Metrica sæpe nota est.
A, produc E, De, Di, Se; Pro præpositiones:
  Pro tamen in multis corripit ante gradum.
Simplicium mores imitari syllaba prima
  Parte in *Compositi* posteriore solet.
Vltima, *Compositi* residens in parte priori
  Fermè semper erit corripienda tibi.
Vltima in AS, ES, OS, si desinat aut in A, C, I, N, V,
  Longa fit, at si aliter desinat, esto breuis.
O tam in fine est commune, vt & vltima versus:
  Aut ope *Cæsuræ*, fit licet ante breuis.
Concursus breuium, quasdam producere cogit;
  Aut si inter longas syllaba clausa breuis.
Hæ tibi sint cordi (ni est certa exceptio) leges:
  Namque Prosodiaci iuris Apollo tenax.
Rara quoque, & raro est audenda Licentia vati,
  Nemine, Tironi vix, præeunte licet.
Nam neque sidereum nigra pluma, etsi vnica, olorem,
  Aethereamue Lyram dissona chorda decet.

PARS

PARS PRIMA RVDIMENTA PROSODIAE PRO INFERIORIS CLASSIS TIRONIBVS.



ROSODIA est Ratio dimetiendi Syllabarum Quantitatem.

Syllabarum enim, alia breuis est, seu vnius temporis, quæ propterea *corripi* dicitur; alia longa, seu duorum temporum, quæ *produci* dicitur; alia anceps, seu communis.

Quantitas syllabarum discernitur, primùm per Regulas Generales cuiusuis syllabæ; deinde per speciales, ac proprias primæ, vltimæ, & mediæ syllabæ. Quem ordinem infra seruabimus.

Caput I. Regulæ Generales.

Regula I. De Exemplo.

EXEMPLVM est probati Poetæ authoritas, qua syllabæ quantitas, aliunde ignota, cognoscitur.

Sic primam breuem in *Pater*; longam in *Frater* esse didicimus, quia Virgilius, Ouidius, cœteriq; Classici Poetæ illam quidem corripuerunt; hanc verò produxerunt.

Regula II. De Positione.

POSITIO, Syllabam præcedentem, aliunde non longam, longam reddit.

Est autem Positio plurium consonantium, vel vnius duarum vim habentis collocatio in eadem dictione, vel si vna consonans sit in fine præcedentis dictionis; altera in principio sequentis. In eadem, vt est prima syllaba in *Pastor*, *terra*, *somnus*; in diuersa, vt est vltima syllaba in *pastor*, si sequatur *terra*.

Duplicis consonantis vim habent X, Z, & I consonans inter duas simplicis dictionis vocales, vt in *Araxes*, *Gaza*, *Maior*.

Positionem quoque faciunt post consonantem præcedentem I, & V prolatæ per modum consonantis; tum in eadem dictione, vt in *adiacet arua*; in quibus prima positione longa est; tum in diuersa, vt si dicas, *Ab Ioue*, *flat ventus*; Syllabæ enim *Ab*, & *flat*, longæ sunt positione.

Exceptio.

Muta præcedens liquidam ad subsequentem syllabam pertinens præcedentem syllabam communem in versu, breuem in prosa reddit, si aliunde non sit longa. Liquidæ autem sunt apud Latinos L, & R, & rarissimè M, & N. Sic communis est prima in *Atlas*, *Patris*, *Tecmessa*, *Progne*, & penultima in *centuplum*, *exprobrat*, *Therapnæ*, quamuis in prosa pronunciandа sit vt breuis.

Non valet hæc Exceptio in *abluo*, *obruo*, & similibus, quia B, spectat ad præcedentem syllabam *ab*, *ob*; liquida verò L, & R, ad sequentem, nec in *arte*, *altus*; quia liquidæ præcedunt mutas; nec in *matre periculum*; quia syllaba præcedens natura sua longa est, nempe prima in *mater*; secunda in *periculum*.

Regula III. De Vocali ante Vocalem in Latinis Dictionibus.

VOCALIS ante Vocalem in dictionibus merè Latinis, Breuis est, vt in *Deus*, *Puer*, *fuit*.

Dummodo, vtraque sit in eadem dictione, & non

cocant

coëant in vnam syllabam. Alioquin si vna fit in fine præcedentis, altera in principio sequentis dictionis, fit synalœphe, idest prior vocalis absorbetur, seu transit in sonum, & quantitatem sequentis; vt in sequenti versu.

Vidi ego, quæ fuerat quondam fortissima quercus.

Ita scansione dimetiendus est versus, vt ex *Vidi ego* fiat dactylus, pes trium syllabarum, perinde ac si scriptum esset *Vid-ego*. Quod si duæ eiusdem dictionis vocales in vnicam syllabam conflentur, fit aut Diphthongus, vt in *cœlum*; aut Crasis, vt in *clusus*, pro *clausus*; aut Synæresis, vt in *deinde, tenuis*, si vsurpentur vt dissyllaba.

Exceptiones Quatuor.

I. Producitur A in *aer*, & trisyllabo, *Caius, Maius*, aut disyllabo *Cai*, & in genitiuis priscis, *aquai, Lunai*, pro *aquæ, Lunæ*.

II. Producitur E, tum in genitiuis, ac datiuis Quintæ declinationis *EI*, vt in *diei, speciei*, demptis *fidei, rei, spei* (quæ sic variantur, vt in *fidei* plerumque corripiatur:) tum in vocatiuis *Pompei, Proculei, Vultei*; tum in possessiuis, vt *Priameius, Semeleius, a, um*; tum in *eheu*.

III. Producitur I, in *Dius, diardium*, & in *fio*, reliquisque ab eo deriuatis, vt in *fiebat, defioculus*; nisi sequatur R, vt in *fieri*. Variatur autem I, tum in *Diana*, tum in genitiuis *illius, ipsius, istius, nullius, solius, totius, vllius, vnius, vtrius, neutrius*. Quorum tamen penultima in prosa acuitur; Sed in *alius* vtrobique producitur ad differentiam recti casus; & in *alterius* variatur in versu; corripitur in prosa.

IV. Variatur O in *ohe*, & in *O*, si sequatur dictio à vocali inita; vt in *O Alexi, O ego*, non solet enim per synalœphem absorberi, sed per Dialœphem disiungi; quod fit etiam, sed rarò in alijs vocabulis vocali quacunque terminatis, sequente dictione à vocali inita, & retenta natiua quantitate, vt in 2. & 3. Ecloga Virgilij.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho,
Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacinthus.

Vbi *O Ara* est dactylus: & *ri et* Spondeus. Aliquando autem facta Dialœphe, syllaba de se longa, vi vocalis ante vocalem euadit breuis, vt in *Qui* Ecloga 8. & in *te* 6. Æneidos.

Credimus: an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?
Nomen & arma locum seruant, te amice nequiui?

Re-

Regula IV. De Diphthongo.

DIPHTHONGVS Longa est tam in Græcis, quàm in Latinis vocabulis.

Est autem Diphthōgus duarum diuersæ speciei vocalium, in vnicam misti soni syllabam conspiratio. Latinorum Diphthongi ordinariæ sunt quatuor; videlicet AE, OE, AV, EV, vt in *Æneas*, *cæna*, *aut*, *heus*; extraordinariæ sunt aliæ quinque, nempe EI, OI, VI, OV, & YI, & in *hei*, & *hoi* interiectionibus, & in *hui*, *huic*; prout, *Harpyia*.

Græcorum diphthongi propriæ sunt sex; scilicet αι, ει, οι, αυ, ευ, ου, vt in his nominibus σφαῖρα, sphæra; σειρὴν, siren; κοινοτάφιον, cœnotaphium; ἀγαύη, Agaue; παρασκευὴ, Parasceue; μοῦσα, Musa. De sex improprijs dicetur in Prosodia maiore.

Exceptiones Duæ.

I. Communis est prima in *Mæotis*, & in *praacutus*, *praire*, *praustus*, *praordino*, &c.

II. Variatur tum prima in *Cheirurgus*, *chiragra*, *Leandrus*, tum penultima in huiusmodi adiectiuis, *Cyclopeus*, *Dædaleus*, *Hectoreus*. Quamuis enim communi dialecto scribantur per ει, vt in χείραγρα, λείανδρος, κυκλώπειος; Ionica tamen Dialecto sine diphthongo vsurpari possunt scribique per simplex ι, vt χίραγρα, κυκλώπιος, idemq; fieri potest in penultima horum *Chorea*, *Malea*, *Platea*. Ideoque in his penultima variatur.

Admonitio.

Memento nomina hæc *Orpheus*, *Perseus*, *Theseus*, quæ in fine habent diphthongum ευ, nempe ὀρφεύς, περσεύς, θησεύς, &c. pronuncianda esse vt dissyllaba, & vltima in sede producenda, & sic de similibus.

Regula V. De Vocalibus Græcis.

In Græcolatinis dictionibus vocales substitutæ pro vocalibus apud Græcos breuibus breues, pro longis longæ, pro ancipitibus ancipites sunt.

Breues autem sunt semper ε, & ο. Longæ semper η, ω, ancipites α, ι, υ. Breuis itaque est prima in *Hele-*

na, *Chorea*, & penultima in *Helena*, & in *Synodus*, quia Græcè ſcribitur ἑλένη, χορεία, σύνοδος. Longa verò prima in *Pegaſus*, *Zona*; & penultima in *axioma*, *problema*, quia Græcè eſt πήγασος, ζώνη, ἀξίωμα, πρόβλημα.

Regula VI. De Vocali ante Vocalem in Græcolatinis Dictionibus.

VOCALIS ante vocalem in dictionibus Græcolatinis poſita loco breuium ε, & ο, aut ancipitum α, ι, υ, ſolet eſſe breuis; loco autem longarum η, & ω, vel diphthongorum ει, ου longa eſt.

Sic penultima breuis eſt in *Timotheus*, *Pirithous*, *Thebais*, *Lyſias*, *Eubyas*. Græcè enim τιμόθεος, πειρίθοος. Longa verò eſt penultima in *Briſeis*, *Achelous*, *Alexandria*, *Harpuia*; Græcè enim βρισηίς, Ἀχελῷος, Ἀλεξάνδρεια, ἁρπυεῖα, vel ἅρπυια.

Exceptio.

I. Producitur A in *Achaicus*, *Achaia*, *Amphiraus*, *Aonius*, *Aerope*, *Lais*, *Nais*, *Panchaia*, *Thais*, *Taygeta*, & *Taygetus*; item in *Athenais*, *Homolais*, *Lais*, *Ptolemais*: denique in nominibus à λαὸς deductis, vel in *Aon*, genitiuo *Aonis* declinatis, vt in *Laomedon*, *Laertes*, *Menelaus*, *Charilaus*, *Machaon*, *Lycaon*, dempto tamen *Phaon*, adiectiua autem in *aicus* variant.

II. Producitur I, in maſculinis in *Ion*, quorum incrementum in *onis* breue eſt, vt *Amphion*, *Arion*, *Pandion*, *Ixion*; Et in *Chius*, *a*, *um*, *Oedipodionius*: variat in *Academia*.

III. Producitur Y, in *Cyane*, *Cyaneus*, *Thyas*, *Enyo*.

Admonitio duplex.

I. Adiectiua à maſculinis nominibus formata, in *Eus*, *ea*, *eum*, licet Latinè ſcribenda ſint ſine diphthongo, produci tamen poſſunt quia Græcè communiter ſcribuntur per ει, & corripi quia Ionicè per ε, vt *Dædaleus*. Hinc etiam communis eſt E in *Chorea*, *Malea*, *Platea*, 2. Nomina in *Eia*, vel *Eius*, ſiue adiectiua, ſiue ſubſtantiua, quando reſoluitur diphthongus ει, habent e longum, vt *Elegeia*, *Eleleius*, *Pleias*.

Re-

Io. Despauterij *Versificatoriæ Artis libri 5.*

Io. Claij *Prosodia Latina, & de Metris Græc. Latin. & Hebraic.*

Io. Francisci Quintiani Stoæ *de Syllabarum quantitate Epographiæ sex.*

Io. Cassarus *de Poesi Græcolatina.*

Io. Maturantij *Prosodia.*

Io. Murmellij *Elementa Prosodia.*

Io. Pellissonij *Prosodia.*

Io. Varennius *de Prosodia Græcorum.*

Io. Pellisson *de Accentibus.*

Io. à Planis Siculi *Lima, seu Dictionarium Poeticum.*

Kirchneri *Prosodia.*

Ludouici Caualli Minoritæ *Scala Parnaßi, & deinde Ianua Musarum.*

Nicolai Caufini Soc. Iesu *Thesaurus Græcæ Poeseos.*

Nicolaus Ferrettus *Prosodia.*

Nicolai Nancelij *αυτοσχίδια in Despauterij Versificatoriam.*

Nicolai Selnecceri *Prosodia Græcolatina.*

Panthaleonis Bertholonæi *Prosodiæ Epitoma.*

Petri Colminni *Prosodia Græca.*

Philippus Labbe Soc. *in Elencho Prosodico, & Appendice ad Indices Catholicos.*

Ricardi Esij Soc. Iesu *Rudimenta Prosodiæ.*

Rodericus Gunlalerus *de Syllabarum, & Carminum ratione.*

Simon Verrepæus *lib. 4. Grammaticæ Despanterianæ.*

Thomæ Choreæ *Prosodia.*



AR-

ARGVMENTVM PARTIVM X. PROSODIÆ REFORMATÆ

Cum Indice Regularum.

PARS IV.

Regulæ Speciales vltimæ Syllabæ.

PARS V.

Regulæ Speciales Mediæ Syllabæ.

De

PARS VI.

De Figuris Poeticis ad quantitatẽ Syllabarum, aut structuram Pedum spectantibus.

PARS VII.

De Pedibus, & Versibus.

PARS VIII.

De Accentu in pronunciando, & in scribendo.

PARS IX.

PARS X.

EPIGRAMMA,

Quo, ad subsidium memoriæ, indicantur Generaliores Regulæ quantitatis Syllabarum.

VTimur *Exemplo*, cùm Regula deficit omnis;
  Est tamen electi carmine vatis opus.
Si exemplo careas, exempla simillima quære,
  Sed cautè *Analogi* sit tibi norma soni.
Vocalis breuis est, *vocali* ponè sequente,
  Diphthongus longa est; longaque *Crasis* erit.
Consona si duplex *Posita* est, fit sillaba longa,
  Sed *Muta*, ac *Liquida* vi breuis esse potest.
Epsilon, atque *Omicron* breue fit; longum *Omega*, & *Hita*
  Seruat, & hanc legem Græcolatina fides.
Deriuata Etymon plerumque oriundo sequuntur:
  Quæ fonti, hæc riuis vena saporis inest.
Prima in *Præteritis*, si sint dissyllaba, longa est:
  Si *Geminent* primam, mox erit illa breuis.
Prima *Supinorum*, quæ sunt dissyllaba, longa est.
  Congruus *Accentus*, Metrica sæpe nota est.
A, produc E, De, Di, Se; Pro præpositiones:
  Pro tamen in multis corripit ante gradum.
Simplicium mores imitari syllaba prima;
  Parte in *Compositi* posteriore solet.
Vltima, *Compositi* residens in parte priori
  Fermè semper erit corripienda tibi.
Vltima in AS, ES, OS, si definat aut in A, C, I, N, V,
  Longa fit, at si aliter desinat, esto breuis.
O tam in fine est commune, vt & vltima versus:
  Aut ope *Cæsuræ*, sit licet ante breuis.
Concursus breuium, quasdam producere cogit;
  Aut si inter longas syllaba clausa breuis.
Hæ tibi sint cordi (ni est certa exceptio) leges:
  Namque Prosodiaci iuris Apollo tenax.
Rara quoque, & raro est audenda Licentia vati,
  Nemine, Tironi vix, præeunte licet.
Nam neque sidereum nigra pluma, etsi vnica, olorem,
  Aethereamue Lyram dissona chorda decet.

PARS

PARS PRIMA RVDIMENTA PROSODIAE PRO INFERIORIS CLASSIS TIRONIBVS.


ROSODIA est Ratio dimetiendi Syllabarum Quantitatem.

Syllabarum enim, alia breuis est, seu vnius temporis, quæ propterea *corripi* dicitur; alia longa, seu duorum temporum, quæ *produci* dicitur; alia anceps, seu communis.

Quantitas syllabarum discernitur, primùm per Regulas Generales cuiusuis syllabæ; deinde per speciales, ac proprias primæ, vltimæ, & mediæ syllabæ. Quem ordinem infra seruabimus.

Caput I. Regulæ Generales.

Regula I. De Exemplo.

EXEMPLVM est probati Poetæ authoritas, qua syllabæ quantitas, aliunde ignota, cognoscitur.

Sic primam breuem in *Pater*; longam in *Frater* esse didicimus, quia Virgilius, Ouidius, cœteriq; Classici Poetæ illam quidem corripuerunt; hanc verò produxerunt.

Regula II. De Positione.

POSITIO, Syllabam præcedentem, aliunde non longam, longam reddit.

Est

Est autem Positio plurium consonantium, vel vnius duarum vim habentis collocatio in eadem dictione, vel si vna consonans sit in fine præcedentis dictionis; altera in principio sequentis. In eadem, vt est prima syllaba in *Pastor*, *terra*, *somnus*; in diuersà, vt est vltima syllaba in *pastor*; si sequatur *terra*.

Duplicis consonantis vim habent X, Z, & I consonans inter duas simplicis dictionis vocales, vt in *Araxes*, *Gaza*, *Maior*.

Positionem quoque faciunt post consonantem præcedentem I, & V prolatæ per modum consonantis; tum in eadem dictione, vt in *adiacet arua*; in quibus prima positione longa est; tum in diuersa, vt si dicas, *Ab Ioue*, *flat ventus*; Syllabæ enim *Ab*, & *flat*, longæ sunt positione.

Exceptio.

Muta præcedens liquidam ad subsequentem syllabam pertinens præcedentem syllabam communem in versu, breuem in prosa reddit, si aliunde non sit longa. Liquidæ autem sunt apud Latinos L, & R, & rarissimè M, & N. Sic communis est prima in *Atlas*, *Patris*, *Tecmessa*, *Progne*, & penultima in *centuplum*, *exprobrat*, *Therapnæ*, quamuis in prosa pronuncianda sit vt breuis.

Non valet hæc Exceptio in *abluo*, *obruo*, & similibus, quia B, spectat ad præcedentem syllabam *ab*, *ob*; liquida verò L, & R, ad sequentem, nec in *arte*, *altus*; quia liquidæ præcedunt mutas; nec in *matre periculum*; quia syllaba præcedens natura sua longa est, nempe prima in *mater*; secunda in *periculum*.

Regula III. De Vocali ante Vocalem in Latinis Dictionibus.

VOCALIS ante Vocalem in dictionibus merè Latinis, Breuis est, vt in *Deus*, *Puer*, *fuit*.

Dummodo, vtraque sit in eadem dictione, & non

cocant

coeant in vnam syllabam. Alioquin si vna sit in fine præcedentis, altera in principio sequentis dictionis, fit synalœphe, idest prior vocalis absorbetur, seu transit in sonum, & quantitatem sequentis; vt in sequenti versu.

Vidi ego, quæ fuerat quondam fortissima quercus.

Ita scansione dimetiendus est versus, vt ex *Vidi ego* fiat dactylus, pes trium syllabarum, perinde ac si scriptum esset *Vid-ego*. Quod si duæ eiusdem dictionis vocales in vnicam syllabam conflentur, fit aut Diphthongus, vt in *cælum*; aut Crasis, vt in *clusus*, pro *clausus*; aut Synæresis, vt in *deinde*, *tenuis*, si vsurpentur vt dissyllaba.

Exceptiones Quatuor.

I. Producitur A in *aer*, & trisyllabo, *Caius*, *Maius*, aut disyllabo *Cai*, & in genitiuis priscis, *aquai*, *Lunai*, pro *aqua*, *Luna*.

II. Producitur E, tum in genitiuis, ac datiuis Quintæ declinationis *EI*, vt in *diei*, *speciei*, demptis *fidei*, *rei*, *spei*, (quæ sic variantur, vt in *fidei* plerumque corripiatur:) tum in vocatiuis *Pompei*, *Proculei*, *Vultei*; tum in possessiuis, vt *Priameius*, *Semeleius*, *a*, *um*; tum in *eheu*.

III. Producitur I, in *Dius*, *dia*, *dium*, & in *fio*, reliquisque ab eo deriuatis, vt in *fiebat*, *defioculus*; nisi sequatur R, vt in *fieri*. Variatur autem I, tum in *Diana*, tum in genitiuis *illius*, *ipsius*, *istius*, *nullius*, *solius*, *totius*, *vllius*, *vnius*, *vtrius*, *neutrius*. Quorum tamen penultima in prosa acuitur; Sed in *alius* vtrobique producitur ad differentiam recti casus; & in *alterius* variatur in versu; corripitur in prosa.

IV. Variatur O in *ohe*, & in *O*, si sequatur dictio à vocali inita, vt in *O Alexi*, *O ego*, non solet enim per synalœphem absorberi, sed per Dialœphem disiungi; quod fit etiam, sed rarò in alijs vocabulis vocali quacunque terminatis, sequente dictione à vocali inita, & retenta natiua quantitate, vt in 2. & 3. Ecloga Virgilij.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho,
Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacinthus.

Vbi *O Ara* est dactylus: & *ri et* Spondeus. Aliquando autem facta Dialœphe, syllaba de se longa, vi vocalis ante vocalem euadit breuis, vt in *Qui* Ecloga 8. & in *te*, 6. Æneidos.

Credimus: an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?
Nomen & arma locum seruant, te amice nequiui?

Re-

Regula IV. De Diphthongo.

DIPHTHONGVS Longa est tam in Græcis, quàm in Latinis vocabulis.

Est autem Diphthōgus duarum diuersæ speciei vocalium, in vnicam misti soni syllabam conspiratio. Latinorum Diphthongi ordinariæ sunt quatuor; videlicet AE, OE, AV, EV, vt in *Æneas*, *cœna*, *aut*, *heus*; extraordinariæ sunt aliæ quinque, nempe EI, OI, VI, OV, & YI, & in *hei*, & *hoi* interiectionibus, & in *hui*, *huic*; *prout*, *Harpyia*.

Græcorum diphthongi propriæ sunt sex; scilicet αι, ει, οι, αυ, ευ, ου, vt in his nominibus σφαῖρα, sphæra; σειρὴν, siren; κοινοτάφιον, cœnotaphium; ἀγαύη, Agaue; παρασκευὴ, Parasceue; μοῦσα, Musa. De sex improprijs dicetur in Prosodia maiore.

Exceptiones Duæ.

I. Communis est prima in *Mæotis*, & in *præacutus*, *praire*, *praustus*, *praordino*, &c.

II. Variatur tum prima in *Cherurgus*, *chiragra*, *Leandrus*, tum penultima in huiusmodi adiectiuis, *Cyclopeus*, *Dædaleus*, *Hectoreus*. Quamuis enim communi dialecto scribantur per ει, vt in χειράγρα, λείανδρος, κυκλώπειος; Ionica tamen Dialecto sine diphthongo vsurpari possunt scribique per simplex ι, vt χιράγρα, κυκλώπιος, idemq; fieri potest in penultima horum *Chorea*, *Malea*, *Platea*. Ideoque in his penultima variatur.

Admonitio.

Memento nomina hæc *Orpheus*, *Perseus*, *Theseus*, quæ in fine habent diphthongum ευ, nempe ὀρφεύς, περσεύς, θησεύς, &c. pronuncianda esse vt dissyllaba, & vltima in sede producenda, & sic de similibus.

Regula V. De Vocalibus Græcis.

In Græcolatinis dictionibus vocales substitutæ pro vocalibus apud Græcos breuibus breues, pro longis longæ, pro ancipitibus ancipites sunt.

Breues autem sunt semper ε, & ο. Longæ semper η, & ω, ancipites α, ι, υ. Breuis itaque est prima in *Helenas*

na, *Chorea*, & penultima in *Helena*, & in *Synodus*, quia Græcè scribitur ἑλένη, χορεία, σύνοδος. Longa verò prima in *Pegasus*, *Zona*; & penultima in *axioma*, *problema*, quia Græcè est πήγασος, ζώνη, ἀξίωμα, πρόβλημα.

Regula VI. De Vocali ante Vocalem in Græcolatinis Dictionibus.

VOCALIS ante vocalem in dictionibus Græcolatinis posita loco breuium ε, & ο, aut ancipitum α, ι, υ, solet esse breuis; loco autem longarum η, & ω, vel diphthongorum ει, ου longa est.

Sic penultima breuis est in *Timotheus*, *Pirithous*, *Thebais*, *Lysias*, *Eubyas*. Græcè enim τιμόθεος, πειρίθοος. Longa verò est penultima in *Briseis*, *Achelous*, *Alexandria*, *Harpuia*; Græcè enim βρισηΐς, Ἀχελῷος, Ἀλεξάνδρεια, ἁρπυΐα, vel ἅρπυια.

Exceptio.

I. Producitur A in *Achaicus*, *Achaia*, *Amphiraus*, *Aonius*, *Aerope*, *Lais*, *Nais*, *Panchaia*, *Thais*, *Taygeta*, & *Taycetus*; item in *Athenais*, *Homolais*, *Lais*, *Ptolemais*: denique in nominibus à λαὸς deductis, vel in *Aon*, genitiuo *Aonis* declinatis, vt in *Laomedon*, *Laertes*, *Menelaus*, *Charilaus*, *Machaon*, *Lycaon*, dempto tamen *Phaon*, adiectiua autem in *aicus* variant.

II. Producitur I, in masculinis in *Ion*, quorum incrementum in *onis* breue est, vt *Amphion*, *Arion*, *Pandion*, *Ixion*; Et in *Chius*, *a*, *um*, *Oedipodionius*: variat in *Academia*.

III. Producitur Y, in *Cyane*, *Cyaneus*, *Thyas*, *Enyo*.

Admonitio duplex.

I. Adiectiua à masculinis nominibus formata, in *Eus*, *ea*, *eum*, licet Latinè scribenda sint sine diphthongo, produci tamen possunt quia Græcè communiter scribuntur per ει, & corripi quia Ionicè per ε, vt *Dædaleus*. Hinc etiam communis est E in *Chorea*, *Malea*, *Platea*, 2. Nomina in *Eia*, vel *Eius*, siue adiectiua, siue substantiua, quando resoluitur diphthongus ει, habent e longum, vt *Elegeia*, *Eleleius*, *Pleias*.

Re-

Regula VII. De Deriuatis.

DERIVATA, sequuntur plerumque quantitatem suorũ Primitiuorum. Sic longa est prima in *maternus*, *natiuus*, quia longa est in *mater*, *natus*: & breuis est prima in *amicus*, *auitus*, quia breuis in *amo*, *auus*.

Exceptiones Duæ.

I. Quædam longa sunt, licet à primitiuis breuibus, vt prima in *dolium*, à *dolando*, *humanus* ab *homine*, *laterna* à *latendo*, *regula* à *rego*, *tegula* à *tego*; & alia de quibus in Prosodia maiore, vel in nostro Indice.

II. Quædam item breuia sunt, licet à primitiuis longis; cuiusmodi est prima in *arena*, & *arista* ab *arco*, *dicax* à *dicendo*, *disertus* à *dissere*, *lucerna* à *luceo*, *mamilla* à *mamma*, *sagax* à *sagio*, & reliqua de quibus in maiori Prosodia, vel in Indice nostro.

Regula VIII. De Analogia.

ANALOGIA est similitudo in inflexione vocabulorum, quæ indicium est quantitatis ignotæ ex cognita, in simili vocabulo, quantitate, quomodo lõga est penultima in *Stanislaus*, & *Goanus*, quia longa est in *Nicolaus*, & *Romanus*. Sed cauendum à fallacijs.

Regula IX. & X. De Necessitate, ac Licentia Poetica.

Has Regulas non censeo Tironibus explicandas, cùm vix prouectioribus permittatur illis vti, iuxta dicenda in Prosodia maiore.

Cap. II. Regulæ Speciales Primæ Syllabæ.

Regula I. De præteritis Geminantibus.

PRæterita Geminantia primam syllabam breuem habent. Vt *cecini, cucurri, cecidi, momordi, peperci, spopondi, tetigi, &c.*

Secundam quoq; breuem habent, nisi obstet positio, vt in *spopondi*, aut diphthongi vis; vt in *cecidi* à *cado*.

Regula II. De Præteritis Dissyllabis.

Præterita dissyllaba habent priorem longam; Vt *faui, laui, moui, risi, sedi, vidi*.

Exceptio.

Corripitur tamen prima in his sex; *bibi, dedi, fidi* à *findo*; *scidi* à *scindo*, *steti, tuli*; præter ea, quæ habent vocalem ante vocalem, vt *fuit, ruit, yt*.

Regula III. De Supinis Dissyllabis.

Supina Dissyllaba habent priorem longam; Vt *latum, natum, rasum, sutum, visum* à verbis *fero, nascor, rado, suo, video*.

Exceptio.

Corripitur tamen prima in his nouem, *citum* à cieo, *datum, itum, litum, quitum, ratum, rutum, satum, situm*, à do, eo, lino, queo, reor, ruo, sero, sino: variat in *statum* à sto.

Regula IV. De Præpositionibus Monosyllabicis.

A, E, De, Di, Se, Tra. Præpositiones longæ sunt tam in compositione, quam extra; Vt in *amouet, educat, deducit, diluit, separat, traducit*.

Ex-

Exceptiones Duæ.

I. Corripitur *Di*, in *dirimit*, & in *disertus*, & *a* in *aperit*, & in Græcolatinis compositis, vt in *apathos*, *atheus*, & *co* pro *con* sequente vocali, vt in *coetus*, *cooptat*; at *De*, & *Præ* sequente vocali variantur, vt in *dehortor*, *deosculor*, *praacutus*, *praire*.

II. *Pro* in Latinis dictionibus variatur, in Græcolatinis, aut si sequatur vocalis, corripitur, vt in *propontis*, *prohibeo*.

Regula V. De Reliquis Monosyllabis ineuntibus compositum.

I. Monosyllaba terminata consonante breui breuia sunt; Vt *ab*, *ad*, *in*, *per*, *sed*, *sub*, *at*, *et*, sic prima breuis in *abigit*, *adhæret*, *ineunt*, *perimit*, *sedenim*, *atenim*, *etenim*.

II. Monosyllaba terminata vocali, quæ non sunt præpositiones, in principio Compositi longa sunt, vt in *licet*, *scilicet*, *vegrandis*.

Excipe disiunctiuum *ne*, vt in *neque*, *nefastus*; Excipe, & *bi*, & *tri*, vt in *bifidus*, *tridens*, quamuis producatur in *biga*, *triga*, *bimus*, *trimus*.

Caput III. Regulæ Speciales Vltimæ Syllabæ.

Reg. I. De A.

A Finita longa sunt; vt *ama*, *interea*, *antea*, & omnes ablatiui, vt à *Musa*, *ab aqua*, & vocatiui nominatiuorum in AS, desinentium, vt ò *Damœta*, ò *Luca*.

Exceptiones Quatuor.

I. Corripiuntur, *quia*, *ita*, *puta* aduerbium, & plerumque *eia*, & *postea*, variantur autem, licet melius producan-

cantur, *contra*, *frustra*, *vltra*, & melius producitur *alleluia*.

II. Aduerbialia in A, breuia sunt, vt *acerbà*, *apprimà*, *transuersà*, pro *acerbè*, *apprimè*, *transuersim*.

III. Numeralia in *ginta* communia sunt, vt *triginta*, *quadraginta*, *octoginta*.

IV. Corripiuntur omnes casus plurales in A, & singularium nominatiui, immò & horum vocatiui, vt *Carmina*, *Catilina*, *Musa*, ò *Musa*. (Nisi sint à nominatiuis secundæ in AS; Et accusatiui singulares Græco more in A, declinati, vt *Castora*, *Pallada*, *Ariona*, pro *Castorem*, *Palladem*, *Arionem*.

Reg. II. De E.

E Finita breuia sunt, Vt *carmine*, *dicite*, *hisce*, *nobile*, *ritè*, *siue*, *suopte*.

Exceptiones Sex.

I. Producuntur præpositiones, *e*, *de*, *se*, & pronomina *me*, *te*, *se*, & *ne* prohibitiuum, & interiectiones, *ohe*, & *papé*.

II. Producuntur aduerbia, *apprimè*, *fermè*, *temerè*, & omnia formata à nominibus secundæ declinationis, vt *egregiè*, *rectè*, *optimè*, *sanè*, *valde pro validè*, demptis *benè*, & *malè*, quæ corripiuntur, & *infernè*, ac *supernè*, quæ sic variantur, vt tutius producantur. Variatur etiam *ferè*.

III. Producuntur ablatiui quintæ declinationis, vt *die*, *specie*, *re*, cum deriuatis, *hodie*, *pridie*, *quare*, &c. adde his *fame* olim quintæ declin.

IV. Producuntur Imperatiui singulares secundę coniugationis, vt *aue*, *iube*, *gaude*, *prohibe*. Variant autem *caue*, *vale*, *vide*; & rarò *responde*, *salue*.

V. Producuntur nomina quæ Græcè terminantur per η; vt *Calliope*, *Cybele*, *Grammatice* ars, & neutra illa *Cete*, *Mele*, *Tempe*.

VI. Producuntur Vocatiui à nominatiuis in ES, vt ò *Alcide*, ò *Drance*.

Reg. III. De I, & Y.

I Finita longa sunt; Vt *Classi*, *fieri*, *Romani*, *veni*.



Ex-

Exceptiones Tres.

I. Variantur, *mihi, tibi, sibi,* & *cui* dissyllabum, & *ibi, nisi, quasi, sicuti, vti,* aduerbium; quamuis frequentius corripiantur *nisi,* & *quasi.*

II. Variantur datiui Græcolatinorum nominum tertiæ declinationis, vt *Palladi, Thetidi.*

III. Corripiuntur finita in y, vt *Æpy, Moly, Chely, Tiphy,* immo omnes vocatiui Græcolatinorum nominum, siue in y, siue in I, desinentes; si sint tertiæ declinationis, vt ò *Alexi,* ò *Daphni,* ò *Pari.*

Reg. IV. De O.

O Finita communia sunt; Vt *Cato, sermo, scribo, aliquando* cum **gerundijs,** vt *cantando, vigilando, &c.*

Exceptiones Tres.

I. Produc monosyllaba, vt *do, pro, quo,* & *o,* sequente consonante, (nam seq. vocali variat): & *adeò, ideò,* meliusq; *citrò, extemplò, intrò, vltrò.* Sed corripe *duo, scio,* & *cedo* pro da, vel dic.

II. Produc aduerbia ab adiectiuis secundæ declin. vt *crebrò, falsò, meritò*: Sed corripe *modò* cum compositis. Variantur autem *citò, denuò, mutuò, omninò, postremò, profectò, sedulò, seriò, serò, verò.* De quibus in Indice Prosodiæ Maioris.

III. Produc datiuos, & ablatiuos, vt *domino, templo*; & Græca terminata in ω, vt *Alecto, Clio, Clotho, Manto, Sappho.*

Reg. V. De V.

V Finita longa sunt; Vt *cornu, gelu, noctu, diu, tu, senatu,* ò *IESV,* ò *Melampu.*

Reg. VI. De B, D, T.

B, D, T, Finita corripiuntur; Vt *ab, sub, ad, sed, caput, incipit.*

Ex-

Exceptio.

Produc *aut* & *haud* ob diphthongum, & si quæ Græcè per η, vel per ω, vel per ου scribuntur, vt *Oreb, Obed, Sabaoth, Cherub,* variatur autem *Dauid.*

Reg. VII. De C.

C Finita producuntur; Vt *dic, duc, hoc, Henoch.*

Exceptio.

Corripiuntur *nec, donec,* & quæ Græcè per ε, vt *Lamech, Melchisedech,* variantur autem *fac,* & *hic,* & *hoc* pronomina, dempto ablatiuo, & *fic,* quamuis *sic,* plerumque producatur, & tutius.

Reg. VIII. De F, & G.

PEregrina nomina in F, vel potiùs in Ph, aut G, desinentia, longa sunt; Vt *Ioseph, Sarug, Gog, Magog,* cum Græcè sint per η, aut ω, aut ου, si quæ autem per ε, aut ο, scribuntur, breuia sunt.

Reg. IX. De L.

L Finita breuia sunt; Vt *Annibal, mel, semel, vigil, exul.*

Exceptio.

Producitur *Sal, Sol, nil,* & quæ Græcè scribuntur per η, vt *Michael, Israel,* aut per ω, vel per ου, vt *Saul, Elul.*

Reg. X. De M.

M Finita breuia sunt.

Sed iam est consuetudo, vt sequente vocali elidatur M, cum præcedente vocali, & vtraque litera transeat in sonum, & quantitatem sequentis vocalis, per quandam Ecthlipsim, etiam si sint monosyllaba, vt in Virgilij versu 1. Æneid.

Littora multum ille, & terris iactatus, & alto.
Post dactylum *Littora*, sequitur spõdeus *mult' ill.* &c. in compositis tamen à *circum*, vel *pessum* retinetur, & corripitur, vt in *circumago, circumeo, pessumago, pessumeo.*

Reg. XI. De N.

N Finita longa sunt; Vt *alioquin*, *sin*, *Brachman*, *Titan*, & plurima nomina tertiæ declinationis, quæ Græcè desinunt in ων, vt *Actaon*, *canon*, *damon*, aut in ην, vt *amen*, *lien*, *Siren*, cum accusatiuis item in ην, vt *Alciden*, *Calliopen*.

Exceptiones Quatuor.

I. Corripiuntur, *an*, *forsan*, *forsitan*, *in tamen*, cum compositis, *exin*, *dein*, *proin*, *attamen*, *veruntamen*; variantur autem, quæ *ne* interrogatiuum per *apocopen*, vel apostrophum mutilatam habent, vt, *nostin? nemon? viden? tun? pro nostine?* &c.

II. Corripiuntur neutra merè Latina tertiæ declinationis, quorum incrementum breue est in *inis*; vt *carmen*, *flumen*, *germen*, *legumen*, & quæ à cano, vt *tibicen*.

III. Corripiuntur, quæ Græcè per omicron scribuntur, vt *Ilion*, *Pelion*, *Erotion*, & accusatiui plurimi Græcolatinorum nominum, vt *Cerberon*, *Dadalon*, *Delon*, pro *Cerberum*, *Dadalum*, *Delum*.

IV. Corripiuntur accusatiui Græcolatinorum nominum, in IN, YN, AN, sed si AN, sint fœminini generis, vt *Daphnin*, *Ityn*, *Maian*; licet beneficio cæsuræ varientur, vt in *Tethyn*.

Reg. XII. De R.

R Finita corripiuntur; Vt *Casar*, *Hector*, *nectar*, *fer*, *dicitur*, *femur*, *semper*, *puer*.

Exceptiones Tres.

I. Producuntur monosyllaba, vt, *Cur*, *far*, *par*, *ver*. Sed variatur *cor*, at composita à *par*, vt *compar*, *dispar*, melius producuntur.

II. Pro-

II. Producuntur, quæ Græcè desinunt in ηρ, vt *aer*, *æther*, *character*, *Esther*, demptis tamen *Pater*, & *Mater*.

III. Producuntur, quæ Græcè desinunt in ωρ, vel ουρ, vt *Thabor*, *Assur*, demptis tamen nominibus tertiæ declinationis, quorum incrementum breue est in *oris*, quamuis enim Græcè desinant in ωρ, breuia tamen sunt, vt *Alastor*, *Nestor*, *&c.*

Reg. XIII. De S.

EX finitis in S, producuntur AS, ES, OS, corripiuntur IS, VS. *Sed expedit de his singillatim præcepta tradere.*

AS.

AS, Finita longa sunt; Vt *Æneas*, *amas*, *Musas sanctitas*.

Exceptiones Duæ.

I. Corripitur, *anas*, *atis*, & Græcolatina nomina, quorum breue est incrementum in *adis*, vt *Pallas*, *adis*, *Arcas*, *adis*, *Ilias*, *adis*, *&c.*

II. Corripiuntur, accusatiui plurales nominum Græcolatinorum, tertiæ declinationis, vt *Arcadas*, *Cycladas*, *Delphinas*, *Machaonas*.

ES.

ES, Finita longa sunt; Vt *aues*, *Chremes*, *centies*, *dices*, *sermones*.

Exceptiones Tres.

I. Corripiuntur, *penes*, & *es* à verbo *sum*, cum deriuatis, vt *ades*, *interes*, *potes*.

II. Corripiuntur singulares casus, nominum tertiæ declinationis, quorum breue est incrementum in *etis*, *itis*, aut in *idis*, vt *comes*, *diues*, *præpes*, *præses*, *obses*. demptis tamen, *abies*, *aries*, *paries*, *pes* cum compositis, *compes*, *tripes*, &c. variatur autem *Ceres*.

B III.

III. Corripiuntur quæ Græcè desinunt in *es*, vt *Cacoethes*, *Nepenthes*, *Phinees*, sic & omnes casus plurales, nominum tertiæ declinationis, sed Græcolatinorum, vt *Arcades*, *Pleiades*, *Troes*, *Lampades*.

IS, & YS.

IS, & YS, Finita breuia sunt; Vt *amnis*, *carminis*, *dicitis*, *quisquis*, & *Chelys*.

Exceptiones Tres.

I. Producuntur aduerbia hæc. *gratis*, *foris*, & composita, *imprimis*, *cumprimis*, *omnimodis*, variatur autem *bis*.

II. Producuntur, tum casus plurales, vt *nobis*, *Musis*, tum singulares, quorum incrementum longum est in *inis*, *iris*, *itis*, *entis*, vt *dis*, *lis*, *glis*, *Samnis*, *Simois*.

III. Producitur secunda persona singularis, verborum quartæ coniugationis, indicatiui modi, vt *audis*, *dormis*, *abis*, *sentis*, item *sis*, & *vis* verbum; variantur autem *possis*, & *velis*.

OS.

OS, Finita longa sunt; Vt *arbos*, *Athos*, *nepos*, *Romanos*, *ros*.

Exceptio.

Corripiuntur, tum *os*, *ossis*, *compos*, & *impos*; tum quæ Græce per omicron desinunt in *os*, vt *Argos*, *Chaos*, *Delos*, *Pallados*, *Theseos*.

VS.

VS, Finita breuia sunt; Vt *amicus*, *omnibus*, *scripsimus*, *secus*, *radicitus*, *prorsus*.

Exceptiones Tres.

I. Producuntur tum monosyllaba omnia, vt *grus*, *ius*, *mus*, *plus*, &c. tum quæ habent incrementum longum in

vdis,

vdis, *vntis*, *vris*, *vtis*, vt *incus*, vdis, *Amathus*, vntis; *tellus*, vris; *salus*, vtis; variant tamen *palus*, vdis, & *senectus*, melius producitur.

II. Producuntur genitiui singulares, & omnes casus plurales nominum Latinorum quartæ declinationis, vt *domus*, *fructus*, *senatus*.

III. Producuntur quæ Græcè desinunt in *ευς*, aut in *ως*, siue nominatiui sint, vt IESVS, *Panthus*, *Orpheus*, *Proteus*, siue genitiui, vt *Clius*, *Sapphus*, variant autem deriuata à *ποῦς*, *πόδυ'ς*, vt *Oedipius*, *Polypus*.

Admonitio.

Nomina Græcolatina in *ευς*, Latinè sic vsurpanda sunt, vt *ευς*, fiat vna syllaba, & longa; sic dissyllaba sunt *Orpheus*, *Proteus*, *Theseus*, & trisyllaba, *Caphareus*, *Prometheus*, *Salmoneus*, & habent vltimam longam.

Caput IV. Regulæ Speciales Mediæ Syllabæ.

Regula I. De Compositi parte posteriori.

PRima syllaba posterioris partis in Composito, tanta est, quanta extra compositionem. Sic breuis est penultima in *atenim*, *centimanus*, *circumdare*, *semideus*, quia breuis, prima in *enim*, *manus*, *dare*, *Deus*. Et longa penultima in *insanus*, *iniquus*, *concludo*, quia longa prima in *sanus*, *æquus*, *cludo*, seu *claudo*.

Exceptiones Duæ.

I. Corripitur penultima in *agnitus*, *cognitus*, *causidicus*, *veridicus*, *fatidicus* &c. *confragus*, *vndifragus*, &c. *deiero*, *pexero*; *innubus*, *pronubus*, *nihilum*; licet longa sit prima in *notus*, *dico*, *dicis*, *frango*, *iuro*, *nubo*, *hilum*; sed in *connubio* variatur.

II. Producitur penultima in *impegi*, *compegi*, licet à *pepigi*, & in participio *ambitus*, *ta*, *tum*, licet ab *itum*, at corripitur tertia in *semisopitus*, quamuis prima in *sopire*, & *sopitus* sit longa.

Reg. II. De Compositi parte Priori Polysyllaba; nam de Monosyllaba, satis dictum capite 2. Reg. 4. & 5.

I. VLtima syllaba prioris partis polysyllabæ in composito, si sequatur Enclitica, aut monosyllabica particula ; tanta est quanta extra compositionem. Sic sunt *Musane*, *terraue*, *vtraque*, *eadem*: longa sunt si sint ablatiui, breuis si alij casus. Et communis est in *ibidem*, *tantidem*, *vbinam*, *vbiuis*.

II. Vltima syllaba prioris partis polysyllabæ in composito ex verbis aut nominibus, breuis est.

Siue prior pars desinat in A, vt in *anapæstus*, *decachordum*, *hexameter*, *paranymphus*; siue in E, vt in *archetypus*, *benefacta*, *vndecunque*, *videsis*, *valedico*; siue in I, aut Y, vt in *armipotens*, *causidicus*, *centimeter*, *fidicen*, *Eurymedon*, *frugifer*, *lucrificus*, *omnipotens*, *sonipes*, *polysyllabum*, *versicolor &c.* siue in O, vt *Argonauta*, *holocaustum*, *Carpophorus*, *opobalsamum*, *controuersia*, *sacrosanctus*; siue in V, vt *carnufex*, *quadrupes*, *decumestris*, *Graiugena*; variat *manuduco*.

Exceptiones Quatuor.

I. Producitur A, in deductis ab ablatiuo, vt *eatenus*, *nullatenus*, *quaqualibet*, *quaquauersum*.

II. Producitur E, in *assuefio*, *consuefio*, *veneficus*, *videlicet*, *vacefit*, *mansuefio*. In reliquis à *facio*, vel *fio*, vel *factus* compositis, si præcedant verba secundæ coniugationis variatur, vt in *calefacio*, *liquefacio*, *patefio*, *tepefacio*; at si non sint verba secundæ, corripitur, vt in *tremefactus*, *cinefactus*, *quatefactus*, *labefacio*, *labefactus*.

III. Producitur I, in *mihique*, *tibique*, *sibique*, *vbique*, *ibique*, *vtrobique*, *quandoque*, *cuique* trisyllabo. Esto sit communis extra compositionem; Item *tibicen*, *meliphyllum*, *reipublica*, *meridie*, *meridiari*, *postridie*, *quotidie*, esto varietur in *quotidianus*; de *vni*, in *vnicuique*, controuersum est. In alijs, vbi necessitas metri postulat, longa inuenitur, quæ alioquin breuis est, vt in *parricida*, *versimi-*

lis sacrificium, lucrifecit, ludimagister, nisi hæc duo separatim legantur, nempe *lucri, fecit*, & *ludi, magister*.

IV. Producitur O, in *alioquin*, *introduco*, *retrouersus*, *quandocunque*, *quandoque*, aut vbi Græcè est ω, vt in *Geometra*, *Legopus*, aut si necessitas ad producendum cogat, vt in *Theophila*, & *Leucopetra*.

De Reliquis Regulis Mediæ Syllabæ.

Admonitio ad Lectorem.

AD Regulas Mediæ Syllabæ reuocantur *Accentus*, *Incrementum Nominum*, *Patronymicorum* leges, *Incrementum seu coniugatio Verborum*, *Adiectiuorum* variæ formationes, aut etiam substantiuorum. Sed his propter multiplicitatem non sunt oneranda Tironum Ingenia. Quin potiùs tradenda sunt illis elementa Pedum, & Carminum frequentiùs vsitatorum, & mox assuefaciendi sunt constructioni Carminum, & Scansioni. Vbi verò adulti fuerint, Prosodia Maior ipsis exponi poterit.

Caput V. De Pedibus.

PEdes versuum, alij dissyllabi, alij trisyllabi, alij tetrasyllabi sunt, hoc est duarum, vel trium, vel quatuor syllabarum; sed tetrasyllaborum species tantummodo vsitatiores enumerabimus hic. De reliquis consulenda est Prosodia maior.

Pedes Dissyllabi habent

Spondeus, duas syllabas longas, vt *Matres*.
Pyrrichius, duas breues, vt *DEVS*.
Choreus, seu *Trochæus*, primam longam, secundam breuem, vt *Arua*.
Iambus, primam breuem, secundam longam, vt *potens*.

Pedes Trisyllabi habent

Dactylus, primam longam, reliquas breues, vt *Carmina*.
Anapæstus, tertiam longam, reliquas breues, vt *Pueros*.
Molossus, tres syllabas longas, vt *Indulgens*.
Tribrachys, tres syllabas breu. vt *Calamus*.
Bacchius, primam breuem, reliquas longas, vt *Sorores*.

Rhodius, seu *Antibacchius*, tertiam breuem, reliquas longas, vt *Audite*.

Creticus, seu *Amphimacer*, secundam breuem, reliquas longas, vt *Particeps*.

Lesbius, seu *Amphibrachys*, secundam longam, reliquas breues, vt *Beatus*.

Pedes aliquot Tetrasyllabi.

Choriambus, constat ex Choreo, & Iambo, vt *Nobilitas*.

Proceleusmaticus, seu Dipyrrichius ex quatuor breuibus, vt *Abiete*.

Dispondeus, constat duobus Spondeis, vt *Oratores*.

Dichoreus, constat duobus Choreis vt *Confitemur*.

Dijambus, constat duobus Iambis, vt *Propinquitas*.

Antipastus, constat ex Iambo, & Choreo, vt *amauere*.

De Ionicis, Pæonibus, Epitritis, &c. in Prosodia maiore agemus.

Cap. VI. De Versibus.

VErsus, seu Carmen, est Oratio certo numero, specie, & ordine pedum constructa.

Ex plurimis carminum speciebus, infrascriptæ tantummodo sunt Tironibus inferiorum classium tradendæ. Sed præmonendi vltimam, cuiuscumque carminis syllabam communem esse, quod olim Grammatici, versu illo monuerunt:

Vltima cuiusq; est communis syllaba versus.

Monendi etiam *Cæsuram* dici cum dictionis polysyllabæ, vltima syllaba spectat ad sequentem pedem, aut post præcedentem abundat; & vi cæsuræ syllabam vltimam de se breuem, euadere aliquando longam, vt euadit vltima in *Amor*, apud Virgilium Ecloga 10.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Reg. I. Hexametrum seu Heroicum carmen.

HExametrum carmen constat sex pedibus, quorum primi quatuor sunt vel Spondei, vel Dactyli; quintus Dactylus, & sextus Spondeus est: siue quatuor primi sint omnes Dactyli, vt

Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.

Siue

Siue quatuor primi sint omnes Spondei, vt

Canto qua solus, si quando armenta vocabant.

Siue primi quatuor sint variè permisti ex Dactylis, ac Spondeis, vt

Tityre tu patula recubans sub tegmine fagi.
Syluestrem tenui musam meditaris auena.

Appendix Duplex.

I. Aliquando sed raro. Quintus pes est Spondeus, sed tunc illum Dactylus antecedere consueuit: vt

Cara Deum soboles magnum Iouis incrementum.

II. Vitiosum ac perfrigidum carmen hoc reputatur, si nullas habeat cæsuras, quibus pedes pedibus innectantur, vt

Musa carmina scribere, nostros credite vates.

aut *Nostraq; multis magnis membris corpora constant.*

Reg. II. De Pentametro, seu Elegiaco Carmine.

P*Entametrum* carmen, quia in Elegijs Hexametro subijcitur, dicitur Elegiacum, & constat duabus partibus, quarum prior habet duos vel Spondeos, vel Dactylos cum Syllaba vna longa; posterior verò duos Dactylos, cum altera insuper syllaba; vt:

Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit
Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci
Sic vos non vobis vellera fertis oues.

Appendix Duplex.

I. Vitiosum Carmen censetur hoc si terminetur dictione monosyllaba: vt

O' pueri melius carmina scribite sic.

II. Rarissimè quoque, & non sine duritie vix toleranda, prior pars Pentametri connectitur in scansione cum posteriori, vt si diceres:

Sunt pueri impatientes tolerare moras.

Reg. III. De Iambicis Carminibus.

I*Ambicum* carmen est, quod Iambo pede terminatur, & si Comicos versus excipias, habet in reliquis sedibus paribus Iambos, in reliquis Spondeos, vel Iambos, at Compares; si autem constet pedibus quatuor dicitur Iambicum Dimetrum: vt

Beata cæli nuncio.

Si verò ſex pedibus, dicitur Iambicum Trimetrum, ſeu Senarius Iambicus, cuius exemplum ex puris Iambis ſit illud Horatij:

Beatus ille, qui procul negotijs.

Reg. IV. De Choliambo, ſeu Scazonte.

S*cazon* eſt verſus ſex pedum, quorum quintus ſemper eſt Iambus, ſextus Spondeus, reliquis paribus Iambum; imparibus autem locis, aut Iambum, aut Spondeum habet, vt illud Perſij.

Nec labra fonte prolui caballino.

Reg. V. De Adonio & Glyconio, & Pherecratio.

A*Donium* carmen conſtat Dactylo, & Spondeo, cui vt omnium facilimo, & Hexametri, ac Pentametri elemento, aſſuefaciendi ſunt primo quoque tempore Tirunculi. Talia ſunt hæc:

Mane praaltos
Scandite montes:
Veſpere puros
Viſite fontes.

Glyconium carmen conſtat Spondeo, & duobus Dactylis ſic.

Roma principis vrbium.
O mutis quoque piſcibus.
Romana fidicen lira.

Pherecratium carmen conſtat Spondeo, Dactylo & Spondeo ſic,

Grato Pyrrha ſub antro.
Sternens impete ſaxi.

Reg. VI. De Hendecaſyllabis Phaleucio, & Sapphico, & Hipponacteo.

P*Halacium*, ſeu Phaleucium carmen conſtat vndecim Syllabis, vnde & antonomaſticè dictum eſt Hendecaſyllabum, habet autem pedes quinque hoc ordine, Spondeum, Dactylum, & tres Choreos hoc mo[illegible].

Hic eſt quem legis ille, quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis.

Sap-

Sapphicum carmen, & ipsum vndecim habet syllabas, & pedes quinque hoc ordine Choreum, Spondeum, Dactylum, & duos Choreos. In Odis autem & hymnis, terno cuique Sapphico solet subijci Adonium hac forma.

Pindarum quisquis studet æmulari
Iule, ceratis ope Dedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Hipponacteum carmen inter Hendecasyllaba quidem seu vndecim syllabarum carmina recensetur, at est Scazon, sed catalecticus, seu vna syllaba mutilatus, seruatq; leges Scazontis, vt illud vetustum carmen.

Ternos vetusti congios Falerni
Vno die conuiuijs peractis
Hausit potentum Romuli nepotum
Regnator audax, arbiterque regum.

Reg. VII. De Anapæstico, Asclepiadeo, Choriambico, & Alcaico.

A*Napæsticum* Dimetrum, constat pedibus quatuor, quorum secundus, & quartus sunt Anapæsti, aut Spondei, reliqui aut Anapæsti, aut Spondei, aut Dactyli, quare potest etiam carere Anapæsto, vt si fiat ex duobus Adonijs. Exempla sint hæc ex Seneca.

Lugeat æther, magnusque parens
Ætheris alti, tellusque ferax
Et vaga ponti mobilis vnda.

Asclepiadeum carmen constat Spondeo, duobus Choriambis, & Pyrrhichio, seu Spondeo, Dactylo, syllaba longa, & duobus dactylis sic.

Quod si me Lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Alcaicum Dactylicum primo loco habet Spondeum, aut Iambum, deinde Iambum, & syllabam longam, & post illam duos dactylos sic.

Odi profanum vulgus, & arceo
Fauete linguis carmina non prius.

Caput VI. De Figuris ad Carminum structuram spectantibus.

EX Figuris Parte 6. Prosodiæ Maioris explicandis, sufficit infrascriptas indicare Tironibus.

Apocope, est cum vocabulum vltima syllaba mutila-

 tur,

tur, vt si dicas *nemon?* pro *nemóne?* & *consili*, pro *consilij*.

Syncope est cum media aliqua syllaba dictionis demitur, vt si dicas *compostus*, pro *compositus*, & *periclum*, pro *periculum*.

Diaresis, seu dialysis est cùm vna syllaba in duas resoluitur, vt si trisyllaba facias, *claudo*, *suetus*, *sylua*.

Synereſis, seu episynalœphe, seu synecphonesis est, cum duæ syllabæ in vnam contrahuntur, vt si disyllabum facias *alueo*, & trisyllabum, *denarijs*.

Tmesis est dictionis compositæ sectio cum interpositione alicuius dictionis, vt si dicas *hæc Troiana tenus* pro hactenus Troiana; & *Argique letum* pro Argiletumque.

Crasis est cum de duabus tribusue literis, vnica tantum retinetur, includens in se vnâ vim, & quantitatem illarum, ac proinde producit syllabam, vt in *biga*, *cogo*, *Clodius*, *flerunt*, *displodo*, *morunt*, *noris*, *Plotius*. Pro *bijuga*, *coago*, *Claudius*, *fleuerunt*, *displaudo*, *mouerunt*, *noueris*, *Plautius*.

Ecthlipsis, est cum à fine vocabuli abijcitur consonans, aut syllaba in consonantem desinens: quare est species *Apocopes*. Ita solet fieri de syllaba desinente in M, si sequatur vocalis, vt dictum est Cap. I. Reg. III. dum de Vocali, ante Vocalem. Sed & olim Prisci elidebant literam finalem S, retenta quantitate Syllabæ pristinæ: vt in illis versibus Ennij & Lucilij.

Doctu', fidelis', suauis homo, facundu', suoq;
Tantalu', qui pœnas ob facta nefantia luuit.

Pro *Doctus*, *fidelis*, *facundus*, *Tantalus*. Quod tunc non est permittendum nisi Archaismum affectanti.

Paragoge, est adiectio litteræ, aut Syllabæ in fine, vt in *Dicier*, *Laudarier*, pro *dici*, *laudari*. Iuxta illud Persij Satyra 1.

At pulcrum est digito monstrari, & dicier hic est.

De *Synalœphe*, satis dictum Cap. I. Reg. III. in eius explicatione. *Cæsura* est syllaba post integrum pedem abundans: quæ tunc euadit figura ad Prosodiam spectans, quando vi ipsius, syllaba de se breuis fit longa. Vt in versibus illis, primò Virgilij Eclog. 10. deinde Ouidij.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori
Indigus effectus omnibus ipse magis.


In quibus vltima syllaba in *amor*, & *effectus*, producta est priuilegio Cæsuræ; Tyronibus tamen, immo nec alijs nisi perraró vsurpanda.

Finis primæ Partis.

PARS

PARS SECVNDA
Regulæ Generales
PROSODIÆ MAIORIS.

PROHEMIVM.



ROSODIA Græcè nil aliud est, quàm Accentus, vel Accentuum Ratio: siquidem Græci, Accentus προσῳδίας vocabant, testibus Cicerone, Diomede, & Gellio. Postea tamen vsurpari consueuit pro Arte dimensionis syllabarum, & communi Grammaticorum notione accipitur pro ratione discernendi syllabarum modulum, seu quantitatem; quæ ab Accentu subtiliori quadam differentia distinguitur, vt parte VIII. Cap. 9. docebimus.

Syllabarum alia *Breuis* est, seu vnius temporis spatio prolata, quæ propterea *Contrahi*, vel *Corripi* dicitur; Alia longa, seu duorum temporum; quæ *Porrigi*, *Duci*, seu *Produci* dicitur; Alia *Communis*, hoc est, pro libito longa, vel breuis.

Quantitas syllabæ discernitur, primùm per Regulas Generales; Deinde per Regulas speciales Primæ, Vltimæ, Mediæq; syllabæ alligatas, de quibus eodem ordine tractabimus, tum de figuris quantitatem syllabicam variantibus; Deinde de Metris Pedum, & Carminum disseremus. Demum de Accentu in scribendo, & in pronunciando. Quibus absolutis, Poetarum Carmina, & Indicem Vocabulorum triplicem ad Carmina Poetarum crebro prouocantem, ac syllabarum quantitatem indicantem, siue certam, siue controuersam exhibebimus, cum Æquiuocis vocabulis. Generales Prosodiæ Regulæ sunt decem; videlicet, *Exemplum*, *Positio*, *Vocalis ante Vocalem*, *Diphthongus*, *Vocalium Græcarum*,

aut *Hebraicarum* propria, ac determinata quantitas, *Deriuatio*, *Analogia*, *Necessitas metrica*, & *Licentia poetica*, & *Syllabæ Communitas*. Compositio enim ad primam, vel mediam syllabam; Præteritorum autem, Supinorumque principia ad primæ syllabæ Regulas speciales pertinent.

Regula I. de Exemplo.

EXemplum, est probati Poëtæ auctoritas, qua syllabæ quantitas aliundè ignota dignoscitur. Sic primam breuem scire licet in *Virum*, *Cano*; longam verò in *Primus*, & *ora ræ*; quia sic reperimus in illo Virgilij carmine.

Arma, virumque cano, Troiæ qui primus ab oris.

Appendices Tres.

1. Quando ad confirmandam aliquam aliam Regulam Generalem, aut specialem, adducitur probati Poetæ auctoritas; Exemplum quidem est, sed latius sumptum, nec syllaba illa Exemplo dici solet longa, breuis, aut communis, sed ob aliam quampiam Regulam.

2. Probati Poetæ censentur antiqui omnes, qui ante Theodosium, vel saltem ante Traianum Romæ præsertim, aut in Græcia floruere, sed quo propiores tempori Augusti, & CHRISTI; eo meliores. Circa tempora enim Theodosij cœpit Gothorum, ac Vandalorum incursionibus Latinæ, & Græcæ linguæ puritas in Barbariem paulatim degenerare.

3. Cæterorum Poetarum auctoritate tunc licebit vti, quando deest antiquior auctoritas, & non peccat contra manifestas aliunde Prosodiæ Regulas; Quod non solent facere peritiores Latinitatis, aut Græcolatinæ Poeseos. Pro antiquitate Poetarum consule nostrum Chronicon, post illorum carmina positum.

Reg. II. De Positione.

POsitio vocalem præcedentem, aliunde non longam, longam facit. Est autem

Posi-

Positio plurium consonantium, vel vnius duarum vim habentis collocatio, vel in eadem dictione, vel si vna consonans sit in fine præcedentis, altera in principio sequentis dictionis. Vt in hoc Virgiliano carmine:

Tityre tu patulæ recubās sub tegmine fagi.

Syllabæ enim *bans*, & *tegm.* positionem habent in eadem dictione; at syllaba *sub* eam habet ob literam *t*, subsequentis dictionis.

Duplicis consonantis vim habet X, Z, & I, consonans inter duas simplicis dictionis vocales, vt in *Araxes, dumtaxat, Eleazar, Platonizo, maius, peior, aiunt.*

V, & I, quando fiunt consonantes, idest quando ita comprimunt vocalem sequentem, vt cum ea vnam syllabam conflent faciunt positionem si eas præcedat altera consonans, siue in eadem dictione, vt in *adiuuat, subuenit*; siue in præcedentis fine, vt in eo versu Virgilij, *Ab Ioue principium,* &c. & in illo. *Et vos ò Tyrij.*

Exceptio Vnica.

Muta præcedens liquidam, si vtraq; ad subsequentem syllabam spectet, præcedentem syllabam, quæ aliunde non sit longa, communem in carmine reddit. Sunt autem liquidæ L, & R, & raro in Latinis, frequentius in Græcolatinis, M, & N, reliquæ consonantes, demptis S, & Q mutæ sunt. Ergo ob tres dictas conditiones communis est prima in *Atlas, Aprilis, agrestis, Cyclops, Cycnus, Cygnus, Cythnus, Daphne, drachma, hydra, ichneumon, lacryma, progne, patres, techna, Tecmessa,* & rarò *signum,* ac *tignum*, prima enim de se breuis est in *sigillo*, & *tigillo*; de *ignosco*, vide versum 1067. vbi tamen quidam legunt *misereri ignoscere.*

Communis item secunda in *Clytemnestra, hypomnema, Polygnotus, Polymneia, Polymnestor*, & penultima in *Centuplum, Cleopatra, Doriclus, feretrum, funebris, Pericles, peragro, perpetro, podagra, tenebra, Therapne,* alijsq; multis in Indice nostro notatis, quæ tamen penultima in prosa pronuncianda est vt breuis.

Non valet hæc exceptio, si aut muta subsequatur liquidam, vt in *arte, partes, altus, herba*, aut muta ad præcedentem; liquida ad sequentem pertineat syllabam, vt in *abluo, admonet, obruit, quamobrem*; vbi mutæ B, & D, spe-

spectant ad præuiam syllabam *ab*, *ad*, *ob*, aut denique si vocalis antecedens sit aliunde, quàm vi positionis, longa; vt in *fratres*, *matres*, *libra*, *ambulacrum*, *periclum*, cum longa sit prima in *frater*, *mater*, *libella*, & penultima in *ambulare*, & secunda in *periculum*. Valet autem è contrario in *agri*, *latro*, *onis*, *patres*; quia prima breuis est in *ager*, *lateo*, *pater*. Dubitarunt quidam de *latro*, *latras*, sed communem esse primam disces ex versibus in 2. Indice adducendis, & ex ratione ibidem reddenda, neque enim tenemur ostendere syllabam esse breuem, sed sufficit non posse conuinci esse longam, vt possit gaudere priuilegio Exceptionis huius, sicut in *migro*, *vibro*, *terebro*. Sed neq; necesse est habere exemplum Poetæ corripientis, sufficiunt enim tres prædictæ conditiones, vt maneamus in possessione huius priuilegij.

Appendices ad Regulam Quinque.

1. Si vocalis præcedens duas consonantes, aliunde sit longa, siue natura sua exemplis cognita, siue diphthongo, siue alia quapiam de causa, Positio eam non facit longam, sed confirmat in sua quantitate; Quare vt aduertit cum Probo Emmanuel noster, talis syllaba deberet, rigidè loquendo, dici longa non tàm positione, quàm alia de causa. Quia tamen Positio factura fuit eam longam, si non fuisset aliunde, & nouo titulo longam reddit, ideò non sunt reprehendendi tirones, qui vbi viderint Positionem, syllabam positione productam asserunt, non despicientes sit ne longa aliunde, necne.

2. Vim duplicis consonantis habent X, quia conflata est ex CS, vel GS, vt *Dux*, *Ducis*, *fax*, *facis*, *lux*, *lucis*, *grex*, *gregis*, *lex*, *legis*, *nex*, *necis*, *Rex*, *Regis*, *Phryx*, *Phrygis*, *styx*, *stygis*, *vox*, *vocis*, quamuis non semper ex casibus obliquis id discernatur, vt in *nix*, *niuis*; Z. autem conflata est vel ex SD, vt quidam Grammatici Græci putant, vel potius ex duabus SS, vt censent Diomedes lib. 2. & Priscianus lib. 1. nam veteres pro *Patrizo*, *Platonizo*, *Græcizo*, *pitizo*, *maza*; dicebant *Patrisso*, *Platonisso*, *Græcisso*, *pitisso*, *massa*. Apud Græcos tamen præter ξ, & Z, etiam ψ, est duplex conflata ex BS, vel PS, vt in ἄψαψ. ἄραβος. λαῖλαψ, λαίλαπος Demum apud Latinos I, consonans inter duas simplicis dictionis vocales habet vim duplicis, ob crasim latentem in illa; prisci enim duplicabant I, in his *Maiius*, *maiior*, *peiius*, *Pompeiius*, *eiius*, *aiio*, & similibus, teste Quintiliano, & Prisciano lib. 1. esto Vossius lib. 1. cap. 22. latere in his

Græ-

Græcam diphthongum putet.

Dixi, si simplex sit dictio in illis syllabis, in quibus scilicet tres sunt vocales, interiacente I, consonante; nam si dictio ibi sit composita, raro I, consonans habet vim duplicis, cum ante illam corripiatur præcedens vocalis in *bijugus, trijugus, quadrijugus, multijugus, iureiurando, anteiuuo, multiocus*, & similibus. An autem in Reijcio producatur prima, eò quod I, habeat vim duplicis, aut ob necessitatem, & concursum plurium breuium, vt in *reliquias, Religio, retulit*, controuersum est; certum tamen est, aliquando vnam ex duabus I, elidi, vt præcedens syllaba possit corripi, cuius rei exempla in Indice nostro habes in *abicit, adicit, subicit*, pro *abijcit, adijcit, subijcit*; In illo autem Virgiliano versu:

Tityre pascentes à flumine reice capellas.

Sic abiecta est altera I, vt vi Synæresis prima sit producta, at illud Virgilij 5. Æneid.

Ore reiectantem, mistosque in sanguine dentes:

alij legunt *Ore eiectantem.*

3. Sunt qui putant V, consonantem habere vim duplicis, eo quod producatur prima in his *fleui, foui, Mauors, nauis, luuit* præteritum priscum, pro *luit*; sed falluntur, cum sit breuis in *auis, cauus, fauor, lauo, Iouis, iuuo, moueo, nouus, pauor, voueo*, & cæteris innumeris. Aliunde igitur in alijs longa est, nempe aut exemplo, aut quia sunt præterita dissyllaba, &c. In principio autem Virgiliani illius versus.

Fluuiorum Rex Eridanus.

Spondeus est, quia I, beneficio synęresis facta consonans, cum V, consonante positionem efficit. Sæpe enim apud Poetas I, & V, quæ alioquin essent vocales, beneficio Synæresis, in vnam cum sequente vocali syllabam coeuntes, euadunt consonantes, quare si præcedat consonans altera, positionem efficiunt, sic dissyllaba fiunt, *tenuis, genua, renuit*; & trisyllaba hæc; *abiete, aciebus, ariete, arietat, pituita, sinuatus, tenuia*, de quibus Indicem nostrum consule; Prima denique in prisco *fluuidus*, producitur, quia deriuatur à prisco item præterito dissyllabo *fluuit*, cuius prima longa, vt in *luuit, nuuit*, cæterisque præteritis dissyllabis non exceptis, nec sequente vocali.

4. Si duplex consonans sit in principio sequentis dictionis, & dictio præcedens desinat in vocalem natura sua, vel aliunde breuem; hæc plerumque breuis remanet apud Poetas plerosque, cuius rei extant innumerabilia

bilia exempla, sed sufficit aliqua indicasse; ineunt itaque Hexametrum, aut Pentametrum, vt infra:

Virg. 2. Æneid.	*Ossa tremor.*
6. Æneid.	*Phœbe graues Troiæ.*
11. Æneid.	*Ponite spes sibi quisque suas, &*
	Mille trahit varios.
Lucretius	*Tenuia sparsa.*
&	*Libera sponte sua.*
Ouid. 1. Art.	*Altera Scylla maris.*
Manilius lib. 4.	*Tertia forma stetit.*
Propertius lib. 4.	*Consuluitq; Striges.*

Vel Hexametrum claudunt vt infra; aut Pentametrum.

Lucretius	*Mollia strata.*
Horatius Sat. 5. l. 1.	*Ridentes præmia scribæ.*
& Sat. 3.	*Procurauero stultus amici.*
Lucanus lib. 2.	*Super æquora Xerxem.*
&	*Omnia præceps.*
&	*Famularum brachia planctu.*
&	*Lacerauit Fimbria Crassos.*
Ouid. 2. Metam.	*Claris lucente Smaragdis.*
In Ariadn. ep.	*Bellua strauit humi.*
Statius Syl.	*Componere crines.*
Virgil. 2. Æneid.	*Concretos sanguine crines.*
3. Æneid.	*Nemorosa Zacynthos.*

Quibus, & pluribus alijs consideratis Martianus Capella illud pronunciare non dubitauit: *Proximi sermonis consonantes nihil adiuuant præcedentem.*

5. Sæpe tamen particula *que* coniunctiua, ob duplicem consonantem in principio sequentis dictionis euadit longa, tum vi Cæsuræ, tum positionis extraordinariæ, vt in Ecloga 4. Virgilij.

Terrasque, tractusq; maris, cœlumq; profundum.

Et alijs, de quibus vide versus 564. 565. 570. 590. 625. 675. 1073. sed & aliæ syllabæ terminantes dictionem vocali de se breui, euadunt aliquando longæ beneficio tum cæsuræ, tum positionis in principio sequentis dictionis, vt apud Ouidium 5. Tristium.

Nil opus est morte pro me sed amore, fideq.

Et Iuuenalem Satyra 8.

Occulta spolia, & plures de pace triumphos.

Et Martialem lib. 5. Ep. 70.

Quid gladium demens Romana stringis in ora.

Et Gratium de Venatione.

Vulpina species tamen hic exacta voluntas.

Sed ne bis idem repetamus, vide horum alia exempla sele-

selecta in partis Nonæ versibus 391. 420. 501. 1194. 1205. 1378. 1586. 1777. 2090. 2775. præter alia quæ ex Catullo promit Vossius lib. 2. de Arte Grammatic. c. 15.

Quædam tamen vi solius positionis in principio sequentis dictionis positæ producuntur, vt in Virgilio 9. Æneid.

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.

Appendices ad Exceptionem Tres.

I. Vt exceptio de Muta, & Liquida, valeat ad reddendam præcedentem syllabam communem, non est necessarium Poetæ probati exemplum; nam communis esset secunda in *tenebris*, *latebris*, &c. etiam si fors tulisset, vt à Poetis producta fuisset semper, ita ferente metro; sed neque necesse est, vt ostendatur natura sua breuis, sed sufficit, si non possit ostendi esse longa. Regulæ enim de quantitate mediæ syllabæ ferè omnes eam breuem statuunt, & reliquas longas reijciunt in exceptiones: Deinde cum syllaba longa duo requirat tempora, & plus requirat, quàm breuis, non est in dubio, multiplicandum tempus, & mora in pronunciando, sed præsumendum pro breuitate, ac facilitate pronunciationis, vt confirmabo Regula vltima huius partis. Quare in dubio relinquenda est Poetis libertas eam producendi, & corripiendi, quam ab antiquo possident.

II. Litteram F, inter semiuocales quidam numerant, at certum est, eam sequente L, & R, efficere frequentissimè communem syllabam præuiam, vt ex Indice nostro constabit in vocabulis *refluus*, *reflo*, *refreno*, *refringo*, *reflecto*, *reflagito*, *refloreo*, *refragor*, *refrixit*. Idem dic de F aspirato, idest de Ph, vt in *Menephron*, *Lycophron*, &c. De quæstiuncula tamen hac fusius Scaliger lib. 1. de causis linguæ Latinæ cap. 15. & Vossius de Arte Grammatica lib. 1. cap. 15. qui cum Prisciano inter semiuocales ponunt F.

III. Liquescunt apud Græcos non solum M, & N, post mutas, sed etiam N, post M, vt in *Polymneia*, *Polymnestor*, *Clytemnestra*, sed etiam PT, & CT, vt in *Ægyptus*, *Dactylus*, imo & liquidæ ante mutas interdum, vel etiã solæ per se liquidæ reddunt syllabam communem, vt in *ἄρης Mars*, *ἀνήρ vir*, *μέλος*, *melos*, quos imitatus est Persius in Prologo Scazontem sic terminans.

Cantare credas Pegaseium melos.

Demum Martialis corripuit secundã in Smaragdo, imitatus forte aliquem Græcorum, præsertim cum D, sit cognata

gnata ipsi T, liquescenti apud Græcos; ait enim lib. 5.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas vno.

Sed de Græcis plura Gretserus cap. 3. Prosodiæ Græcæ, Emmanuel in maiori Grammatica pag. 442. & Franciscus Vergara lib. 4. Grammat. Græc. c. 14.

Regula III. De Vocali ante Vocalem in Latinis Dictionibus.

Vocalis ante vocalem in dictionibus merè Latinis breuis est, vt in *Deus*, *puer*, *fuit*. Si tamen vtraque sit in eadem dictione, & non coeant in vnam syllabam.

Nam si vna sit in fine præcedentis, altera in principio sequentis dictionis, fit Synalœphe; idest prior vocalis, ita cum posteriori coalescit, vt huius sonum, & quantitatem induat, perinde ac si prior per apostrophum elisa fuisset, vel dissimulata; vt in hoc versu

Vidi ego, quæ fuerat quondam fortissima que cur.

Sic dimetiendus est versus, vt ex *Vidi ego*, fiat vnus dactylus,& sonus,quantitasque literæ I, dissimuletur, perinde ac si scriptum esset *Vid' ego*.

Quando autem aliàs coeunt in vnam syllabam, aut fit diphthongus, aut crasis, aut si per se, vel vi synæresis I, & V, euadunt consonantes, non pertinent ad hanc Regulam.

Exceptiones sex, pro quinque Vocalibus.

I. Producitur A, in *aer*, *Caius*, *Cai*, *Maius*, *Maij*, & c. etiam quando I, sequens est vocalis, item in Genitiuis priscis, *aquai*, *animai*, *aulai*, *Egeriai*, *flammai*, *frondosai*, *frugiferai*, *fugai*, *gelidai*, *Gerionai*, *horai*, *Iphianassai*, *Lunai*, *materiai*, *Nepai*, *operai*, *pictai*, *pilai*, *scenai*, *syluai*, *viai*: pro *aqua*, *anima*, &c. nam diphthongum Græcam *ai*, quæ communiter Latinè in diphthongum Æ, vertitur, prisci in dictis casibus vertebant in AI, sed resoluebant in duas vocales, retenta diphthongi quantitate in priore vocali.

II. Producitur E, in genitiuis, datiuisque quintæ declinationis in *ei*, vt in *congeriei*, *diei*, *materiei*, *speciei*, quæ prisci scribebant sic: *diej*, *speciej*, quamuis in *fidei*, plerum-

rumque corripiatur, & in *rei*, à res, ac *spei*, varietur; producitur & in vocatiuis, *Pompei*, *Vultei*, *Proculei*, & similibus; tum in possessiuis, vt *Priameius*, *a*, *um*, *Semeleius*, *Æneia*, & similibus, tum demum in *hebeu*, dissyllabo, vel *eheu*.

III. Producitur in I, in *Dius*, *dia*, *dium*, & in *fio*, reliquisque ab eo deriuatis nisi sequatur R; vt in Ouid. 1. Trist. Eleg. 7.

Omnia iam fient, fieri quæ posse negabam.

Variatur autem tum in *Diana*, tum in genitiuis, *illius*, *ipsius*, *istius*, *nullius*, *neutrius*, *solius*, *totius*, *ullius*, *vnius*, *vtrius*; quæ tamen in prosa producuntur; At in *aliùs* semper producitur vtrobique, in *alterius* autem variatur in versu, sed in prosa corripitur; quære horum exempla in nostro Indice.

IV. Variatur O, in ohe, & in O, interiectione sequente dictione à vocali inita, vt in *O Alexi*, *ò ego*, &c. Nec enim solet elidi, sicut nec *ah*, *vah*, *proh*, vt retineatur affectus harum interiectionum.

V. Variari potest V, in præteritis *luit*, *pluit*, *annuit*, *ruit*, *fuit*, *induit*, *imbuit*, &c. ad differentiam præsentium, in quibus corripitur, nam Varro lib. 2. de Analogia, & Priscianus lib. 10. hæc præterita producenda docent, & ita fecisse Priscos, in *annuuit*, *luuit*, *pluuit*, geminando V, disces ex Indice at posteriores Poetæ corripuerunt.

VI. Si Græcolatina sint vocabula, esto non spectent ad hanc Regulam, memineris tamen longam esse vocalem quotiescunque Græcè scribitur per η, vel per ω, vel per ει, vt in Deiphilus, Troes, Oreas, Græcè Δηΐφιλος, τρῶες, ὀρειάς; Sed de his plura in Regula sexta.

Appendices Quatuor.

I. Præpositiones *de*, *se*, & pronomina *me*, *te*, *se*, in compositis sequente vocali, nisi per synæresim contrahantur, variantur; aliquando enim producuntur retenta natiua earum quantitate; aliquando vi Vocalis ante Vocalem corripiuntur; Habes exempla in Indice nostro in *dehisco*, *deosculor*, *dehortor*, *deesse*, *deuro*, *deorsum*, *deinde*, *dehinc*, *seorsum*, *seipsum*. *Pro* tamen, & *co*, pro *con*, solent corripi, vt in *prohibet*, *cohæres*, coortus.

II. Quando fit Dialœphe, seu vitatur Synalœphe, vocalis in fine præcedentis dictionis, etiam si non sit aliunde breuis, potest euadere breuis, ob vocalem initialem sequentis dictionis, esto id non sit necessarium, vt in versu Virgiliano *qui*, & *te* corripiuntur Ecl. 8.

Cre-

Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

Et 6. Æneid.

Nomen, & arma locum seruant, te amice nequiui.

At in *pecori*, & *perij* producitur ab eodem in Eclogis 3. & 8.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis;
Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.

Plura alia exempla dabimus parte Nona in Versibus 250. 363. 527. 530. 531. 544. 549. 551. 552. 553. 558. 559. 567. 568. 571. 583. 584. 598. 603. 615. 626. 629. 634. 638. 650. 666. 681. 685. 688. 695. 696. 708. 715. 794. 812. 917. 1051. 1111. 1124. 1125. 1129. 1185. 1442. 1673.

III. *Chorea, Malea*, & *Platea* communem habent penultimam, imitatione Græcorum, qui in ea sede aliquando retinent diphthongum ει; aliquando Ionicè abiecto Iota, retinent ε breue. Sed de vocalibus dictionum Græcolatinarum expedit distinctam Regulam tradere, quod fiet Regula VI.

IV. Synalephem factam inueni in *heu*, & in vocatiuo *Lynceu*, sequente vocali, de quibus consule Indicem nostrum.

Regula IV. De Diphthongo, & Crasi.

DIphthongus longa est tam apud Græcos, quàm apud Latinos. Est autem Diphthongus, duarum diuersæ speciei vocalium in vnam misti soni syllabam conspiratio.

Diphthongi Latinorum ordinariæ sunt quatuor, nempe AE, OE, AV, EV; vt in his vocabulis, *Æneas, Melibæus, Aurelius, audio, Eugenius, heus*.

Diphthongi Græcorum propriæ sunt sex; videlicet αι, αυ, ει, ευ, οι, ου vt in his nominibus, *αἰνείας, Æneas, ἀγαύη, Agaue; πλειάς, Pleias; παρασκευή, Parasceue; κενοτάφιον, Cænotaphium; ἀμαθοῦς, Amathus, vntis.*

Diphthongi autem impropriæ Græcorum item sex; nempe ηυ, ωυ, υι; & ᾳ, ῃ, ῳ, idest *Alpha, Ita*, & *Omega*, cum *Iota* subscripto.

Exceptiones Duæ.

I. Prima in *Mæotis*, & Præpositio *Præ* in compositione sequente vocali, communes sunt, vt in *præustus, præacutus, præiret, præordinat, præoccupat, præoptat*, de quibus Indicem consule.

II. Com-

II. Communis est prima in *Chiragra*, & *Chirurgus*, & penultima in adiectiuis *Hectoreus*, *Dedaleus*, *Cyclopeus*, &c. licet enim communi dialecto scribantur per ει; Ionicè tamen per ε, vt in *Chorea*, *Malea*, *Platea*. Sed hæc spectant ad regulam VI. cum sint Græcolatina, hic vero sermo sit de latinis tantum. Nec tamen hæc obliti videremur, reindicanda duximus.

Appendices Sex.

I. Duarum vocalium in vnam syllabam coalescentia, quatuor fit modis, nempe *Diphthongo*, *Crasi*, *Synæresi*, *Synalœphe*. Iam vt sit Diphthongus requiritur, vt duæ vocales sint diuersæ speciei, & vt sic retineant naturam vocalis, vt vtriusque sonus ex parte audiatur, alioquin si sint eiusdem speciei, erit Synæresis mera, vt in monosyllabis his, *Dijs*, *ijs*, *deest*, & in his dissyllabis, *ijsdem*, *prehendo*, *deerit*; Sed nec diphthongus est, si I, & V, euadant consonantes, vt in *adiacet*, *aio*, & in dissyllabo *tenuis*. Si verò non pronuncietur nisi vnius vocalis sonus, & alterius sonus omnino dissimuletur, aut *Synalœphe* erit, aut *Crasis*; *Synalœphe* quidem si vocalis, quæ subticetur, sit in fine dictionis præcedentis; *Crasis* autem si vtraque in vnicam contrahatur, vt dicetur app. 3. Et si ergo non omnis Synæresis est diphthongus, illi tamen æquiualet in producenda syllaba, & duorum temporum mora inducenda.

II. Diphthongi Latinorum extraordinariæ sunt aliæ quinque; nempe EI, OI, VI, OV, YI; Primæ exempla habemus in *hei*, & in priscis illis *queis*, *capteiui*, *omneis*, *plureis*, *monteis*, pro *quibus*, *captiui*, *omnes*, *plures*, *montes* &c. de quibus Quintilianus lib. 1. cap. 7. & Gellius lib. 13. cap. 19. & 24. Secundæ exemplum est in *hoi*, & priscis *quoi*, *quoius*, pro *qui*, & *cuius*. Tertiæ exemplum est in monosyllabis, *cui*, *hui*, *huic*; & in *Luitprandus*. Quartæ exemplum est in *prout*; Quintæ in *Harpyia*, trisyllabo, *Ilithyia*, quadrisyllabo, pro quibus etiam ponuntur *Harpuia*, *Ilithuia*, sed sextam quoq; VE, agnosco in *Antuerpia*, *Suetonius*, *Suenus*, *Mopsuestia*. Harum quasdam sic receperunt noster Emmanuel, & Vossius lib. 2. cap. 2. vt reliquas non memorent, nec damnent.

III. Crasis est duarum, pluriumue vocalium in vnicam, vniusque soni syllabam contractio, seu inclusio, quoniam autem sic contrahuntur, vt tamen includatur abiectæ vocalis vis in vocale altera, quæ retinetur, & hæc temporibus saltem duobus æquiualeat; ideo syllaba

loa-

longam reddit, non secus, ac diphthongus, vt in *bobus*, *bucula*, *corus*, *cotes*, *cogito*, *cogo*, *biga*, *iunior*, *malo*, *mi*, *nil*, *quadriga*, *tibicen*, pro *bouibus*, *bouicula*, *caurus*, *cautes*, *coagito*, *coago*, *bijuga*, *iuuenior*, *mauolo*, *mihi*, *nisi*, *nihil*, *quadrijuga*, *tibijcen*; vbi vides extritam esse quandoque consonantem inter duas vocales antequam fieret Crasis. Sic in Lucretio Crasis est, si *coperisse*, pro *cooperisse* legas, & in Horatio si *vemens*, pro *vehemens*, & in Actio si *conestant*, pro *cohonestant*. Est demum Crasis in præteritis illis, *morunt*, *norunt*, *flerunt*, *flarunt*, pro *mouerunt*, *nouerunt*, &c. Sic in *noris*, pro *nouerit*, *moris*, pro *moueris*. At Virgilius in *grauеolentia* crasim fecisse videtur in secunda, & tamen eam corripuit, sed legenda sunt separatim *graue*, & *olentia*, facta tamen Synalœphe.

IV. Diphthongi in fine dictionis, sequente vocali in principio sequentis vocabuli, non raro corripiuntur à Græcis, & aliquando à Latinis, esto aliàs producantur, quare in hoc casu communes sunt. Iam dedi in Appendice secundæ Regulæ præcedentis exempla in Versibus 593. 618. 2477. in quibus Hexameter desinit in *Rhodopeia Arces*, aut incipit ab *Insulæ*, & in *Ionio*, *Insulæ ore*, neglecta in his Synalepha. Errorem tamen puto corripere primam in *hæresis*, & in *ænigma*, & in *sphæra*; esto aliqui Poetæ, sed non primæ Classis, sic fecerint, vt & secundam in *Idume*, *rhomphæa*, quorum exempla ex Indice nostro reperta, non imitabere.

V. Græcorum Diphthongi Latinè vertuntur, vt infra sic αι in *ae*, Μαίανδρος, παίαν, Μουσαῖος, in *Mæander*, *Pæan*, *Musæus*, & aliquando in ai, vt αἴαξ Μαῖα, in *Aiax*, *Maia*; quo reducuntur prisci illi genitiui, *aulai*, *Lunai*, *pictai*, *terrai*, &c. Sed & pro *Æmylius* vsurparunt, *Aimylius*; & pro *Diuæ*, *Diuai*.

ει vertitur aut in E, longum, absque diphthongo, vt Ὀρειάς σπονδεῖος ἀλφειός, πηνειός, in *Oreas*, *spondeus*, *Alpheus*, *Peneus*, aut in I longum, vt κλειώ, νεῖλος παράδεισος, δαρεῖος, in *Clio*, *Nilus*, *Paradisus*, *Darius*, vel vtrouis modo, vt ἀλεξάνδρεια, ἀπάμεια, πλειάς, in *Alexandria*, & *Alexandrea*, *Apamia*, & *Apamea*, *Plias*, & *Pleias*, vel *Pleias*, aliquando tamen vertitur in ε, dialecto Ionica, vt in χειράγρα, *Chiragra*, & χειρουργος, pro quibus χεραγρα, & Latine *Cheragra*, *Chirurgus*; quamuis retento vestigio totius Græcæ diphthongi resoluatur aliquando sic vt ε, transeat in E longum, vt in *Pleias*, trisyllabo *Pleiades* quadrissyllabo, *Elegeia* quinquessyllabo, Græcè enim est ἐλεγεία, & alias his similia Græcè modo per ει, modo per ε; Ex

ε; Ex huius diphthongi imitatione sunt prisca illa, *queis*, pro *quibus*, *arteis*, *capteiui*. pro *artes*, *captiui*, &c.

αι, in OE, vt κοινόβιον, χοροῖβος, φοῖβος, in *Cœnobium*, *Corœbus*, *Phœbus*; Sic ποίνη & φοῖνιξ, οἰνώνη in *pœna*, *Phœnix*, *Oenone*. Prisci tamen aliquando pro V, longo, vel I, vsurpabant OI, velut imitantes hanc diphthongum; sic in monumentis vetustis leges, *Coira*, *loidos*, *oite*, *quoi*, pro *cura*, *ludos*, *vti*, *qui*, ijdem dixere *proilium*, pro *prælium*.

αυ vertitur in *au*, vt αὖλις, παῦλος, ναυμαχία, ἠσαῦ, in *Aulis*, *Paulus*, *naumachia*, *Esau*, sed ita vt aliqando V, sonet vt consonans, vt ἀγαύη, ναυάγιον, *Agaue*, *nauigium*.

ευ vertitur in *eu*, εὖγε, εὐγένιος, εὖρος, λευκοθόη, in *Euge*, *Eugenius*, *Eurus*, *Leucothoe*. Sed & hic aliquando *u* consonantem sonat, vt in εὔα, εὐαγγέλιον, εὔανδρος, λευί, *Eua*, *Euangelium*, *Euandrus*, *Leui*. Hic memento vt dissyllaba facias hæc *Orpheus*, *Perseus*, *Proteus*, *Theseus*, *Tydeus*; & trissyllaba *Briareus*, *Salmoneus*, *Achilleus*, & his similia, quæ desinunt Græcè in ευς, vt vocatiui in ευ, vt *Orpheu*, *Proteu*.

ου, vertitur in *u* plerumque longum, vt αἴλουρος κλεόβουλος, παλίνουρος θεόδουλος οὐρανία in *ælurus*, *Cleobulus*, *Palinurus*, *Theodulus*, *Vrania*. Prisci huius diphthongi imitatione vsurparunt, *Loumen*, *noumen*, *nouncius*, *ioure*, *ioustitia*, pro *lumen*, *numen*, *nuncius*, *iure*, *iustitia*. Rarò autem vertitur in V breue, & tunc V, potius stat pro Y. vel O; vt in *Hecuba*, *Tibur*, *Atabulus*, nam pro ἑκούβα, & τίβουρ, scribitur quoque ἑκύβα, & τίβυρ. Latinum tamen V, etiam quando breue est, Græci vertunt aliquando in ου, vel in υ, vt *Perusium*, & *Perusinus*, in περούσιον, & περύσιας, per errorem autem correpta est à non nemine penultima in *Idume*, & *Cherubim*, non obstante ου. Porro de æquiualentia soni literarum V, & Y, vide infra appendicem 4. de finitis in I, vel Y.

Impropriè autem diphthongi vertuntur vt infra υι. in yi, vel in vi, vt in *Harpyia*, *Ilithyia*, *Orithyia*, *Cœnomyia*.

ᾳ, idest alpha cum Iota subscripto, in A longum, vt μνᾳ θρᾴκη, in *Mna*, *Thrace*.

ῃ, nemphe ita cum Iota subscripto, in I, vel in E. longum.

ῳ, idest Omega cum Iota subscripto in oe, vt in *aulœdus*, *Comœdus*, *citharœdus*, *tragœdus*, quæ Græcè desinunt in ῳδος.

Denique ηυ, in *eu*: & ωυ in *ou*, vertuntur.

VI. Quoad Hebraicas diphthongos, constat *Kirechi*, idest,

idest I, post *Kamets*, & *Patach*, idest post A tam longum, quàm breue, constituere diphthongum *Ai*, quare vsurpanda essent vt dissyllaba *Beguai*, *Isai*, *Sarai*, *Tolmai*, *Zachai*, & vt trissyllaba *Berzellai*, *Mardochai*, *Banaias*, *Isaias*, &c. sed *Kirech*, post *Cholem*, idest O longum, & post *Schurek*, idest V longum facit diphthongos, OI, & VI, de reliquis controuersum esse docet Vossius lib. 2. cap. 2. addens *Hesau*, pronunciari ab Hæbræis *Hesaf*.

Regula V. De Vocalium Græcarum, & Hebraicarum quantitatem.

VOcalium Græcarum quædam sunt natura sua breues, quædam longæ, quædam ancipites, seu differentes ex se.

Breues sunt ε, & ο, ideoq; breuis est prima in *decas*, *gelasinus*, *Telamon*, & prima, ac secunda in *hebenum*, *Helena*, *Semele*, *Tenedos*; & penultima in *Aristoteles*, *Diogenes*, *Demosthenes*, *Aristoxenus*, *Eumenes*, quia scribitur per epsilon ε. Similiter breuis est prima in *Chorea*, *Corinthus*, *Polyphemus*, *thronus*, *tonus*, & prima, ac secunda in *opobalsamum*, *rododaphne*, *colocasia*, & penultima in *Christophorus*, *Philoponus*, *Theologus*, *nycticorax*, *antidotum*, *Thersilochus*, quia scribitur per omicron ο.

Longæ autem sunt η, & ω, qua de causa longa est prima in *Cete*, *Democritus*, *Peleus*, *Pegasus*, *theca*, *theriaca*, *Zeno*; & penultima in *diœcesis*, *archiater*, *phronesis*, *problema*, *peripsema*, quia scribitur per η. Similiter longa est prima in *gnomon*, *Gnosis*, *Troes*, *stroma*, *momus*, *Thomas*, *Zona*, *Horeb*, & penultima in *Philantropus*, *Misantropus*, *Lagopus*, *meteora*, *metamorphosis*, *axioma*, *antiphona*, *Salome*, *Debbora*, *Sephora*, *Theodorus*, quia scribitur per ω, quidquid secus imperiti factitent. Ancipites, seu ex se indifferentes, & in aliquibus dictionibus breues, in aliquibus longæ sunt, α, ι, υ.

Exceptiones Duæ.

I. Corripiuntur vltimæ in *Mater*, & *Pater*, licet Græcè desinant in ηρ, & nomina in *or*, tertiæ declinationis, quorum incrementum breue est in oris, esto in casu recto desinat in ωρ, vt *Crantor*, *Hector*, *Nestor*, κράντωρ, ἕκτωρ, νέστωρ.

II. Quædam ratione diuersæ Dialecti, mutant vocales in alias vocales, aut diphthongos, de quibus consule Appendicem secundam infra.

Ap-

Appendices Quatuor.

I. Vocales Græcorum Latinè vertuntur sic.

α in *a*, & rarò in *e*, vt τάλαντον, in *talentum*.

ε in E, breue.

η vel in A longum, vt ἀσκλήπιος, γρήνικος, μηχανὴ, σίνηπι, in *Æsculapius*, *Granicus*, *Machina*, *Sinapi*, vel in E longum, vt πρόβλημα, δίρκη, μελπομένη, in *Problema*, *Dirce*, *Melpomene*, vel in I longum, vt ἐνέργημα, in *Energima*, aut vtroque modo, vt ἠσαΐας, θῆτα, in *Esaias*, & *Isaias*, *theta*, & *thita*, sed multo melius in E.

ι, in I.

ο, in O breue, aut in V consonantem, vt δῆλος, κόρινθος, in *Delus*, *Corinthus*, vel poeticè in *Delos*, *Corinthos*.

υ, in y, aut in V, vt κοτυλὴ, κύμινον, κοθόρνος, ρῶμυλος, περύσιας, in *cotyla*, *cyminum*, vel *cuminum*, *cothurnus*, *Romulus*, *Perusia*.

ω, in O longum, vt θωμᾶς, θεόδωρος, in *Thomas*, *Theodorus*.

II. Dialectus idest species idiomatis propria; fuit apud Græcos diuersa pro varietate Prouinciarũ, sed præcipuæ fuere quinque, videlicet *Communis*, qua vsus est frequenter Pindarus, & *Attica*, qua Athenienses; Plato, Aristophanes, &c. & *Æolica*, qua Alcæus, & Sappho; & *Dorica*, qua vsi sunt Bacchylides, Ibycus, Simonides, Theocritus, & aliquando Pindarus; & *Ionica*, qua Hippocrates, Herodotus, & plerumque Homerus, Hesiodus, Archilochus, Anacreon.

Addunt his *Cretensem*, qua Cypselus; & *Laconicam*, qua Alcmæon vsus est; Ex his perpauca indicabo, quæ vsui esse possint pro defensione Poetarum insigniorum, si quando quantitatem Vocalium Græcarum ratione Dialecti mutasse videbuntur; quædam alia addendo pro nominum declinatione ad metrum pertinentia.

Ex Attica Dialecto.

Attici aliquando vertunt η in ε, & ε in υ, qua ratione correptã primam crediderim in *Crepida* ab Horatio, & in *Eriphili* à Virgilio, in *Pelagona* ab Ouidio, in *Terei* à Martiali, in *Tethys* à Seneca, in *Cybele* ab alijs, quamuis cõmuni Dialecto scribantur κρηπὶς, ἠριφύλη, πηλάγονα, τήρευ; Sic variatur secunda in *Nereis*, *idos*. Vertunt ijdem nomina αος, in ως, vt Μενέλαος, Μενέλεως, Νικόλαος, Νικόλεως, genitiu. Meneleo, Nicoleo, vt Androgeo, &c. & genitiuos rectorum in ιος, qui communiter flectũtur in

εος, Atticè declinantur in εως, vt pro ἀχιλλέος, οὐδυσσέος, vſurpant ἀχιλλέως, οὐδυσσέως, &c. Sic genitiui Ionici in ιος, vt ὄφις, ὄφιος, ab Attici vertuntur in εως, vt ὄφεως, ſic πόλιος, in πόλεως.

In patronymicis quoque fœmininis pro νηρηίδα, dicunt νηρῆδα, & pro νηρηΐδας, νηρῆδας.

Ex Aeolica Dialecto.

Aeoles autem præ alijs inſignes mutationes, infraſcriptas vſurpant, videlicet.

αι, in α, ſi ſequatur vocalis, vt pro ἀλκαῖος, ἄλκαος.

ο, in ω vt pro ὅμοιον, ὤμοιον.

ω, viciſſim in ο, vt pro ὥρα, ὄρα. Fortaſſe igitur hac ratione excuſabis eos, quos in Indice noſtro videbis corripuiſſe primam in *Orion, Protei, Troia*, triſſyllabo, *Scoria, Stoicus*, & ſecundam in *Cichorea, conopeum, Geometra, Heroicus, Sidonius, Ionius, Edonis, Octophorus*, licet ſcribatus per ω. Sed & vocatiuos communes in ων à rectis in ων, quorum genitiuis eſt in ονος, Aeoles vertunt in ον; vt pro ὦ ἀηδών, ὦ χελιδών, dicunt, ὦ ἀηδόν, ὦ χελιδόν.

υ, in ι, vt pro ὕπαρ, ἴπαρ.

ο, in υ, vt pro ὄμφαλος, ὔμφαλος.

ου, in ω, vt pro μούσας, μῶσας.

ει, in η, vt pro κυθάρεια, κυθαίρηα, quamuis aliquando abiecto Iota geminent ſequentem conſonantem, vt pro ἔπειρος, dicunt ἔπιρρος.

ης, rectos caſus in α, vt ἀρχίτης in ἀρχίτα.

ες, vocatiuos à nominatiuis in ης, vertunt in ε; vt pro ὦ σωκρατες, dicunt ὦ σωκρατη, &c.

εος, genitiuos communes à rectis in ευς, antiqui Aeoles vertebant in ηος, ſed recentiores in ειος, & pro ὀρφέος, dicebant illi ὄρφηος & hi verò ex ὄρφειος; quod & Iones fecere, ſed penultimam anflectendo, vt mox dicemus.

Ex Dorica Dialecto.

Dores porrò vertere conſueuerunt.

ε, in α. vt pro ἄρθεμις, ἄρταμις.

ευς, rectos caſus vertunt in ης, & declinant per primã ſimpliciũ, vt pro ὀρφεύς, ὄρφης, & pro ἀχιλλεύς, ἀχίλλης, ſic in vocatiuo, pro ὀρφεῦ, ἀχιλλεῦ, dicunt ὄρφη ἀχιλλη.

εος, genitiuos rectorum in ευς, vertunt in εῦς, & pro τοῦ ἀχιλλέος ὀρφέος, dicunt ἀχιλλεῦς ὀρφεῦς.

ου in ω, ſicut Aeoles, & pro μουσας, dicunt μῶσας vel in ο. vt pro πώλυπους, πώλυπος, & pro οἴδιπους οἴδιπος.

η, in α longum ἰητρος ἰατρος, medicus, & pro ἥλιος,

ſol, ἅλιος; & pro σελήνη, luna, σελάνα, & pro μηκέδανος, μακέδανος, & pro σηκίτης, σακίτης.

Ex Ionica Dialecto.

Iones demum.

α rectorum caſuum in η, & pro μοῦσα, ἠλέκτρα, &c. dicunt, μούση, ἠλέκτρη, &c. qua ratione excuſabiles ſunt, qui producunt vltimam in nominatiuis, Electra, Hypermeneſtra, Rhea. Sic pro τιτὰν, τιτὴν, & pro ἰατρὸς, ἰητρὸς, & pro ναυάγιον, ναυήγιον, naufragium, & τρηχὶς, pro τραχὶς.

ε, in ει, apud poetas, vt pro χείραγρα, χέρυργος, ἐκτόρειος, & ſic de alijs pluribus adiectiuis ſimilibus, *Cyclopeus*, *Dedaleus*, *Boreus*, *Neſtoreus*, *Pegaſeus*, *Typhæus*, &c. quæ communem habent penultimam, quia communi Dialecto per ει, ſcripta producuntur, ſed Ionicè per ε, corripiuntur. Communis eſt quoque prima in *Leander*, qui ſcribitur per ει; & Ionicè per ε, & ob eandem rationem penultima in *Chorea*, *Alea*, *Vrbes*, *conopeum*, *malea*, & *Platea* communis eſt.

α, in ω, vt pro ἄριστον, ὤριστον.

ε, in η, vt in accuſatiuis, *Briareum*, *Cepheu*, *Ilionea*, *Idomenea* penult. longa.

ο, in ου, vt pro νόσος morbus, & ὄρος, mons vſurpant νοῦσος & οὖρος.

Sic pro πόλυπονης, & πολύδαμας, vſurpant Poetæ πολύπους, πουλύδαμας.

ιος, genitiuos cum incremento à rectis in ις, vertunt in εος, vt pro ὄφιος, πόλιος, τέρψιος, vſurpant ὄφεος, πόλεος, τέρψεος.

αυ, in ω, vt pro θαῦμα, miraculum, & θαυμαντίας, adhibent θῶμα, & θωμαντίας.

ευς nominatiuorum genitiuos communes εος, vertunt in ηος, vt βασιλευς, βασιλεος, vertunt in βασιλῆος, ſic pro ὀρφέως, ὀρφῆος & ſic pergunt in obliquis caſibus dicentes in datiuo pro βασιλεῖ, βασιλῆι; & in accuſatiuo pro βασιλέα, βασιλῆα. Recentiores tamen Iones, vſurpant obliquos hoſce βασιλεῦσι βασιλεῦι, βασιλεῦ.

ου, genitiua in εω, & ους, genitiua in εως; Sic pro ξέρξου, vſurpant ξέρξεω, & pro δημοσθένους, δημοσθένεος.

Caueas tamen ne hoc indicio abutaris, & errata Poetarum inferioris ſubſellij ab imperitia Græcæ linguæ orta excuſare contendas prætextu Dialectorum.

III. Nomina Græcolatina, quorum rectus caſus eſt in ευς, communi dialecto ſpectata, inſignem diuerſitatem for-

ſortiuntur tum apud Græcos, tum apud Latinos. Nam in recto aliquando per figuram Dialyſin reſoluta diphthongo EV, in duas ſyllabas, *Orpheus*, quod erat diſſyllabum, euadit triſſyllabum, vt apud Virgilium in culice bis. Aliquando autem formantur in ES, & pro *Achilleus, Vlyſſeus*, dicitur *Achilles, Vlyſſes*, & in obliquis declinantur modò per ſecundam, modò per tertiam, diciturque *Vlyſsis, Achillis*, & *Vlyſſei, Achillei*, tum trium, tum quatuor ſyllabarum: Sic Horatius lib. 1. Quadriſyllabum fecit Vlyſſes, dicens:

Nec curſus duplicis per Mare Vlyſſei.

At Virgilius 1. Æneid. triſſyllabum fecit Achillei.

Troas, reliquias Danaum, atque immitis Achillei.

Verùm apud Græcos, vt adnotat Gretſerus lib. 1. cap. 5. miram ſuſcipit varietatem in obliquis, quod vel vnico in nomine ἀχιλλεὺς patet; nam declinatur ſic.

	Genitiu.	*Datiu.*	*Accuſat.*	*Vocatiu.*
Communiter	Ἀχιλλέος	Ἀχιλλέϊ	Ἀχιλλέα ὦ	Ἀχιλλεῦ
Atticè	Ἀχιλλέως	Ἀχιλλέϊ	Ἀχιλλέα ὦ	Ἀχιλλεῦ
Ionicè antiquitus	Ἀχιλλῆος	Ἀχιλλῆϊ	Ἀχιλλῆα	
Ionicè recentiùs	Ἀχιλλεῦος	Ἀχιλληῦι	Ἀχιλλεῦα	
Æolicè antiquitus	Ἀχίλληος	Ἀχίλληι	Ἀχίλληα	
Æolicè recentiùs	Ἀχίλλευος	Ἀχίλλευι	Ἀχίλλευα	
Doricè	Ἀχιλλεῦς			
Bœoticè	Ἀχιλλίες			
Ionicè contractè	Ἀχιλλῆς	Ἀχίλλῆ	Ἀχίλλῆ	

Sed & Doricè hæc nomina declinantur à recto ης, ſic ὄρφης; accuſatiui ὄρφην.

IV. Hebraicarum quoque Vocalium quantitas ſtata, ac firma eſt, ſed pro vnaquaque noſtrarum, habent ipſi geminas, vnam longam, alteram breuem, aut etiam breuiſſimam, quarum nomina ſunt infraſcripta.

	Longæ	Breues	Breuiſſimæ
A	*Kametz.*	*Patàch.*	*Cateph patach.*
E	*Tsère.*	*Segòl.*	*Cateph Segòl.*
I	*Kirekgadol.*	*Kirekkatòn.*	*Catheph Scheuà.*
O	*Cholem.*	*Kametſchatùph*	*Cateph Scammetz.*
V	*Schurek.*	*Kibbùtz.*	

Qui Hebraicè non norunt, poſſunt tamen quantitatem nominum expiſcari à Græcis, qui Hebraica vertunt, vt à

Sep-

Septuaginta Interpretibus, qui vetus Testamentũ Græcè reddiderunt, vel ab ijs Euangelistis, qui nouum Testamentum Græcè scripserunt, vel à Suida, & cæteris huiusmodi, apud quos videas secũdam in *Genesar* per η, & in *Iairus* per υ, & *Debbora*, *Sephora*, *Seorim* per ω scribi, quod indicium est Hebraicarum longarum.

Regula VI. De Vocali ante Vocalem in Dictionibus Græcolatinis, & Hebraicolatinis.

I. VOcalis ante Vocalem in dictionibus Græcolatinis, aut Hebraicolatinis, si substituta sit pro vocalibus breuibus ε, vel ο, breuis est; Si pro longis η, & ω, vel pro diphthongis, longa; Si pro ancipitibus aliquando breuis, aliquando longa est, in diuersis vocabulis, quorum exempla subijcere libet.

ε, breuis est propter ε, secundam in *Choreas*, *Crateas*, *Cyneas*, *Demeas*, *Praxeas*, *Thraseas*, *atheus*, *Timotheus*, idemq; putat Emmanuel de *Andreas*, & *Idea*; esto acutè pronuncientur ob accentum in ea sede, & ob necessitatem; produci posset, sicut secunda in *Matthias*, quia clausa est inter duas longas. Adde breuibus obliquos casus nominum in ευς, vt *Orpheos*, *Orphea*, *Persea*, *Prothea*, *Thesea*, *morpheos*, *metamorphoseos*, &c. at prima in *Rhea* corripitur, si est Saturni vxor, producitur, si Romuli Mater.

ο, breuis item propter ο, penultima in *Lacoon*, *Demophoon*, *Pirithous*, *Simois*, *Arsionoe*, *Leucothoe*.

η, longa verò propter η, est prima in *Ceyx*, *Deiphilus*, *Deianira*, *Deiphobus*, *Deidamia*, *Deois*, *Theius*, *Threijcius*, & penultima in substantiuis *Echeneis*, *Chryseis*, *Briseis*, & in patronymincis fœmininis, vt in *Danaeis*, *eidos*, *Æneis*, *Pimpleis*, *Cythereis*, *Cadmeis*, *Theseis*, *eidos*, &c.

ω, longa item propter ω, est prima in *Troes*, *Troicus*, *Troilus*, *Oarion*, *Zoilus*, *Zoophitum*, & penultima in *Minois*, *idos*; *Bagoas*, *Achelous*, *Deois*, *Enous*, *Lesbous*, *Troas*, *adis*, &c.

ι, longa sunt propter ι, plurima nomina; & primò quidem in *Clio*, *Spio*, *Prion*, *Thiodamas*; penultima verò in

in *Althea, Abazea, Archias, Augias*, vel *Augeas, Alpheus, Arius, bacchius, brauium, choreus, centaurea, cichorea, Darius, Odissea, Peneus, Phoceus, Sperchius, Spondeus, trachea.* Adde his multa fœminarum nomina siue in ea, vt *Amalthea, Alphæsibea, Calliopea, Cassiopea, Cymodocea, Cytherea, Deiopea, Galatea, Medea, Penthesilea, Therpsichorea*; siue in Ia, vt *Adrastia, Astidamia, Deidamia, Hippodamia, Iphigenia, Thalia*. Adde multa nomina artium, vel exercitatiorum habituum, vt *angaria, antipathia, baphia, Chiromantia, Cleromantia, dulia, Elegia, encyclopedia, energia, entelechia, epiphania, Geomantia, Hygia, Idololatria, Ironia, litania, magia, necromantia, peripheria, politia, pyromantia, satrapia sympathia*, quæ per *ι*.

His accedunt nomina locorum, siue in ea, vt *Apamea, Basilea, Casarea, Heraclea, Laodicea, Neocasarea*; Siue in Ia, vt *Alexandria, Arimathia, Lysimachia, Nicomedia, Philadelphia, Samaria, Seleucia*; Siue locorum neutra in *Eum*, vt *Apogeum, Atheneum, Gyneceum, Lyceum, Mausoleum, museum, Odeum, Pallanteum, Pritaneum, Pireum*; siue in *Ium*, vt *Brepothrophium, nosocomium, ichthiotrophium, ornithotrophium, Parthenium, Xenodochium, Myropolium, Thermopolium*, sed in his quando significatur non locus, sed munus, & exercitatio, penultima per Iota breue effertur, vt in *Episcopium, Monopolium*. Adde demum adiectiua in *eus*, & *eum*, quæ malè ab imperitis scribuntur cum diphthongo *ae*, esto sint longa ob diphthongum *ει*, vt *Achilleus, a, um; Orpheus, a, um; Prometheus, a, um; Perseus, a, um; Theseus, a, um.* Item *Apelleus, Ariadneus, Asclepiadeus, Atlantheus, Baccheus, Bellerophonteus, Bereniceus, Chleantheus, Circeus, Ganimedeus, Giganteus, Iambeus, Lycambeus, Lynceus. Meduseus, Orontheus, Pelopeus, Phaethonteus, Simonideus, Thyesteus.* Diximus tamen quædam horum communem habere penultimam, quia licet communi dialecto scribantur per *ει*, Ionicè tamen à Poetis scribantur per *ε*, vt *Boreus, Cyclopeus, Dadaleus, Caucaseus, Gorgoneus, Hectoreus, Hyperboreus, Mamalloneus, Nestoreus, Pergameus, Pegaseus, Stentoreus, Sisypheus, Tantaleus, Tartareus*.

Nota tamen adiectiua à fœmininis, scribi diphthongo *αι*, & latinè *ae*, vt *Larissaus* à *Larissa*, *Aetnaus* ab *Aetna*. Quædam denique resolui in *Eius, eia, eium*, vt *Semeleius, Clymeneius, Cybeleius, Priameius, Danaeius,* &c. antepenultima longa.

II. De Vocalibus Ancipitibus A, I, Y, ante vocales, in Græcolatinis.

A breuis est prima in *aornos, aorta, aedon, Phaon*, & penultima in *Cranaus, Danaus, Oenomaus, Talaus, Pasiphae, Nausichaa, Phocais, Thebais, Chrysaor, Callais*; Longa verò prima in *Aon, Aonius, Aerope, Lais, Nabis, Thais, idos, Thaygeta, Thaygetus*, & penultima in *Amphiaraus, Elais, Panchaia, Ptolemais*, & antepenult. in *Achaia*, tum in nominibus deriuatis à λαὸς populus, vt in *Laocoon, Laidus, Laodocus, Laicus, Laertes, Laodamia, Laomedon, Laodicea*; Vnde etiam deriuantur *Menelaus, Iolaus, Nicolaus, Charilaus, Critolaus, Philolaus, Dorylaus*, &c. penult. longa. Pro quibus tamen Atticè substituuntur penultima breui *Meneleos, Nicoleos, Charileos*.

Longa item penultima in nominibus in *aon*, vt *Amythaon, Cremetaon, Didymaon, Dolichaon, Chaon, Icetaon, Iaon, Lycaon, Machaon, Parthaon*. Sed communis in *Phaon*. Adiectiua in *aius* habent *A*, diuersæ quantitatis, prout deriuantur à longis, vel breuibus. Breuis est in *Callaicus, Phocaicus, Thebaicus*, sed longa in *Achaicus, Athenaicus, Chaldaicus, Spondaicus, Trochaicus, Pharisaicus*. Variant autem *Alcaicus*, & *Iudaicus*; licet ab *Alcao*, ex *Iudæa* sint; nimirum Aeoles pro *Alcaus* habent *Alcaos*; Siue autem hoc nomen *Nais* fiat *Naias* dissyllabum, siue *Naias* trissyllabum, & in plurali numero *Naides*, vel *Naiades*, trium syllabarum, vel *Naiades* quadrissyllabum, semper primam longam retinet.

I. Breuis est primam in *Iambus, Iolchos, Iolaus, Ialysius, Ianassa, Iadera, Hierapolis, Iaon, Iapis, Iapix, Iarbas, Hiarbita, Iasion, Iaspis, iater, ierotheus, Hieronymus, iocasta, iolas, iole, iope, ion, iorcus, Hierax, hiana, Hieroglyphicum, Hierodulus, Hieron, Hierophanta, Hierophilus*. Sed longa, in *iapetus, iasius, iasus, Chion, Chia, Chius, Dia, Dios, Diogenes, Iynx, Pier, Pierus, Pierides, Phthius, Priamides, Iasides, Ionia*, & communis in *io, ius*, sic communis in *iater* medicus.

Breuis item penultima in adiectiuis in *onius*, vt in *Amphionius, Arionius, Lycaonius, Caledonius, Machaonius* &c. & in nominibus Prouinciarum, aut Regnorum, vt in *Asia, Arcadia, Græcia, Italia, Sicilia, Sarmatia, Thracia* &c. & plantarum, vt *euphrasia, colocasia, casia, melampodium, Polypodium*, &c. & in nominibus tum virorum in *ias*, vt *Lysias, Gorgias, Etesias, Sosias, Prusias*;

tum multorum in *Ia*, vt *Maria*, *Lucia*, *Euphrasia*, *Therasia*, *Theresia*, *Eudosia*, *Anastasia*, sed communis in *sophia*, longè etiam meliùs corripiuntur, penultimæ artium, vel exercitationũ, aut similium per Iota scriptæ, nempe, *Aristocratia*, *Monarchia*, *Democratia*, *Ecclesia*, *Harmonia*, *lithurgia*, *monomachia*, *naumachia*, *philosophia*, *physionomia*, *philologia*, *theologia*, *symphonia*, *tetrarchia*, &c. quamuis ob accentum acutum in prosa possint pronunciari, tanquam longa, vbi consuetudo nõ obstat. Adde his multa masculina in *Ius*, Græcè *ιος*, vt *Anastasius*, *Arcadius*, *Chronius*, *Eulogius*, *Euodius*, *Geruasius*, *Georgius*, *Ericthonius*, *Bromius*, *Gregorius*, *Protasius*, *Theodosius*, vel neutra in *Ion*, vt *Catascopium*, *Elogium*, *Encomium*, *Episcopium*, officium Episcopi; *Meteroscopium*, *Monopolium*, off. *Palladium*, *Strophium*; & patronymica in *Ias*, *iadis*, vt *Daulias*, *Lesbias*, *Pelias*, *Pythias*. Longam tamen habent penultimam, *Amphion*, *Arion*, *Chius*, *a*, *um*, *Ebion*, *Echion*, *Ethion*, *Netios*, *Hyperion*, *Homœomeria*, *Ixion*, *Ophion*, *Methion*, & quartam *Oedipodionides*.

In *Academia* verò breuis est, quando significat exercitationem, longa, quando locum, quia tunc scribitur per *ει*, iuxta quosdam in Sophia breuis est, sed tamen Theocritus produxit, & alij, de quibus noster Index.

Y, Breuis est prima in *Hyacintus*, *Hyosciamus*, *Hyana*, *Hyantheus*, *Hyas*, *adis*, *Hyalus*, *Hyampolis*, *Hyarbas*, sed longa in *Cyane*, *Cyaneus*, *myurus*, *Thyas*. Breuis item secunda in *Euryalus*, sed longa in *Enyo*, *Enyalius*.

III. De Vocali ante Vocalem, in Dictionibus Hebraicolatinis.

II. Vocalis ante Vocalem in nominibus Hebraicolatinis corripi debet si Hebraicè per *segol*, aut Græcè per *ε*, scribatur, vt prima in *Neemias*, & penultima in *Bersabee*, *Bethleem*, *Malaleel*, *Phacee*, *Phinees*, *Zebee*, *Simeon*; vel si Hebraicè sit per *Kametzchatuph*, seu Græcè per omicron, *ο*, vt in *Noema*, *Booz*.

Contra producenda est, si Hebraicè per *Tzere*, vel *Kirekgadol*, seu Græcè per *η*, vt in *oke*, vel *ει*, vt in *Samaria*. Vel si hebraicè per *Cholem*, vel Græcè per *ω*, scribatur; sic producenda est prima in *Moyses*, *Moab*, *Noe*, *Noemi*, & secunda in *Eloim*, *Seboim*, *Sylon*, vel *Syloe*.

Quod si vocalis ante vocalẽ in Hebraicis nominibus habeat vnã ex Græcis ancipitibus, melius erit sequi radicalem quantitatem Hebraicarum Vocaliũ, quomodò

rectè à quibusdam productam inuenies penultimam in *Chapharnaum*, *Esau*, *Ismael*, *Israel*, *Michael*, *Pharao*, quia aliud A, Hebraicè per *Kamets* scribitur, esto alij ob nimis reconditam, & abstrusam rationem quantitatis huius, illis vtantur perinde, ac mere Latinis, & vi vocalis ante vocalem producant. Idem euenit in Vocali I, ante Vocales, nam in nominibus *Iesus*, *Iacob*, *Ioannes*, *Iosias*, *Iob*, *Ioseph*, licet ijs vti tanquàm Græcis, & corripere I, licet tamen, & forte eruditioris est styli, cum sequente vocali vnam syllabam facere vt diphthongum Hebraicam imiteris. Penultima verò in nominibus in *Ias*, vt in *Ananias*, *Amasias*, *Azarias*, *Isaias*, *Ieremias*, *Ezechias*, *Abdias*, *Banaias*, *Elias*, *Zacharias*, *Matthias*, *Matathias*, *Sarujas*, *&c.* tribus modis vsurpari potest, vel sequendo diphthongum Hebraicam, & vnam syllabam faciendo ex I, & sequente vocali, hic esset optimus, idemque faciendum esset in *Beniamin*, & *Leuiathan*, trissyllabis, & in *Berzelai*, *Sarai*, *Isai*.

Vel possunt Græco more ob Iota ante Vocales corripi, vt *Lysius*, *Gorgias*, à Græcis corripitur, vel quod imperitis indulgeri solet, potest produci, si accentum ibi habeant, sed hic tertius modus minimè omniũ probatur. De *Gabaon*, *Saul*, & alijs consule Indicem nostrum, Demum nomina in *Vel*, vt *Emmanuel*, *Phanuel*, *Gelbuè*, cum Græcè sint per ευ, produci possunt in penultima, quamuis, & corripi posse concedat *Emmanuel Aluarus*, idem ergo concederet in *Raguel*, *Samuel*, licet desinant Græcè ευηλ, sed melius producuntur.

Regula VII. De Deriuatis.

DEriuata, sequuntur quantitatem Primitiuorum, à quibus deriuantur, quotiescunque non extat manifesta exceptio in contrarium apud Poetas probatos.

Sic breuis est prima in *amicus*, *pauidus*, *auitus*, quia breuis prima in *amo*, *paueo*, *auus*; longa verò in *maternus*, *natiuus*, *pauimentum*; quia longa in primitiuis *mater*, *natus*, *pauio*.

Exceptiones Quatuor.

I. Breuem habent primam, licet in primitiuis sit longa: *arena*, & *arista*, ab *areo*; *acerbus* ab *acer*; *Charistia* à *charus*; *curulis* à *curia*; *dicax* à *dicendo*; *disertus* à *dissero*; *Ducis*, *duci* à *Duco*; *fatuus* si à *fatu*, potius quam à φάγω, *fragilis*, & *fragor* à *frango*; *figulus* à *fingo*; *frigidarium* à *frigidus*; *glomero* à *glomus*; *labefacto* à *labe*; *lucerna* à *luceo*; *mamilla* à *mamma*; *molestus*, si à *mole*, potius quam à *molo*; *motacilla* à *motu*; *noto*, *notas*, & *nota*; *nota*, à *notus*; *odium* ab *odi*; *offella* ab *offa*; *pugil* à *pugno*; *pusillus* à *pusione*; *quasillus* à *quallo*; *quater* à *quatuor*; *sabini* à *sabo*; *sagax* à *sagio*, *gis*; *scapula* à *scapus*; *selibra* à *semilibra*; *stabilis* à *stabam*; *sagax* à *sagio*; *strigilis* à *stringo*; *titulus* à *tutando*; *tagax* à *tango*; *vitium* à *vitando*; *vadis*, & *vado*, *das*, à *vadendo*.

II. Breuis est penultima, licet à primitiuis longis; in *agnitus*, & *cognitus* à *notus*; *blanditia* à *blanditus*; *deiero*, & *peiero* à *iuro*; *extimus* ab *extremus*; *indagus* ab *indago*; *nihilum* à *nilum*; *naufragus*, *ossifragus*, *saxifragus*, &c. à *frango*; *pronubus*, *innubus*, *subnubus* à *nubo*; *causidicus*, *fatidicus*, *maledicus*, *veridicus*, &c. à *dicendo*, & *secunda* in *verecundia* à *verecundus*; *sempiternus* à *sempaternus*; *Quintilianus*, & *Quintilius* à *quintili*; *sextilianus* à *Sextili*, *seuitia* à *seuitum*, *seruitus* à *seruitum*, *Phœniceus* à *Phœnicia*.

III. Longam verò primam habent, licet in primitiuis sit breuis: *Ceritus* à *Cerere*, *chius*, *a*, *um*, ab *Insula Chios*; *cubus* à *cubando*; *deni* à *deceni*; *dolium* à *dolendo*; *Ebosita* ab *Ebosus*; *feria* à *ferio*, *fluuidus* à *fluo*, *fomes* si à *foueo*, potius quàm à *foui*, vel *fomentum*; *humanus* ab *homine*; *humidus*, & *humor*, ab *humo*; *iugerum* à *iugo*, *Iumentum* à *iuuo*, *Iuno* à *iuuando*, *Iunius*, & *Iunior* à *Iuuene*; *penuria* à *penu*, sed ob crasim, *iocundus* à *ioco*, *laterna* à *latendo*, *Labicanus* à *Labico*; *litera* à *litum*, vel à *litura*; *ligula* à *ligo*; *matero* à *mater*, *nonus* à *nouenus*, sed ob crasim, *pedor* à *pedibus*; *regula*, & *Rex*, *Regis* à *rego*; *pecunia* à *pecu*, *remus* à *remeo*, *seculum* à *sequor*, *secius* à *secus*, *sedes* à *sedeo*, *solemnis* à *soleo*; *staturus*, & *statura* à *statu*, *sumen* à *sue*; *tegula* à *tego*, *tomentum* à τομάω, *treceni* à *trecentis*; *vena* à *venio*; *vires* si à *vireo*; *vomer* si à *vomendo Terram*; *vox*, *vocis*, & *vocalis* à *voco*, *cas*; *lex*, *legis*, si à *lego*, *legis*, potius quàm à *lego*, *legas*.

IV. Longam habent secundam, quamuis breuis sit in primitiuis; *ambitus*, *ta*, *tum*, ab *ambitu*; *comitium*, ab *itum*, *constiturus* à *statu*, *diutius*, & *diutinus* si à *diuturnus*; *lemuria* à *lemures*; *potius* à *nomitas*. Controuersia verò est de *affatim* si à *fatu*, *connubium* à *nubo*, *corrigia* à *corrigo*; *feralis* à *ferus*; *gradiuus* à *gradu*; *naufragium* à *frango*, *suffragium* à *fragore*, *praeputium* à *puto*, *praeuaricor* à *varica*, *suspicio* à *suspicior*; de quibus consule Indicem nostrum primum, aut secundum.

Re-

Regula VIII. De Analogia.

ANalogia est proportio, aut similitudo proportionis, cuius ope venamur syllabæ quantitatem aliunde ignotam ex similium præcognita quantitate.

Sic penultimam longam dicimus in *Boleslaus, Ladislaus, Primislaus, Stanislaus*, quia etsi desunt exempla horum, tamen in similibus longam nouimus in *Menelaus, Iolaus, &c.* & breuis est in *dextimus, finistimus, tetrinus, nucinus, laurinus*; quia constat esse breuem in similibus superlatiuis, *simillimus, optimus, pessimus*; & in adiectiuis ab inanimatis in *Inus*, vt *adamantinus, oleaginus, faginus*; circumspectione tamen opus est, ne nos soni similitudo decipiat.

Regula IX. De Necessitate Metrica.

EVenit aliquando, vt Genus aliquod carminis non sit capax alicuius dictionis, si eius genuina quantitas retineatur; tunc autem, si dictione æquè eleganti, aut apta ad significandum careamus, necessitas metri cogit mutare syllabæ quantitatem potius quam obscura, aut frigida circumlocutione vti.

Porrò inter alios casus necessitatis metricæ, duo sunt præcipui; Primus cum plures, quàm duæ breues concurrunt in Hexametro, aut Pentametro; tunc enim produci potest, vel prima, vel secunda, vel tertia; Prima vt in *Arabia, Arabicus, Asiacus, Asida, Catholicus, Italia, Italus, Hilarius, malitia, Paphiacus, Philosophus, Polydamas, Priamides, Procopius, reliquiæ, religio, Sicanius, Sicelides, pugilibus, frigilibus*. Secunda verò producta inuenitur in *canicula, cuniculus. Cuticula, Genesius, Leodochus, nouitius, sacrificium, Theophilus, Theophila*; & tertia in *Bonifacius, Hilarion, Macedonia, Tanaiticus, dederitis, tuleritis, poterimus, fecerimus*; & quarta in *Arctophilaca, transieritis, contuleritis, contigeritis*.

Super hac necessitate pulchrè lusit Martialis lib. 9. ep. 8. in nomine Earinus, cuius prima breuis, quia scribitur per ε, sed necessitate longa; ait enim.

Nomen nobile, molle delicatum.
Versu dicere non rudi volebam;
Sed tu syllaba contumax repugnas;
Dicunt ἔαρινον tamen Poetæ;
Sed Græci; quibus est nihil negatum.
Et quos ἄρες, ἄρες decet sonare.
Nobis, non licet esse tam disertis.
Qui musas colimus seueriores.

Vbi alludit ad Homerum, qui 5. Iliados, in eodem vno versu primam semel produxit, ac mox corripuit in Martis nomine ἄρες; idemque fecit in ἀνήρ, & Theocritus in καλὸς, & S. Gregorius Nazianzenus in ἄμυδιν, forte ob liquidas ρ, λ μ.

Secundus necessitatis casus est, cum syllaba breuis inter duas longa clausa, versum ingredi nequit, nisi producatur; Idcirco productam reperire licet secundam in *Archimedeus, Architectus, delibutus, lucrifecit, matricida, pedagogus, parricida, syllogismus, Torcularia, Vaticanus*; quanquam in tali casu, alij maluerint subsequentem longam breui corripere, nempe tertiam in *Legirupa, plaustrilucus*; & penultima in præteritis *condiderunt, constiterunt, contulerunt, amauerunt, adfuerunt, defuerunt, excierunt, institerunt, imbuerunt, impulerunt, miscuerunt, occiderunt, palluerunt, profuerunt, prodiderunt, transtulerunt*.

Licebat sanè Ouidio idem facere in *Tuticanus*, & secundam de se breuem producere, maluit tamen verecundo lusu docere nos, quam parcè vtendum sit inuersione quantitatis etiam in nominibus proprijs, sic enim lib. 4. de Ponto elegia 12. cecinit.

Et pudeat sin te qua syllaba parte moratur
Arctius, appellem, Tuticanumque vocem.
Nec potes in versum Tuticani more venire,
Fiat vt è longa, syllaba prima breuis.
Aut vt ducatur, quæ nunc correptius exit,
Et sit porrecta longa secunda mora.
His ego si vitijs ausim corrumpere nomen,
Ridear, & merito pectus habere neger.

Eadem verecundia Horatius lib. 1. sat. 5. abstinuit ab exprimendo oppiduli cuiusdā nomine proprio, dicens:

Mansuri Oppidulo quod versu dicere non est.

Regula X. De Licentia Poetica.

Licentia Poetica est, cum à quantitate debita syllabæ receditur absque vlla necessitate. Et si autem in fingendis fabulis consimilibus, aut in metaphoris verum est, quod ait Horatius in Arte.

Pictoribus, atque Poetis,
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Id tamen haud intelligendū est de metrica quantitate, ne in nominibus quidem proprijs, quidquid de his senserint

ferint Seruius 1. Æneidos in *Sicheo*. Nicolaus Ferettus, Robertus Guagius, Georgius Valla; contra quē abusum nominum propriorū pro libito adhibitorum vide Varronem sæculi præcedentis, vt eum Lipsius vocat, nempe Lilium Gregorium Giraldum Dialogo 4. de Poetis. Sed Seruius se ipse correxit, dum dixit. In *Licentia* magis inuentis, quam inueniendis vtimur, & scitè Terentianus Maurus cecinit.

Nec tanta in metris venia conceditur vti.

Eleganti tamen licentia correptam leges secundam in *dederunt*, *steterunt*, *tulerunt*, per figuram Ectasim; de alijs licentijs vide Indicem, & cum magna verecundia illis vtere, imitando potius primæ Classis, quàm quosuis alios Poetas, vt si penultimam corripias in *steterunt*, & *tulerunt*, cum Virgilio, in *potuerunt*, cum Laberio, in *inuenerunt*, cum Varrone, in *sumpserunt*, cum Auctore Trochaici apud Suetonium in Cæsare 180. in *emerunt* &c.

Reg. XI. De Syllaba Communi.

Communis syllaba, hoc est, modò breuis, modò longa euadit modis octo.

1. *Primus* est, si sit vltima carminis syllaba iuxta illud axioma prosodiacum.

Vltima cuiusque est communis syllaba versus.

2. *Secundus* est priuilegio mutæ, & liquidæ, iuxta tamen dicta in exceptione Regulæ II. & in Appendice ad eandem exceptionem.

3. *Tertius* nititur exemplo probati Poetæ eandem syllabam modò corripientis, modò producentis, siue idem sit, siue diuersus Poeta. Quomodo penultima in nomine *Batauus* correpta est à Lucano lib. 1. dicente.

Vangiones, Batauique truces, quos are recuruo.

Producta verò est à Iuuenalis sat. 8. dicente:

Hic petit Euphratem iuuenis; domitiq; Bataui.

4. *Quartus* est vis cæsuræ non solum in Hexametro, & Pentametro, sed etiam in alijs versibus; & in Hexametro quidem Emmanuel colligit exempla, primùm post primum pedem ex Virgilio 4. & 11. Æneid. ex Iuuen. sat. 6. quæ eodem ordine sunt hæc:

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.
Quis nescit? aut quis non vidit vulnera pali?

Dele-

Deinde post secundum pedem ex Æneid. 2.5. & 10. item ex Martial. lib. 7. & 14. quorum ordo est hic, in *obruimur, Euryalus, caput, tuus, diues*.

Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes.
Emicat Euryalus, & munere victor amici.
Nam tibi Thymbre caput Euandrius obstulit ensis.
Maximus ille tuus, Ouidi Cæsonius hic est.
Det tunicam diues: ego te præcingere possum.

Postea addit exempla Cæsuræ productæ post tertium pedem ex Æneid. 3.5. & 12. quæ sunt hæc ordinatim in *grania, pariter, pater*.

Dona dehinc auro grauia, sectoq; elephanto.
Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.
Congredior, fer sacra Pater, & concipe fœdus.

Denique post quartum pedem ex Eclog. 6. ex 2. Georgic. & ex 10. Æneid. quæ sunt huiusmodi eodem ordine in *fultus, grauidus, profugus*.

Ille latus niueum molli fultus hyacintho.
Muneribus, tibi pampineo grauidus Autumno.
Gratus homo infestos linquens profugus hymenæos.

In Pentametro autem sufficit exemplum Martial. lib 6.

Meque sinus omnis, me manus omnis habet.

Vbi ante consuetam Cæsuram prioris semipentametri vide; statim post primum pedem alteram Cæsuram, & vi illius productam vltimam in dictione *Sinus*: nam de productis in consueta Cæsura vide, quæ dicentur parte 6. numero 17.

5. *Quintus* modus si dictio terminetur vocali longa, aut diphthongo, sed sequatur dictio incipiens à vocali, & loco Synalœphes fiat Dialœphe, tunc enim præcedens vocalis, aut diphthongus retinere possunt suam longitudinem, aut priuilegio vocalis ante vocalem corripi. Vtriusque exempla sunto; retentæ quidem longitudinis apud Virgilium Eclog. 3. & 6. & Georgic. 1. & Æneid. 4. hoc ordine in *pecori, iuniperi, castanea, eoæ, fœmineo*.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.
Stant & Iuniperi, & castaneæ hirsutæ.
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.
Lamentis, gemituque, & fæmineo vlulatu.

Sic Iuuenalis Sat. 2. in *Verri*.

Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?

Breuis autem syllabæ alioquin producendæ exempla sint, ex Virgilio Eclog. 8. & Æneid. 3. & 5. in *qui, Insula, Ilio*.

Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

Insulæ

Insula Ionio in magno, quas dira Celano.
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.

Sic Horatius lib. primo Sat. 9.

Si me amas inquit, &c. vbi *si me a,* est dactilus.

Sic Propertius lib 2.

Tu quoque ò Eurition vino Centaura peristi.

Et Priscianus in Dionys.

Nunc nobis magno sunt insulæ ore canendæ.

Sed quod mirum est, eodemmet versu Virgilius tum Eclog. 6. tum Georgic. 1. Dialœphe vsus modò longam retinuit vocalem, modò ob sequentem vocalem corripuit, & in primo quidem versu, codē vsus nomine *Hyla.*

Clamassent, vt littus Hyla, Hyla omne sonaret.
Glauco, & Panopea, & Inoo Melicerta.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossan.

Quibus exemplis, vt & Cæsuræ productæ non debent vti tirones in suis versibus construendis, sed tantummodo in metiendis aliorum Poetarum carminibus, vt subsidio Cæsuræ, aut Dialœphes sciant se ex huiusmodi modis expedire. Sic præpositio *præ, & me, te, se,* in compositione sequente vocali variantur.

6. *Sextus modus* est, cum imitatione Græcorum particulæ monosyllabæ, *et, que, ue,* &c. hoc ipso, quod monosyllaba sunt, aliquando producuntur, quamuis alioquin, & ordinariè breuia sint. Sic Iuuenal. produxit *et,* Sat. 6.

Et animam, & mentem cum qua Dij nocte loquuntur.

Particulam verò *que,* Virgillius non semel produxit, vt Aeneid. 3. & 12.

Liminaque, laurusque Dei, totusque moueri.
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilocumq;

Et Ouid. 5. Metamorph.

Sideraque, ventique nocent, auidaque volucres.

Græcorum exempla producentium particulas τὲ, μὲν, γὰρ, τις, &c. Vide apud Gretserum nostrum cap. 28. Prosodiæ Græcæ.

7. *Septimus modus* oritur ex necessitate poetica, de qua satis Regula IX.

8. *Octauus* tandem est libertas licentiæ poeticæ, de qua tamen vide regulam X. & recurre ad Systolem, vel Diastolem, de quibus parte 6.

Nonus, qui peti posset ex varijs exceptionibus, in quibus diximus, aut dicemus, syllabas aliquas variari, non pertinet ad communem aliquam Regulam, sed ad singulares exceptiones.

Reg. XII. De Syllaba Incerta.

INcertam Syllabam voco, quando quantitas ipsius nulla siue generali, siue speciali Regula discerni potest, siue ob nouitatem nominis ne Analogia quidem cum similibus nominibus comparabilis, vt videtur esse nomen Vrbis *Cangoxima*. Igitur in tali casu, qui perrarò accidit, censeo tutius huiusmodi syllabam corripi, quam produci; ratio est, quia syllaba longa requirit moram duorum temporum, atque adeo nescio quem maiorem conatum in sui pronunciatione, quæ mora non est sine necessitate multiplicanda, cum quam expeditissimè vnusquisque cupiat loqui. Hinc etiam factum puto, vt maxima pars Regularum de media Syllaba præcipiat, vt quælibet vocalis ante quasuis consonantes simplices corripiatur, nec illæ, quæ producendæ, sub Regula generali militent, sed reijciantur in exceptiones. Adde ex Terentiano Mauro cap. de Pedibus, breuem syllabam natura sua priorem esse quam longam, ait enim in trochaicis sic:

Ante enim breue est creatum, redditum longum dein
Sicut vnum numerus, antequam secundum prodidit.

Finis Secundæ Partis.



PARS

PARS TERTIA
Regulæ Speciales
PRIMÆ SYLLABÆ.

Primæ Syllabæ quantitas discernitur, vel per Generales Regulas parte 2. explicatas, vel per Speciales, quę sunt sex infrascriptę.

Reg. I. De Præteritis Geminantibus.



Ræterita geminantia primam syllabam breuem habent.

Vt *cecidi* à *cado*; *cecidi* à *cædo*; *cecini*, *cucurri*, *didici*, *fefelli*, *momordi*, *pependi*, *peperci*, *peperi*, *pepigi*, *pepuli*, *poposci*, *pupugi*, *spopondi*, *tetendi*, *tetigi*, *tetuli*, *totondi*, *tutudi*.

Eorundem secunda breuis est, nisi obstet *positio*, vt in *cucurri*, & in *fefelli*, *spopondi*, *tetendi*, &c. vel diphthongus latens ex primitiuo, vt in *cecidi* à *cædo*, & *pepedi* à *pædore*. Ennius necessitate metri produxit secundam in *detotondi*; inuenitur tamen etiam, *pendi*, & *tendi*; sicut & *sescidi*, pro *scidi*, de quibus consule Indicem nostrum.

Reg. II. De Præteritis Dissyllabis.

PRæterita Dissyllaba priorem longam habent.

Vt *caui*, *faui*, *foui*, *flaui*, *fleui*, *flerunt*, *flarunt*, *fregi*, *fudi*, *laui*, *legi*, *lusi*, *moui*, *morunt*, *noui*, *norunt*, *paui*, *rasi*, *rosi*, *risi*, *scabi*, à *scabo*, *scidi*, à *scido*, vel *cado*, *sciui*, *sedi*, *straui*, *triui*, *veni*, *vici*, *vidi*; His adde præterita illa prisca *luuit*, *nuuit*, *pluuit*, *ruuit*, *suuit*, ad differentiam temporis præsentis solita produci.

Exceptio.

Corripitur tamen prior tum in sex his; *bibi*, *dedi*, *fidi*, à *findo*, non à fido; *scidi*, à *scindo*, *steti*, *tuli*, tum si vocalis sit

Et ante vocalem, vt in *fuit*, *ijt*, *luit*, *pluit*, *ruit*, *fuit*; præteritis vsitationibus; *iuuit* autem apud Catullum breuem habet primam; apud alios longam.

Appendix Duplex.

I. Inter præterita correptæ prioris, quidam suspicantur esse *laui*, eo quod Horatius 1. serm. sat. 5. dixerit.

Ora manusque tua lauimus, feronia, lympha.

Sed ibi *lauimus* est præsentis tẽporis à *lauo*, *lauis* tertiæ declinationis: vnde *lauere*, pro *lauare*, & passiuum *laui*, pro *lauari* legimus apud Nonnium; Sic Lucretius lib. 2.

Littoris incurnam bibulam lauit æquor arenam.

Et Virgilius 3. Aeneid.

Luminis effossi fluidum lauit inde cruorem.

Et Gratius de Venatione.

His laue præsidijs, adfectaque corpora mulce.

Et Serenius de Medicina.

Si verò lauitur, seu vis epota veneni.

At si esset præteritum, produceretur, sic *sonit* ab antiquo *sono*, *sonis*, præsentis est temporis.

II. Ambrosius Calepinus olim, antequam corrigeretur, sequutus Nestorem Nouariensem, primam in *liquì* communem censuit ob versum illum Virgil. 4. Aeneid.

Namque suam patria liquerat tellure sepultam.

At codices correctiores habent.

Namque suam patria antiqua cinis ater habebat.

Potius ad rem facit *iuuit* ob versum illum Catulli de coma Berenices.

Non, ita me Diui, vera gemunt iuuerint.

Quam lectionem recipiunt ex manuscripto Regiensi anni 1481. Iosephus Scaliger, & Gerardus Vossius lib 1. de Arte Grammatica cap. 22. Esto Iulius Scaliger lib. 1. de causis lat. linguæ cap. 25. & lib. de Comicis dimensionibus, & Valens Acidalius in Diuinationibus Plautinis, pro *iuuerint*, legant *iuerint*, in quo tamen recurreret difficultas, cum *iui* sit præteritum dissyllabum.

Reg. III. De Supinis Dissyllabis.

SVpina Dissyllaba priorem longam habent.

Vt *cretum*, *casum*, *citum*, à *cio*, *cusum*, *esum*, *fotum*, *fusum*, *fletum*, *flatum*, *latum*, *lusum*, *lotum*, *lutum*, *motum*, *notum*, *netum*, *nutum*, *rasum*, *risum*, *rosum*, *spretum*, *sputum*, *stratum*, *tritum*, *trusum*, *tusum*, *visum*, *votum*.

Ex-

Exceptio.

Corripitur tamen prior in his nouem; *citum*, à *cieo*, *datum*, *itum*, *litum*; *quitum*; *ratum*, *rutum*, *satum*, *situm*, à verbis, *do*, *eo*, *lino*, *queo*, *reor*, *ruo*, *sero*, *sino*; communis est autem prior in *statum* à *sto*, nam ex aduerbio *statim*, & ex breuitate penultimæ in *præstitum*, colligitur breuē habuisse in *statum*; longam quoque habere docet nos versus Lucani in *constatura*, & *statura*, & Statij in *obstatura*, & Martialis in *constatura*; vide Indicem nostrum.

Regula IV. De Præpositionibus Monosyllabis.

PRæpositiones Monosyllabæ, vocali terminatæ longæ sunt tam in compositione, quam extra: nempe *A*, *E*, *De*, *Di*, *Se*, *Tra*, vt in *amouet*, *educat*, *deducit*, *dimouet*, *separat*, *traducit*.

Exceptiones Tres.

I. Corripitur *Di*, in *dirimit*, & in *disertus*; & *a*, in *aperit*, & in compositis Græcis, vt in *apathos*, *atheos*, *&c.*

II. *De*, & *Præ*, sequente vocali communes sunt, sic in Indice nostro disces breues esse in *dehisco*, *deinde*, *deosculor*, *præacutus*, *præeunte*, *præustus*; longas autem in *dehortor*, *deest*, *deorsum*, nisi (vt non rarò fit) *De* cum sequente vocali, coeat in vnam syllabam; at *co*, pro *con*, sequente vocali corripitur, vt in *coortus*, *coopertus*, *coemit*, *coegit*, *coactus*, *coagulum*, *cooptat*, *cohire*, *coinquinat*, *coactor*.

III. Præpositio *Pro* in Græcolatinis, vt in *Propontis*, plerumque corripitur, in merè Latinis varia est, adeò vt videatur communis, consule Indicem nostrum; in *Propago* tamen, quando significat vitis brachia, producitur; quando significat genus, corripitur; quando verbum est, communem habet primam. Sequente autem vocali, corripitur, vt in *probibet*, *proauus*, *proin*, *proinde*, nisi vi Synæresis coeat cum ea vocali in vnam syllabam. In *Prologus*, *propino*, & *Proserpina*, licet Græca sint, variantur.

Appendix.

Dilemma primā corripit, sed ibi *di*, non est prępositio, significat enim quod Latinè, *bi*, vt in *dicolos*, *dichoreus*,

Pru-

Prudentius verò errauit corripiens primam in *Egregius*.

Reg. V. De Reliquis Monosyllabis.

I. SI terminentur consonante breui, breues sunt, nempe *ab*, *ad*, *in*, *ob*, *per*, *sub*; vt in *abigit*, *adimit*, *ineunt*, *obambulat*, *perimit*, *subigit*.

II. Si terminentur vocali plerumq; longæ sunt, vt in *ilicet*, *scilicet*, *quilibet*, *qualibet*, *pridie*, *pridem*, *neue*, *nequando*, *nequis*, *nequicquam*, *nequaquam*, *nedum*, *nequitia*, *nequam*, *nimirum*; & in *nenu*, pro *non*, *sicubi*; item in *binus*, *bimus*, *trimus*, *trinus*, *triceni*, *tricesimus*, *triginta*, *trinacria*; Item *biga*, *triga*, *mecum*, *tecum*, *secum*, *sedecim*, *sedecies*, *vepallidus*, *vecors*, *vesanus*.

Exceptiones Duæ.

Secundæ Partis Regulæ Secundæ.

I. Corripitur *Bi*, & *Tri* in reliquis compositis, vt in *Bifidus*, *trifidus*, *tridens*, *biceps*, *triceps*, *binomen*, *trinodis*, *biformis*, *triformis*, *&c.* deinde *ne* quando non est prohibitiua, sed copulatiua, vt in *neque*, vel cum significat *non*, vt in *nefandus*, *nefastus*, *nefarius*, *nefas*, & prima in *equidem*, ac *siquidem* composito.

II. *Me*, *Te*, *Se*, pro nomina sequente vocali in compositione, communia sunt; at *cum*, & *quam* in compositis elidi possent per synalœphen, vel retineri, & corripi; Vt ex Indice nostro disces.

Regula VI. De Prima Syllaba Generaliter.

I. PRima syllaba, nisi obstent Positio, Diphthongus, aut vocalis, natura sua apud Græcos, Hebræosue longa, aut Regulæ quintæ præcedentes huius partis tertiæ, aut denique exempla probatorum Poetarum, breuis est, quare prædictis Regulis, non opitulantibus, & deficiente exemplo, tutius corripitur, quàm producitur; non est enim multiplicanda mora, & difficultas in pronuncianda syllaba, nisi ex manifesta causa.


Finis Partis Tertiæ.

PARS

PARS QVARTA
Regulæ Speciales
VLTIMÆ SYLLABÆ.

In Specialibus vltimæ Syllabæ Regulis tradendis, percurremus priùs Vocales, deinde consonantes.

Regula I. De A.



Finita longa sunt. Sic *ama, ara*, verbum *antea, ab, citra, circa, da, erga, extra, infra, intra, interea, iuxta, præterea, propterea, supra, eà, illà*, si sint aduerbia, *rectà*, aduerb. *vnà*, adu. *postillà*, & *postideà*, adu. Sic & ablatiui omnes, vt *Terra, Aqua*, imò & Vocatiui omnes, sed à nominatiuis in AS, vt ò *Atla*, ò *Ænea*, ò *Andrea*, ò *Calcha*, ò *Luca*, ò *Lycida*, ò *Menalca*, ò *Thoma*.

Exceptiones Quatuor.

I. Corripiuntur *ita, quia*, & *puta* aduerbia; variantur autem *eia, contra, frustra, postea, vltra, alleluia*; quamuis *postea*, & *eia*, plerumque corripiantur; *Contrà* verò *frustra*, & *vltra*, sæpius producuntur; quod & melius fieret in *alleluia*, cum Hebraicè scribatur per *Kamets*. Prudentius tamen corripuit.

II. Aduerbialia *apprimà, acerbà, multà, transuersà*, &c. pro *apprimè, acerbè, multùm, transuersè*, &c. corripiuntur.

III. Numeralia in INTA, communia sunt, vt *triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, septuaginta, octoginta, nonaginta*.

IV. Corripiuntur omnes Casus in A, (demptis ablatiuis, & vocatiuis, sed his à nominibus in AS,) vt *Mu-*

sa

sa, ò Musa, Poeta, sidera, tempora, numina; quibus adde innumerabiles accusatiuos singulares, Græco more in A, quæ Latini in EM, aut VM, declinant, vt *Agamemnona, Ariona, Agatoclea, acipensera, Amaryllida, Castora, Cephea, Chirona, Cheremona, Deucaliona, Eurysthea, Giganta, Gorgona, Hectora, Idomenea, Idmona, Ichneumona, Lacedæmona, Lycaona, Lycorida, Memnona, Minoa, Medonta, Machaona, Morphea, Nestora, Orphea, Oriona, Opunta, Palamona, Persea, Phaetonta, Pallanta, Pallada, Protea, Phyllida, Salmonea, Symplegada, Syringa, Sphinga, Styga, Thesea, Tritona, Troada* &c. Adde item Vocatiuos à nominibus in ES, vt ò *Atrida*, ò *Oresta*, ò *Æta*, ò *Thyesta*.

Appendix Triplex.

I. Nominatiui fœminini in A, producuntur aliquando à Poetis, vel ratione cæsuræ, vel sequente in principio dictionis proximæ duplici consonanti, vt dictum est prima Parte, Reg. 2. Append. 4. vel quia cum sint Græcolatina Ionica Dialecto terminantur per η, quod est longum, potius quam per α. Hac ratione longam habent vltimam apud Ouid. 1. Fast. *Amalthea*; & Fast. 4. *Electra*; & in Epistolis *Hypermnestra*, & 13. Metamorph. *Hecuba*, & in Epist. *Phædra*, & 4. Fast. *Rhea*; Sic apud Statium 3. 4. & 6. Thebaidos *Tegea, Nemea, Malea*; & apud Iuuencum *Maria*; iterum apud Ciceronem *Electra*. At in appellatiuis fœmininis in A, latini vltimam corripiunt, si non sint ablatiui, etiam si Græcè pro A, sit η, vt in *fama, machina, plaga*; φήμη, μηχανή, πληγή. Dores enim terminant eos in A.

II. Propter Enclyticam *que*, acuendo penultimam, ausus est eandem producere Prudentius in Symmachum, dicens;

Mimica, ridendaque suis solemnia Caluis.

Et Ausonius Epigr. 90.

Odit vtraque, aliud da modò consilium.

Et Epist. 1.

Et placuisse reor geminis ætatibus vt se
Non festinato tempore vtraque daret.

Cæsuræ autem ope Ausonius produxit vltimam in *quia*, de Professionibus in Sapphico illo.

Sed quia nostro docuere in æuo.

III. In ablatiuo *eadem*, malè quidam putant correptum A, ob illud Virgilij 10. Æneid.

Vna, eademque via sanguis, animusque sequuntur.

Et

Et Calphurnij 4. Ecloga.

Rupe sub hac eadem, quam plurima pinus inumbrat.

Sed vtrobique est sponideus vi synæresis.

In illo autem Virgilij Eclog 6.

Clamassent, vt littus Hyla, Hyla omne sonaret.

In posteriori corripitur, ob sequentem vocalem, neglecta synalœphe.

Reg. II. De E.

E Finita corripiuntur.

Sic *Conclaue, cubile, carmine, cape, fictile, iure, nobile, Præneste, strage, strue, tabe, ille, ipse, iste, aspice, dicite, fecisse, tulere, scribere, ante, ecce, euge, deinde, denique, exinde, fortè, fortasse, facilè, hercle, impunè, inde, here, prohibere, mehercule, mage, magnopere, manè, nempe, nimiopere, penè, perinde, ponè, proinde, quippe, ritè, sæpe, sine, spontè, siue, subinde, tantopere, volupe, vnde, vtpotè*; & aduerbialia *dulcè, sublimè, suauè*, pro *dulciter, sublimiter, suauiter*; & Enclitica, aut syllabicæ adiectiones, *que, ve, ne* interrogatiui, *ce, te, pte, pse*, vt in *vtraque, siccine, dextraue, hisce, tute, suapte, reapse*.

Exceptiones Sex.

I. Producuntur præpositiones *E, De, Se*, & pronomina obliqua *me, te, se*, & prohibitiua *ne*, & interiectiones *ohe*, & *pappè*, variatur autem *ferè*.

II. Producuntur aduerbia à nominibus secundæ declinationis profecta, vt *affabrè, auidè, assiduè, bellè, castè, cupidè, doctè, egregiè, eximiè, ægrè, fictè, Geticè, Græcè, latè, longè, maturè, minimè, optimè, opportunè, parcè, pessimè, placidè, properè, rectè, sanè, sanctè, stultè, securè, tacitè, tardè, tempestiuè, timidè, temerè*, pro *temerariè, valdè* pro *validè*; *Benè* tamen, & *malè* corripiuntur; variam verò *infernè*, & *supernè*, licet melius producantur, *fermè* autem, & *apprimè* producuntur.

III. Produc Imperatiua singularia secundæ coniugationis, vt *aue, abstine, adhibe, adole, cie, coerce, doce, exerce, foue, fle, gaude, habe, iace* à *iacio, imple, indulge, iube, luge, luce, mone, moue, ne*, à *neo, paue, pende* à *pendeo, prohibe, perhibe, sile, suade, sustine, tace, tene, time, torque, voue*.

Variant tamen *caue, salue, vale, vide*, necnon *responde*, quia producitur, si à *respondeo, des*, corripitur, si à *respondo dis*, idemque dic de *ferue, fronde, fulge, resplende, stride, terge*, prout deducuntur, vel à *ferueo, frendeo, ful-*

geo,

geo, *resplendeo*, *strideo*, *tergeo*, vel à *feruo*, *frendo*, *fulgo*, *resplendo*, *strido*, *tergo* ; sic *caue*, *conniue*, *ride*, *scate*, *suge*, à *cauo*, *conniuo*, *rido*, *scato*, quæ tamen, & secundæ, & tertiæ fuisse ostendit Vossius lib. 3. de Analogia cap. 35. Sed *salue* melius producitur.

IV. Producuntur nomina quintæ declinationis, vt *acie*, *carie*, *congerie*, *die*, cum deriuatis *hodie*, *pridie*, *postridie*, *perendie*, *quotidie*, *facie*, *glacie*, *illuuie*, *materie*, *macerie*, *macie*, *munditie*, *re*, cum *quare*, *rabie*, *requie*, *spe*, *scabie*, *specie*, *serie*, *segnitie*, quibus adde, *fame*, quia fuit olim quintæ declinationis, vt docet Gellius lib. 9. cap. 14. at *fide*, quando significat virtutem, & habitum mentis, est quintæ, & producitur, quando autem chordam sonoram, est tertiæ, & corripitur.

V. Producuntur nomina Græcolatina, quę Græcè terminantur per η, vt neutra, *Cete*, *mele*, *tempe*, & innumerabilia, tum fęminarum, plantarum, Insularum, Vrbium, Montium, Fontium, vt *Aganippe*, *aloe*, *Andromache*, *Ariadne*, *Adrastine*, *Berenice*, *Calliope*, *Canace*, *Cassiope*, *Clymene*, *Circe*, *Cyane*, *Cybele*, *Cyrene*, *Daphne*, *Deiphobe*, *Dirce*, *Danae*, *Euterpe*, *Eurydice*, *Euadne*, *Harpalice*, *Hecate*, *Hippocrene*, *Hippodame*, *Hæbe*, *Helene*, *Idume*, *Iole*, *Inarime*, *Leucothoe*, *Lipare*, *Leucate*, *Laodice*, *Libye*, *Melpomene*, *Mycene*, *mastiche*, *Nerine*, *Niobe*, *Nonacrine*, *Oenone*, *Pasiphae*, *Parthenope*, *Penelope*, *Porsephone*, *Progne*, *Pirene*, *Rhodope*, *rododaphne*, *stacte*, *Semele*, *Sinope*, *Terpsichore*, *Thisbe*, *Tisiphone*, *Thymele*, *Thule*, *Taprobane*, *Vranie*; siue exercitationum, & artium, vt *Anatome*, *Dialectice*, *Diatribe*, *Harmonice*, *Grãmatice*, *Gymnastice*, *Lyrice*, *Musice*, *Optice*, *Practice*, *parasceue*, *theorice*; Siue figurarum, vt *apocope*, *anastrophe*, *antistrophe*, *anagoge*, *diastole*, *Enallage*, *Catastrophe*, *Isagoge*, *paragoge*, *syncope*, *systole*, *synecdoche*, *strophe*. Quorum omnium Genitiuus in ES.

VI. Producuntur vocatiua nomina à nominatiuis in ES, vt *Anchise*, *Alcide*, *Æonide*, *Drance*, *Hippomene*, *Iaside*, *Iapetide*, *Laertiade*, *Laride*, *Philoctete*, *Pelide*, *Priamide*, *Pylade*, *Tydide*, & horum ablatiui, licet Græci careant ablatiuo, vt ab *Anchise*, à *Laerte*.

Appendix Quintuplex.

I. Lucretius corripuit vltimam in aduerbijs *infernè*, ac *supernè*, nisi legas loco illorum aduerbialia *infernà*, *supernà*, vt *apprima*, *acerba*, pro *apprimè*, *acerbè*, vt habent Veneta, & Parisiensis antiqua lectio, sed Lambinus vulgatam tuetur, & Vossius.

II. Vo-

II. Vocatiua à nominatiuis in ES, aliquando correpta inueniuntur, vt *Achille*, *Hercule*, & *Polydecte*, siue quia à nominatiuis in ευς, & pro *Achilleu* vocatiuo placuit vti *Achille*, siue quia dialecto Æolica nominatiua in ης, habent vocatiua in ες, quare abiecto ς, remansit vltima breuis.

III. Masculina in ης, & fœminina in η; possunt in ablatiuo casu produci, perinde ac si scriberentur per η; quia tamen Græci carent ablatiuo, possunt corripi tanquàm merè latina ob regulam Generalem finitorum in E. Sic ex Indice nostro reperies vltimam longam in *Alcide*, *Æacide*, *Actoride*, *Archigene*, *Chione*, *Euphrate*, *Laerte*, *Micone*, *Progne*, *Pylade*, *Tantalide*, *stacte*, breuem autem in *auriace*, *Alpe*, *Calpe*, *Soficle*, *Sinope*, *Hippocrene*, *Mytilene*, in quo nomine Sidonium gratis reprehendit Vossius lib. 2. Gramm. c. 34.

IV. Martianus Capella l. 2. Phaleucio carmine cecinit:

Tu Vatam mela dulcibus Camanis.

Pro neutro Græco μέλη, melius autem Lucretius dixit; Et *Musaa mele*, est enim contractum à μέλεα, sicut Tempe à τέμπεα, alij tamen legunt, *tu futum mela*.

V. Cæsuræ beneficio particula *que*, in fine, non rarò præsertim à Virgilio producitur, aut sequente duplici consonante, quod exemplis docuimus Parte 2. Reg. 2. Appendice 4. vbi & de *morte producta* Ouidium attulimus, & de *quippe* Lucani, & de *segete* Tibulli, & de *immane* Silij; Cæsuræ quoque adscribunt illud Ouidij.

Terra ferax Cerere, multoque feracior vuis.

Et illud Statij 3. Theb.

Effugiet, vix Oedipode fugiente, timeret.

Declinatur enim *Oedipus*, *Oedipodis*.

Et Lucretij lib. 1.

Imbribus, aut tabe nimborum arbusta vacillant.

Et Virgilij 12. Æneid.

Me finite, auferte metus, ego fadera faxo.

Vbi Dialœphe, Cæsuraque simul vsus est, contra verò synalœphe item contempta, *me*, & *se* ob sequentem vocalem correpta sunt 6. Æneid.

Nomen, & arma locum seruant: te amice vocaui.

Et ab Horatio 1. serm. sat. 9.

Si me amas, inquit, paulum hic ades interea si.

Reg. III. De I, & Y.

I Finita longa sunt, sed Y, finita breuia sunt.

Ita longa sunt, *qui, Romani, Classi, fieri, atqui, veni, vidi, vici,* breuia *Æpy, moly, Chely, Tiphy*.

Exceptiones Tres.

I. Variantur, seu communia sunt pronomina *mihi, tibi, sibi,* & *cui* dissyllabum; tum aduerbia hæc *ibi, nisi, quasi, sicuti, vbi, vti,* esto, *nisi,* & *quasi* frequentius corripiantur.

II. Variantur Datiui Græcolatinorum nominum tertiæ declinationis, vt *Adonidi, Daphnidi, Minoidi, Palladi, Phyllidi, Thethyi, Thetidi,* nam Græco more declinata melius corripiuntur, Latino autem producuntur pro libito, vel potius ope Cæsuræ.

III. Corripiuntur Vocatiua Græcolatinorum nominum tertiæ declinationis, siue masculina, vt *O Alexi, Aci, Adoni, Anacharsi, Aty, Api, Daphni, Iphi, Pari, Tybri, Typhi,* siue fœminina, vt *Amarylli, Æoli, Brisomarti, Cecropi, Coty, Chlori, Cypri, Cephei, Decreti, Iri, Isi, Imachi, Lesbi, Lycori, Lycaoni, Margari, Ormeni, Pieri, Philani, Phylli, Pegasi, Salmaci, Sidoni, Theti, Tely, Tyndari, Themi, Thai, Titani,* & similia plerumque patronymica.

Appendix Triplex.

I. Prisci pro *sibi, quasi* &c. scribebant, *sibe, quase*; sic pro *magister, magester,* inde igitur *sibi,* & *quasi* frequentius corripiuntur, de prisco illo more vide Ianum Gruterum folio 958. & Sertarium Versatum in monumentis Patauinis pag. 32.

II. Virgilius Ecloga 8. neglecta synalœphe corripuit *qui,* ob vocalem sequentem dicens.

Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

III. Littera Y, non fuit olim Latina, sed Græca, Latini autem Y, Græcum vertebant in V, vt pro κύβος, Ἑκύβα, ῥώμυλος, dicebant *cubus, Hecuba, Romulus,* ita docet Terentianus Maurus de literis cap. 12. in illis Trochaicis.

Tertiam Romana lingua vocant Y, non habet:
Huius in locum videtur V, Latina subdita,
Quæ vicem nobis rependit interim vacantis Y,
Quando communem Latinè reddit, & Græcè sonum.

Reg. IV. De O.

O Finita communia sunt.

Sic nominatiui *ambo, cato, ego, sermo, quando, virgo,*

go, *testudo*, & in verbis indicatiuis, quorum elegans exemplum habes apud Martialem lib. 4. in illo versu:

Pondero, poto, cano, ludo, lauo, cœno, quiesco.

Et imperatiuis, vt *dicito, connectito, nolito, sumito*, & in Gerundijs, vt *cantando, cunctando, faciendo, luctando, patiendo, præfando, serpendo, stomachando, reuocando*, de quibus Indicem consule. Item aduerbia hæc, *citò, denuò, ergò, exemplò, idcircò, illicò, immò, omninò, opidò, porrò, quæso, quandò, retrò, vltrò, verò*; vide enim Indicem nostrum.

Exceptiones Quinque.

I. Corripe, *cedo* pro *do*, vel *dic*; & melius *duo*, ac *scio*; Contra autem produc, *adeo, ideo, ergo*, pro causa, & melius *exemplo, citro, vltro, intro*.

II. Produc aduerbia formata à nominibus adiectiuis secundæ declinationis, vt *crebrò, diluculò, falsò, liquidò, meritò, multò, paulò, rarò, subitò, tantò, tutò*. Ex his tamen *modò*, cum compositis, *dummodo, tanto, modo*, &c. semper corripitur; variantur autem *citò, denuò, mutuò, omninò, postremò, profectò, sedulò, seriò, serò, verò*, de quibus Indicem nostrum consule.

III. Produc Monosyllaba, vt *do, flo, no, pro, quo, sto*, sed O, & *oh*, sequente vocali variantur, sequente verò consonante producuntur.

IV. Produc nomina in O, quæ Græcè scribuntur per ω, siue in nominandi, accusandi, & vocandi casu, vt *Asbo, Alecto, Argo, Calisto, Calypso, Clio, Clotho, Dido, Drymo, Echo, Erato, Hero, Io, Ino, Manto, Sappho, Spio*, quorum genitiui in ους, & accusatiui in ω, communiter, sed Ionicè in ουν, atque adeo latine, in *um*, vel vt factum est in *Didone*, in *onem*. Siue sint genitiui, Attico more, in εω, vel ω, vt *Androgeo, Apollo*, de quo in 1. ad Corinth. 1.

V. Produc datiuos, & ablatiuos secundæ declinationis, vt *Domino, seruo*, &c.

Appendix Triplex.

I. Licet Græcè ego, sit ἐγώ, & *Plato, Cicero, Draco*, πλάτων, κικέρων, δράκων, latinè tamen, abiecto ν, communia sunt. Græcorum autem imitatione, neglecta Synalœphe, ob sequentem vocalem corripuit vltimam Virgilius in *Ilio*, & *Pelio* canens 1 Georgic.

Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio, alto.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.

II. Quia Virgilius Gerundia in *do*, ferè semper produxit, & quia substituuntur loco ablatiuorum, ideo Valerius Probus, & Marius Corradus ea semper porrecta esse dixerunt, sed verè communia esse exemplo Classicorum Poetarum disces ex nostro Indice, in *cupiendo, luctando, manando, medicando, meditando, patiendo, præstando, reuomendo.*

III. *Cui* dissyllabum communi esse vltima disces ex Indice nostro, nec Prudentius abnuit, immò de Corona hymno 4. habet hoc Adonium:

Res cui tanta.

Verùm cum in Symmachum scripserit:

Vincendi quæris Dominam? Sua cuique dextra.

Et in Hamartigenia.

Assignare Deos proprios sua cuique iura.

Et ita habent codices manuscripti; Librarijs tamen visum reponere *Sua dextra cuique*, & *sua iura cuique*; Cæterum Vossius lib. 2. cap. 26. neutram libertatem probat non Prudentij in producenda prima in *Cui*; non Librariorum in mutandis manuscriptis.

Reg. V. De V.

V Finita producuntur.

Sic *cornu, factu, gelu, genu, manu, reatu, senatu, tu*, multoque magis si Græcè habeant diphtongum ου, vt habent Vocatiui, *Iesu, Melampu, Panthu*, & qui à nominibus in ευς, vt ò *Achilleu, Agyleu, Atreu, Orpheu, Proteu*, & hebraicum *vau*, ob diphtongum, vt & *Esau*, & *Thau*.

Exceptio Vnica.

Indu pro *In*, & *nenu* pro *non*, corripiuntur à Priscis, vt ex nostro Indice cognosces, dixere enim *Indu mari* pro *in mari*, & componendo *indugredi, induperator, nenuqueo*, &c. dixere tamen etiam *endogredi*, & *endoperator*.

Appendix Duplex.

I. Cicero in Aratæis Synalœphe contemptâ, ob vocalem ante vocalem corripuit vltimam in *genu*.

Hac propter lauum genu omni parte locatum.

Vossius tamen lib. 2. cap. 28. contendit legendum *genus*, & more antiquo declinari, sicut & *gelus* adducens aliud Ciceronis carmen in Aratum.

Iam dextrum genus, & decoratam lumine suram.

Sed

Sed acutè addit legendum in priori carmine.

Hac propter lauum genu' Nisi parte locatas.

Ita vt à *genus* abiecta sit S, more prisco: Est autem Nisus idem quod sidus Herculis, genibus nitens, quod Græci vocant Εγγονασι'ν, idest in genibus.

II. Solemne fuit Priscis, Ennio, Lucillio, & alijs à nominibus, aut verbis exeuntibus in VS, abijcere per Ecthlipsim liquidam, seu semiliquidam S, indicando illam solo apostropho; & tunc corripiebant V, habes ex nostro Indice exempla plura, vt in *Æliu', Corneliu', celerrimu', horridu', locutu', rebu', viuimu'*, pro *Ælius, Cornelius, celerrimus, horridus, locutus, rebus, viuimus*. Hic lubet tria tantum exempla repetere. Primum ex Ennio in Annalibus.

Doctu fidelis
Suauis homo; facundu', suo contentu', beatus
Scitu'; secunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum;

Deinde Lucillij.

Tantalu', qui pœnas ob facta nefaria luuit.

Atqui nō id fecere, quod censerent V, finita corripi posse, sed quia VS, finita corripiuntur, & huius priuilegio vtebantur, sequente consonante, vt positionem tollerent, sic fecere & in finitis in IS, vt idem Lucillius.

Tum laterale dolor certissimu' nunciu' mortis.

Reg. VI. De B, D, T.

B, D, T. Finita corripiuntur. Vt *ab, ad, id, illud, istud, ob, quid, quidquid, sub, sed, aliud, alid*, pro *aliud, amat, caput, dat, fit, stat, vt, velut, sicut*, & quæ Græcè per ε, aut ο, vt *Caleb, Daleth, Elisabeth, Iared, Iaphet, Lamed*.

Exceptiones.

I. Producitur *aut*, & *haud* ob diphthongum, & variatur *ÿt*, cum compositis *abÿt, adÿt, interÿt, obÿt, subÿt*, siue cæsuræ beneficio, siue ob concursum trium breuium, siue ob synæresin, qua ratione producta inueniuntur etiam *prosilÿt, perÿt, petÿt*.

II. Produc quæ Græcè scribuntur, aut per η, vt *Beth, Heth, Teth, Horeb, Obeb, Zeb*; aut per ω, vt *Achitob, Aod, Astaroth, Anatoth, Behemoth, Iacob, Iob, Iod, Lot, Naboth, Sabaoth, Thoth*, aut per ου, vt *Abiud, Cherub, Eliud, Iasub, Ruth*, aut certè per vocales Hebraicas longas, vt *Achab*,

Acab, Benadab, Baldad, Iosaphat, Nadab, Rahab; Variant verò *Dauid*, nam in libris Regum per I longum, in libris Paralipomenon per I, breue scribitur.

Appendix Triplex.

I. Verba in *ijt* desinentia, aliquando ob crasim contracta in *it*, & vi quoque cæsuræ producta inuenies in Nonæ partis versu 1664.

Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni.

Sed plerumque vi solius cæsuræ, vt in *petijt, subijt, interijt, abijt, petijt, redijt, obijt*, de quibus vide versus 680. 916. 1043. 1044. 1095. 1225. 1152. 1251. 1443. 1895. 1896. 2047.

II. Alia quoque desinentia in T, licet vocali sequente, producta vi cæsuræ inuenies, vt in *despexit, aberat, erit, facit, amittebat, caput, finit, figit, velit, viuit*; de quibus vide versus 4. 497. 523. 533. 550. 640. 698. 700. 820. 933. 1270. 1444.

III. Ob prædicta exempla censuit Capella T, fuisse priscis communem, præsertim cum extra Cæsuram, & crasim illam produxerint, vt in *it* versu 24. & in *et* versu 1896. & in *mandisset* versu 4. & in *esset* versu 26. quibus adde illud Ennij.

Insit ò ciues, quæ me fortuna lacessit.

Reg. VII. De C.

C Finita producuntur.

Ita *ac, dic, duc, hic*, aduerbium *huic, huc, hac, hoc*, aduerbium *lac*; & quæ Græcè per η, vel ω scribantur, Hebraicè autem per Thsere, aut Cholem, vt *Henoch, Sadoc, Sorech*, vel per Kamets, vt *Isaac, Sidrach, Misach*.

Exceptiones Duæ.

I. Corripiuntur *nec*, & *donec*; Variantur autem tum *fac*, pro quo Poetæ aliquando dicunt *face*, tum *hic* pronomen, & *hoc* pronomen in nominatiuo, & accusatiuo.

II. Corripiuntur quæ Græcè per ε, vel ο, & Hebraicè per I, vel O, breue, vt *Abimelech, Lamech, Melchisedech, Samech*.

Appendix Triplex.

I. Victorinus putat *lac* variari, sed non profert exemplum idoneum. De fine autem Hexametri apud S. Paulinum, qui est: *coniux huic alma*, non dubium, quin possit accipi pro Spondaico.

II. De

II. De Verbo *fac*, tres sunt opiniones, prima Probi in Institutionibus, qui semper corripi putat; Secunda Gerardi Vossij lib. 2. cap. 29. qui semper produci, nisi pro *fac*, vsurpetur *face*, vt pro *edic*, *edice*; Tertia Emmanuelis Aluari, Ludouici Caballi, ac plurium aliorum, nempe commune esse, etiam quando vsurpatur *fac*, & non *face*; Pro correptione sunt carmina Ouidij in Epis.

Phylli fac expectes Demophoonta tuum.

Et lib. 3. de Arte.

Mille fac esse iocos, turpe est nescire Puellam.

Et de medicamine faciei.

Contere in hac solidi sexta fac assis eat.

Et Martialis lib. 5. in Phalæcio.

Signa rarius, aut semel fac illud.

Licet autem primo Fastorum dixerit.

Ianeface æternos pacem, pacisq; ministros.

Et 2. Amor.

Hac face, & exiguo tempore liber eris.

Nulla tamen est necessitas sic semper legendi, quoties corripitur, immò sicut *dic*, & *duc* per se longa sunt, quia prima in *dico*, & *duco* est longa, nec necesse est legere *dice*, vel *duce*, ita *fac* potest per se corripi, quia prima in *facio* est breuis.

Pro productione autem sunt versus alij, vt Plauti in Amph. act. 3. scen. 3. in Iambico.

Nunc tu diuine fac huc assis Sosia.

Et Ouid. 1. de Arte.

Hos fac Armenios, hæc est Danaeia Persis.

Et 1 de Remedio.

Durius incedit, fac ambulet omne papilla.

Et Lucretius 6.

Percipe, & in primis terram fac esse rearis.

Quis enim gratis audeat hæc inuertere, & ad suam opinionem trahere reponendo; *Hos facito Armenios*, vel *fac vt ambulet*, vel *fac obambulet*, vel *fac vt esse*.

III Superest controuersia de *sic*, & *hoc*. Martialis enim lib. 2. ep. 44. canit in Phalæcio:

Et secum, sic vt audiam, susurrat.

Quod etsi corrigendum putat Emmanuel noster, & Vossius lib. 2. cap. 29. vt legatur.

Et secum, sed vt audiam, susurrat.

Durior tamen est huiusmodi correctio, & vulgatam lectionem secutus est Lipsius in Diua Aspricolli cap. 5. corripiens *sic*, & ante illum Prudentius 1. in Symmachum, canens:

Vsque Deum fontes, sic Apollinis antra dederunt.

Et Lucillius apud Lactantium lib. 4. diuin. inst. cap. 3.

Ianu' Quirinu' Pater, sic & hoc dicatur ad vnum.

Vt habent vetusti codices, & Giffanius adstipulatur breuitati huius monosyllabi; Esto non sim nescius plerumque produci, & quidem ter in eodem illo versu Virgiliano 3. Æneid.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

De pronomine *hoc*, in primo, & quarto casu, sequor Vossium lib. 2. cap. 29. & Scaligerum lib. 8. Poeticæ cap. 2. qui corripi posse putant, tria huius correptionis exempla ex nostro Indice pete, nec parua confirmatio est ex pronomine *hic*; immò quando vtrumque producitur cc, duplex scribi debere, putant Marius Victorinus lib. 1. Valerius Probus lib. 1. cap. 3. Martianus Capella lib. 3. cap. de natura syllabarum. Priscianus lib. 13. & Velius Longus lib. de Orthographia; adeoque illud Virgilij 2. Aeneid.

Hoc erat alma parens, quod me per tela, per ignes.
Eripis.

Scribi debuisse, & scriptum fuisse à Marone:

Hocc erat alma parens.

Sed ibi *hoc* videtur aduerbium causæ potius quam pronomen. Ergo iuxta hos Auctores Ouidianum illud 1. Fastorum sic legi deberet.

Hocc ego pro vobis, hocc vos optate Quirites.

Sed hæc iam obsoleuere.

Reg. VIII. De F, & G.

F, & G, Finita longa dixerim. Quamuis enim nomina merè Latina sic terminata nondum repererim. Hebraica tamen, seu hebraicolatina pleraque per vocales longas ab Hebræis, & per longas item à 70. Interpretibus, vel sacris Euangelistis scribuntur, sed ita vt F, aspiretur, & scribatur per Ph, Græcè per φ. Sic *Asaph*, & *Agog*, per Kamets; & *Doegh* per *Thsere*, seu per η, & Sarugh per ου, & Ioseph per η, & *Gog*, & *Magog* per Cholem, seu per ω, scribuntur, & *Coph* per ω.

Exceptio.

Corripiuntur tamen quæ per ε, aut ο, scribuntur, vt *Aleph*, *Phaleg*.

Reg.

Reg. IX. De L.

L Finita breuia sunt.

Vt *Annibal*, *Animal*, *bidental*, *Consul*, *Exul*, *fel*, *mel*, *mugil*, *nihil*, *pugil*, *quadrantal*, *semel*, *simul*, *vel*, *Pol*, *Ædepol*. Adde his Hebraica illa, quæ per vocales breues scribuntur ab Hebræis, vt *Baal*, *Nabal*, per Patach. *Rogel* per Segol, seu ε; Michol per o, seu per Cateph Cames; *Abigail* per I, breue. Adde & ex Osca lingua, *famul* pro *famulus*, & *facul* pro *facile*.

Exceptiones Duæ.

I. Producuntur *nil*, *sal*, *sol*, non tamen *nihil*, nisi forte beneficio Cæsuræ, vt fecit Ouidius 1. de Ponto, & 12.

Morte nihil opus est; nihil Icariotide tela.

Et 7. Metamorph.

In superis opus esse nihil, at in ædibus ingens.

II. Producuntur quæ scribuntur per vocales longas, aut diphthongos à Græcis, Hebræisue, vt per η, sic *Emmanuel*, *Gabriel*, *Ismael*, *Israel*, *Phanuel*, *Raphael*, &c. quæ in ηλ, desinunt, vel quæ per ω, vt *Phicol*, aut per ου, vt *Chabul*, *Elul*, *Saul*, aut per Kames.

Appendix.

Valerius Probus lib. 1. cap. de syllabis naturalibus, & Aldus Manutius putarunt L, si præcedat O, semper produci: at *Pol*, & *Ædepol* breuia illos damnant, vt & Vossius lib. 2. cap. 30.

Reg. X. De M.

M Finita de se breuia sunt.

Ita enim à Priscis vsurpata, licet postea inualuerit, vt sequente vocali elidatur M, cum sua præcedente vocali, & per synalœphen induat sonum, atq; quantitatē sequentis; in compositis tamen à *circum*, retinetur M, & corripitur, vt in *circumago*, *circumeo*, *circumiicio*, idemque præstandum puto in *pessumeo*, *pessumago*.

Exceptio.

Producuntur quæ à Græcis Hebræisue scribuntur per vocales longas, aut diphthongos, vt *Hierusalem*, & *Sem*, per ημ; *Cham*, per Kamets. *Edom*, & *Esrom* per ωμ. *Dothaim*, *Eliacim*, *Seboim* per ει; *Selum* per ου, *Ephraim*

per αιμ. Nomina item *Baalim*, *Cherubim*, *Seraphim*, habent Hebraicè I, longum, licet Græcè in Biblijs aliquando per ειμ, aliquando per ιμ, scribantur.

Appendices Quatuor.

I. Etiamsi monosyllaba sint, vt *cum*, *dum*, *dem*, *iam*, *nam*, *num*, *quem*, *quàm*, *sim*, *sum*, *tum*; potest tamen absorberi M, & fieri Synalœphe. Sic fecit Catullus ad Ortalum; & Ouid. lib. Am.

Dum aduentu Matris prosilit, excutitur.

Et Petronius Arbiter in illo Iambico.

Cum inter sepultos Priamidas nocte, & mero.

Et Seneca in Oedipo versu 602. Iambico.

Cum examen alto nectitur densum globo.

Et Virgilius Eclog. 2.

Nec sum adeo informis; nuper me in litore vidi.

Et Horatius Epod.

Iam iam efficaci do manus scientia. Iambic.

II. Possunt tamen & prisco more retenta corripi, vt fecit Lucretius lib. 3.

Sed dum abest, quod auemus, id exuperare videtur.

Et lib. 6.

Semina namque simul cum eo commiscuit ignis.

Et Lucillius apud Donatum in Terentium.

Ne quem in arce bouem discerpti magnificè, inquit.

Idemque Lucillius apud Chrisium lib. 1.

Irritata canes, quàm homo, quod pleniu' dicet.
Cur tam inaniter, hoc præsertim tempore quæris.

III. Sed & aliàs non rarò M, retentam, & correptam inuenire licet: celebre est illud Ennij 10. Annalium:

Insignita forent tria millia militum octo.

Alij legunt *ferè* pro *forent*.

Et idem Ennius.

Dum quidem vnus homo Romanu' toga superesset.

Et Lucretij lib. 1.

Corporum in plumbo est, tantundem pendere par est.

Et Catulli.

Sospitem ereptum se ostendit visere portum.

Hac ratione metiri possumus carmen Aratoris sic vt affatim dactylus sit:

Suppetit affatim exemplorum copia nobis.

IV. Porro M, retentum, & productum, sed priuilegio Cæsuræ legitur in Propertio lib. 2. eclog. 32.

Hæc eadem ante illam impune, & Lesbia fecit.

Et in Ouidio lib. 2. Am. eleg. 2.

In-

In manibusque Iouem, & cum Ioue fulmen habebat.

Nam excusarim tamen omninò Fortunatum canentem:

Vnde & Michæas! & tu, inquit, Bethlem Ephrata.

Nam Græcè habent sacri codices βηθλεὴμ, ergo contrahendo duas vocales in vnam, debuit vi Crasis produci, rectius ergo alij, de quibus in Indice, vel contractione vsi produxerunt, vel sine Crasi dactylum fecere.

Reg. XI. De N.

N Finita longa sunt.

Vt monosyllaba hæc, *en, non, quin, sin*, & nomina *Alchman, Brachman, Delphin, Pan, Patan, Titan, Salamin*, & *alioquin, cæteroquin*.

His adde innumerabilia Græcolatina, quæ recto casu desinunt in ων, vt *Acteon, Aedon, Agamemnon, Amphion, Arion, Canon, Conon, Corydon, Cimon, Damon, Damon, Deucalion, Euphron, Endimion, gnomon, Gorgon, Iion, Idmon, Ichneumon, Ixion, Ladon, Lacon, Lacedemon, Lycaon, Machaon, Oromedon, Python, Palamon, Piracmon, Sirymon, Sidon, Sindon, Sinon, Sion, Simon, Triton, Triphon, Theon*. Item quæ desinunt in ην, talia sunt, *amen, attagen, Hymen, lichen, lien, siren, splen*; & accusatiui Græcolatini à nominatiuis in ες, vt *Anchisen, Alciden, Aristiden, Diomeden, Eucliden, Euphraten, Gangen, Gygen, Mysten, Oresten, Pyladen, Thiesten, Tydiden*; & fœminina accusatiua, à nominibus in ε, vt *Anatomen, Calliopen, Circen, Clymenen, Dircen, Grāmaticen, Helicen, Nioben, Stracten*, &c. denique accusatiui Græcolatini masculini in AN, à nominatiuis in M, vt *Ænean, Borean, Cynean, Gyan*.

Exceptiones Quinque.

1. Corripe *an, forsan, forsitan, in* **cum compositis** *dein, exin, proin, tamen* **cum compositis** *attamen, veruntamen*; variant verò quæ per apocopem particulam *ne* interrogatiuam mutilatam habent, vt *ain? audin? credin? egon? nemon? nostin? scin? ten? tun? viden? vin?* pro *aisne, audisne, nemone, visne*, &c. nam correpta inueniuntur, *nostin? viden? ten?* & producta *nemon? tun?* ideo lis est inter Grammaticos. Vossius lib. 2. cap. 30. hæc corripi putat, nec nisi beneficio Cæsuræ produci; Aluarus autem, excepto *viden?* de alijs dubius adhuc est. Ego communia puto, quia si spectetur particula *ne* interrogatiua, illa breuis est, si autem præcedens vocalis est, vel

longa, vel communis in prædictis Exemplis.

II. Corripe accusatiuos in AN, fœmininos, vt *Æginan*, *Ætnan*, *Deidamian*, *Hypermnestran*, *Cyllan*, *Idan*, *Iphigenian*, *Maian*, *Marian*, *Musan*, *Phædran*, esto Cæsuræ priuilegio inueniantur producta, in *Electran*, *Malean*, *Odissean*.

III. Corripe neutra in EN, tertiæ declinationis, quorum incrementum breue in *inis*, vt *bitumen*, *carmen*, *crimen*, *examen*, *flamen*, *flumen*, *fulmen*, *fidicen*, *germen*, *gemimen*, *inguen*, *legumen*, *lenimen*, *limen*, *lumen*, *nomen*, *numen*, *omen*, *pollen*, *pecten*, *semen*, *sumen*, *tamen*, *tibicen*.

IV. Corripe Accusatiuos Græcolatinorum in IN, vel YN, siue sint masculini generis, vt *Adonin*, *Atyn*, *Busirin* *Capin*, *capparin*, *Ibin*, *Ityn*, *Phasin*, *Seraphin*, *Thyrsin*, siue sint fœminini, vt *Chelyn*, *Daphnin*, *Charybdin*, *Erynnin*, *Hierapolin*, *Mæotin*, *Thamin*, *Thetin*, *Tetyn*, esto vi Cæsuræ producantur aliquando.

V. Corripe demum nomina in ON, quæ Græcè per ο vt sunt tum nominatiui qui ad secundã Latinorum declinationem spectant, vt *Colon*, *Erotion*, *Eudotion*, *Glycerion*, *Ilion*, *Omicron*, *Pelion*, *Plonension*; tum accusatiui Græcolatini, à nominatiuis in OS, siue sint masculini generis, vt *Acheloon*, *Bæoton*, *Cerberon*, *Crocodilon*, *Cercopithecon*, *Cyllaron*, *Dædalon*, *Erimanthon*, *Hyppodromon*, *Icelon*, *Inachon*, *Menelaon*, *Orpheon*, *Polyphemon*, *Pittacon*, *Scorpion*, *Tantalon*, *Tænaron*, *Troilon*; siue fœminina, vt *Delon*, *Delphon*, *Zizicon*, *meliloton*, *Paphon*, *Pylon*, *Samon*, *synodon*, *Tenedon*. Sed, & Aeoles vocatiuos nominum crescentium in οντος, scribunt, per omicron, vt ὦ ἀηδόν, χαυλιόδον.

Reg. XII. De P, & PH.

P Finita Latinè non reperio, nisi *volup* pro *volupe*, productum ab Ennio. Sed nec finita in *Ph*, nisi peregrina, de quibus dixi satis Regula VIII.

Reg. XIII. De R.

R Finita corripiuntur.

Sic *Amilcar*, *acer*, *Cæsar*, *calcar*, *ducitur*, *decor*, *doctor*, *Hector*, *fer*, *fertur*, *femur*, *Imperator*, *itur*, *murmur*, *nectar*, *nuper*, *precor*, *puer*, *Marcipor*, *Publipor*, idest *Marcipuer*, & *Publij puer*; *semper*, *semiuir*, *ver*, *uincitur*.

Ex-

Exceptiones Tres.

I. Producuntur monosyllaba hæc *cur*, *fur*, *far*, *hir*, *lar*, *nar*, *par*, *ver*; variant verò *cor*, & composita à *par*, vt *compar*, *dispar*, *impar*, *suppar*, non autem *vir*, vt aliàs exemplo Petrarchæ putabam. *cor* quoque sæpiusculè corripitur.

II. Producuntur quæ Græcè desinunt in ηρ, vt *aer*, *ather*, *Barpanter*, *Cercer*, *charaEter*, *cremaster*, *climacter*, *clyster*, *Esther*, *Gazer*, *Gilimer*, *halter*, *hepter*, *her*, *Iber*, *luther*, *plinther*, *physeter*, *poder*, *præster*, *Ricimer*, *spinther*, *Soter*, *stater*, *vreter*. Excipe tamen ab his *celtiber*, *pater*, & *mater*; quæ corripiuntur. *Crater*, qui Manilio corripitur, alijs sæpius producitur.

III. Produc. quæ Græcè desinunt ωρ, vt *Phogor*, *Segor*, *Thabor*, demptis tamen quorum incrementum in *oris* breue est, vt *Alcastor*, *Alastor*, *Crantor*, *Elpenor*, *Hector*, *Lichenor*, *Nestor*, *Rhetor*; produc & quæ in ιρ, vel υρ, & *Ophir*, *Assur*.

Appendix Duplex.

I. Cum passim Poetæ corripiant *cor*, & vnicum illud productionis, exemplum ex Ouidio in epistola Sapphus suppetat:

Melle meum, leuibus cor est violabile telis.

Sunt qui cum Micyllo, & alijs mutare non dubitent, vt hic quoque corripiatur, legendum putent:

Molle meum, leuibus cor est violabile telis.

Et hoc neque Emmanueli nostro, nec Vossio lib. 2. cap. 30. displicet, at hic tamen fatetur priorem lectionem reperiri in manuscriptis, & in veteri editione Bernardini Nouariensis anni 1486. & in Aldina. Quare qui cor produxerit non potest erroris redargui. Stoa quoq; Lucretij versum adit. *Denique cor hominum* &c.

II. Cæsuræ vi notabis productam vltimam in *puer*, *amor*, *obruimur*, *trahebatur*, *datur*, *Numitor*; in Nonæ partis versib. 555. 560. 608. 609. 639. 653. sic in *pariter* Ouid. 1. Metam.

Nulla mora est, pariter adeunt Cephisidas vndas.

Reg. XIV. De Finitis in AS.

AS Finita longa sunt.

Vt *amas*, *amabas*, *amaueras*, *Æneas*, *Atlas*, *aliàs*, *Calebas*, *Cras*, *atas*, *Castitas*, *Dam*[illegible]*tas*, *fas*, *foras*, *horas*,

boras, musas, natas, nefas, nostras, atis, Pallas, antis, vestras, atis, vas, vasis.

Exceptiones Tres.

I. Corripe *anas, atis*; esto sit merè Latinum, cum Græcè dicatur νῆσσα canit enim Petronius in Phalæcio:

Et pictis anas, eno uata pennis.

II. Corripiuntur nominatiui & vocatiui Græcolatini, quorum incrementum breu. in *adis*, vel *ados*, siue masculini generis sint, vt *Arcas, adis*, siue fœminini, vt *Actias, Alpheias, Æetias, Appias, Cephysias, Cyclas, Daulias, dipsas, dromas, Euphyas, gymnas, hebdomas, Herodias, Hiphias, Hamadryas, Hyas, Ilias, lampas, mœnas, minoias, Naias, Olympias, Ophias, Oetas, Pallantias, Pallas, adis, Pelias, Phasias, Pleias, Phœbas, Pythias, Psecas, Symplegas, Thaumantias, Thyas.*

II. Corripiuntur accusatiui plurales Græcolatinorum nominum, quæ Latinis sunt tertiæ declinationis, cuiusmodi sũt accusatiui nomrnum in 2. Exceptione enumeratorum, vt *Arcadas, Cycladas, Lampadas, Pleiadas, symplegadas*, & præterea multi al j tum masculini generis, vt *Aonas, Adamantas, Bistonas, Cretas, Curetas, crateras, Cyclopas, Caras, Delphinas, Elephantas, Heroas, iaspidas, Lastrigonas, Lacedamonas, Lyncas, Maonas, Machaonas, Paonas, Seras, Thracas, Titanas, Troas.* siue fœminina, vt *Achaidas, Amazonas, Cythereidas, Echinadas, Heroidas, Laidas, Menadas, Nereidas, Orcadas, Pyremidas, pyxidas, Sisenas*, esto *Pleiadas*, & *Hyadas*; ob cæsuram aliquando Poetæ produxerint.

Reg. XV. De Finitis in ES.

ES Finita longa sunt.

Vt *aues, ames, Ceres, dies, ducenties, dices, locuples, res, sermones, seges, species, quoties, toties, venies, vides*; quibus adde scripta Græcè per ης, vt Græcolatina, *Anchises, Alcides, Chremes, Dares, Tales, Tydides*, & genitiuos fœmininos, *Calliopes, Niobes*, &c.

Exceptiones Tres.

I. Corripitur ES à verbo *sum*, cum deriuatis, aut compositis, *abes, ades, dees, interes, ines, praes, subes, superes, prodes*, à prosum, *potes*, & præpositio *penes*.

II. Corripiuntur Latina nomina singularis numeri tertiæ declinationis in ES, quorum breue est incremen-

tum in *etis*, *itis*, vel *idis*, vt *ales*, *alitis*, *cespes*, *cocles*, *comes*, *diues*, *eques*, *gurges*, *hospes*, *hebes*, *impes*, *limes*, *merges*, *miles*, *obses*, *palmes*, *pedes*, *perpes*, *poples*, *præpes*, *præses*, *seges*, *sospes*, *stipes*, *trames*, *teges*, *termes*, *teres*, *veles*; licet ex his producantur *abies*, *aries*, *paries*; & apud probatiores Poetas, *pes*, cum compositis *bipes*, *alipes*, *quadrupes*, *cornipes*, *sonipes*, *tripes*; apud alios, hæc composita variantur, vt & *Ceres*.

III. Corripiuntur pluralia nomina in ES, Græcè per ε, scripta, nempe tertiæ apud nos declinationis, cuiusmodi sunt enumerata iam Regula XIV. Exceptione 2. & 3. vt *Cyclades*, *Troes*, &c. & omnia penè nomina populorum in ES, *Axones*, *Calidonides*, *Iazyges*, *Saxones*, *Lacones*, *Phryges*, *Vascones*; item *Tritones*, *aclides*, *Grypes*, *Synodontes*, *mormyres*; item *Amazones*, *Atlantides*, *Aspides*, *Corybantes*, *Eleleides*, *Erinnies*, *Panes*, *Belides*; & ob eandem ε. neutra in ES, vt *Cacoethes*, *Hippomanes*, *Nepentes*, *Panaces*.

Appendix Triplex.

I. Probus in Catholicis, ait composita ex *pes*, corripi posse, & fauet Ausonij Hexametrum inchoans sic, qui *bipes*, & *quadrupes*. Prudentius quoque corripit *fames*, & *lues*, & Auienus *vulpes*, & aliqui *plebes*, & *proles*, sed nolim hos imitere. Ouidius quoque corripuit *Tigres* pro Tigrides in epistola Ariadnæ, credo abiecto iota ex ει, Ionicè: Græcè enim dicitur τίγριδας, τίγριας, τιγρεῖς.

II. Cæsuræ præsidio productam vltimam nactus sum in *diues*, *Lynces*, *Tripodes*.

III. Vltima in *Vlysses*, recto casu correpta est à Cornelio Gallo, contra consuetudinem; in Vocatiuo tamen Æolicè, scribuntur per ες, quæ in nominatiuo sunt per ης, vt ὦ *Socrates*, & ea ratione licebit hæc corripere.

IV. ES à *sum* anceps putat esse Baptista Pius in annot. poster. cap. 40. ob illud Propertij lib. 2. el. 12.

Si puer es, alio traice tecta tua.

Et Flacci lib. 7.

Dignior es, & fama mei, &c.

Sed emendati codices, vt aduertit Vossius lib. 2. cap. 31. habent.

Si pudor est, & dignior est.

Regula XVI. De Finitis in IS, & YS.

IS, & YS Finita corripiuntur.

Vt *amnis, apis, carminis, cinis, ais, inguis, fodis, neptis, nobilis, pulvis, quis, quisquis, scribitis, satis, sitis, virtutis, venistis*; item *is*, pronomen, *Capys, Chelys, Clamys, cis*, præpositio *Itys, Libys, Othrys*.

Exceptiones Quatuor.

I. Producuntur aduerbia hæc, *aforis, cumprimis, imprimis, deforis, foris, gratis, omnimodis*; variatur autem *bis*.

II. Producuntur casus plurales in IS, vt *musis, nobis, vobis, viris*, & prisci illi *omneis, syrteis, vrbeis*, pro *omnes, syrtes, vrbes*; &c. *queis*, pro *quibus*, & prisca *mis, tis*, & *sis* pro *meis*, & *tuis*.

III. Producitur secunda persona numeri singularis verborum quartæ coniugationis modi indicatiui, vt *audis, custodis, dormis, hinnis, insanis, nutris, obedis, punis, pruris, sentis, sitis*, à sitio, *is*, ab eo, & *scis*; & *venis*, cum compositis, vt *abis, adis, anteis, circumis, cois, exis, inis, præteris, prodis, prascis, prais, rescis, subis, transis*, at *nescis*, ita variatur vt melius producatur; *aduenis, conuenis, inuenis, interuenis, peruenis, prauenis, subuenis*. Ad hæc verba reducuntur, & producuntur in singulari, *sis*, & *vis*, cum compositis, aut deriuatis, vt *absis, adsis, desis, insis, intersis, obsis, præsis, prosis, malis, nolis, quamuis, quantumuis, quantiuis, sis*, pro *siuis*, vt in *videsis, audisis*; variatur tamen *possis*, & *velis*, est autem *possum* à *potis*, *sum*. At *esuris* ab Aratore Poeta non rectè corripitur, sicut nec *peruenis* à Sedulio.

IV. Producuntur nomina, quorum genitiuus incrementum longum habet in *itis, inis, iris, entis*, & in *inis* quidem *Delphis, Eleusis, Gortys, Phorcys, Salamis, Trachis*, in *itis, dis, ditis, lis, quiritis, samnis*, in *istis*, aut in *iris*, vt *glis, gliris, vis, viris*, vel in *entis*, *Pyrois, Pyroentis, Opois, Hyfais, Simois, Simoentis*, quamuis hæc quatuor similia Græcolatina nomina desinant in *ευς*, & ob diphthongum producantur, vt &c. in *ευς*.

Appendix Duplex.

I. Cæsuræ priuilegio productam notabis vltimam in his nominibus *puluis, Tethys, apis, Opis, sermonis, cinis, segnis, mitis*, in versibus nonæ partis 14. 562. 579. 591. 808. 1341. 1376. 1793. item in verbis *Oratis, occideris, perdideris, biberis, præstiteris, attuleris, dederis, contuleris, respueris, steteris, reddideris*, in versibus 709. 842. 1101. 1154. 1155. 1168. 1179. 1274. 1317. 1399. 1604.

II.

II. Quando Prisci abiecta littera S, termin.

II. Quando Prisci à dictionbus in IS, desinentibus elidebant S, corripiebant vltimam in I, vt in illo Ennij.

Pandite sulti genas, & corde relinquite somnum.

Pro sultis idest *si vultis*; Alia exempla vide in Nonæ partis versibus 10. 33. 44. 48. 52. 231. 240.

Reg. XVII. De Finitis in OS.

OS Finita longa sunt.

Vt *arbos, glos, honos, hos, illos, lepos, meos, nepos, nos, mos, oculos, os,* oris, *Romanos, ros, vos,* quibus adde, quæ Græcè desinunt in *ως*, vt *Androgeos, Athos, Demoleos, eos, Minos, Nicoleos, Nisos, Tros*; & genitiuos nominum in *ευς*, si Atticè declinentur in *εως*.

Exceptiones Duæ.

I. Corripe *Compos, exos, impos, os, ossis, & præpos.*

II. Corripiuntur quæ Græcè per omicron scripta desinunt in OS, cuiusmodi sunt primò neutra plurima, vt *Argos, Chaos, Epos, melos*. Secundo nominatiui, & vocatiui in *os*, quæ Latinis sunt secundæ declinationis, & quos elegantiæ gratia Latini poetæ in *os*, potius, quam in *us*, terminant, vt *Arctos, Atropos, Belos, Claros, Cypros, Delos, Gnidos, Ilios, Lambros, Lebynthos, Lesbos, lotos, Naxos, Neritos, Nessos, Paphos, Samos, Tyros, Zacinthos*. Tertio genitiui declinationis quintæ, Græcorum; sed apud nos tertiæ, vt *Æneados, Arcados, Agannipidos, Amaryllidos, Briseidos, Cyclados, Chloridos, Erymanthidos, lampados, Minoidos, Naidos, Pallados, Phocidos, Phorcynidos, Propontidos, Sphingos, strommatos, Typhoidos, Thetios, Theseos,* &c. quibus accedunt genitiui rectorum in *ευς*, spectãtium ad tertiam declinationem contractorum, licet enim Atticè declinentur in *εως*, possentque produci, communiter tamen in *εος*, declinantur, & corripiuntur, vt *Morpheos, Nereos, Orpheos, Oeneos, Peleos, Prometheos, Protheos, Perseos, Pentheos, Salmoneos, Tereos, Theseos, Tydeos, Tiphoeos*; & genitiui secundæ declinationis contractorum in *ios*, Ionicè in *εος*, qui ordinariè corripiuntur, vt *Analyseos, Anastaseos, Diœceseos, Phreneseos*; & composita à *polis*, genitiuo *poleos*, Ionicè.

Appendix.

Cæsuræ deputes si vltimam produxit Virgilius in *fagos* pro *fagus*; & Valerius Flaccus in *Ombos*, & Ouidius in

Eury-

Eurythidos, *Aglaodos*, non obstante omicron, quorum versus accipe.

Virgilius 2. Geor. vbi *fagos* est nominatiul singularis.

Castanea Fagos, ornusq; incanuit alba.

Ouid. in Epist.

Eurythidos Ioles, atque insani Alcida.

3. Metamorph.

Lambros, & Aglaodos, & acuta vocis Hylactor.

Sed & Victor, qui produxit in *compos*, cur non cæsura excusetur?

Tunc erit, vt rerum compos, & certa salutis.

Excusari contra nequit Sidonius, qui corripuit in *Pronepos* carm. 11.

Cernat, & in Proauo sibimet quod Pronepos optet.

Reg. XVIII. De Finitis in VS.

VS Finita breuia sunt.

Vt *amicus*, *bobus*, *extrinsecus*, *fiscus*, *introrsus*, *intus*, *littus*, *montibus*, *medullitus*, *omnibus*, *prorsus*, *quibus*, *secus*, *secius*, *specus*, *scripsimus*, *strepitus*, *radicitus*, *viuimus*, &c.

Exceptiones Quatuor.

I. Producuntur monosyllaba, vt *crus*, *grus*, *mus*, *ius*, *plus*, *pus*, *rus*, *sus*, *thus*; & quæcunque habent incrementum longum in *vdis*, *vris*, *vtis*, *vntis*, vt *incus*, *subscus*, *salus*, *seruitus*, *Tellus*, *virtus*, *Amatus*, *vntis*, *Emaus*, *Opus*, *vntis*, *Trimitus*, *vntis*; licet hæc tria ob aliam quoque causam longa sint, de qua Exceptione 3. *Palus*, autē *Paludis* variatur; nec *Tellus* rectè corripitur à Martiano Capella, *Senectus* à Cornelio Gallo corripitur; quis boni æui scriptorem carpat? alij tamen malunt fuisse Maximianum quendam.

II. Producuntur genitiui singulares, & casus omnes plurales nominum Latinorum quartæ declinationis, vt *domûs*, *fructûs*, *manûs*, *nutûs*, &c. ob crasim latentem in his casibus, prisci enim declinabant sic olim *fructus*, *fructuis*, *fructui*, *fructuem*, *fructus*; & in plurali *fructues*, *fructuum*, *fructibus*, *fructues*, *fructues*, *fructibus*; vt obseruat Vossius lib. 2. cap. 31. neç obstat illud 1. Metamorph.

Domus antra fuere.

Est enim singularis numeri, vt illud Lucani 4.

Sanguis erant lacryma.

III. Producenda sunt nomina, quæ Græcè desinunt in

ῦς, ob diphthongum; talia sunt *Iesus*, ἰησοῦς, item *Amathus, vntis, Cerasus, Emaus, Hydrus, Phlius, Opus, vntis, Pessinus, Panthus, Trapezus, Trimitus*; & genitiui in ῦς, à nominatiuis in ὼ, vt *Alectus, Argus, Clothus, Clius, Echus, Didus, Manthus, Pithus, Sapphus*; quæ autem deriuantur à πῦς ποδὸς, vt *appus, antipus, Lagopus, Hippopus, Melampus, Polypus, Sciopus, tripus*; genitiuum habentia in *odis* variantur, nam spectata dialecto communi produci possunt, ob diphthongum ου; at Æolicè corripi, quia Æoles vertunt illa in πος.

IV. Nomina Græcolatina in *eus*, quæ Græcè in ευς, vltimam longam habent, & in illis *eus*, est vnica syllaba, vt *Atreus, Achilleus, Agatocleus, Briareus, Caphareus, Epimetheus, Lycoreus, Morpheus, Oeneus, Proteus, Penteus, Phalereus, Prometheus, Phineus, Salmoneus, Vlysseus*, & alia multa; Si tamen per Dialisim resoluatur ευς, in duas syllabas, licebit vtramque corripere, quod forte fecit Virgilius in Culice, dicens:

Naiadum cœtu tantum non Orpheus in te.

Et ibidem.

Pœnaque respectus, & nunc manet Orpheus in te.

Nisi duriusculè contendas esse versus spondaicos, de qua re vide nostrum Indicem secundum.

Appendices Tres.

I. Cæsuræ priuilegio vltimam productam notabis in his vocabulis, *fultus, grauidus, inualidus, Hebrus, domus, manibus, pectoribus, Euryalus, fatigamus, profugus, sinus*; nempe in Nonæ partis versibus 545. 575. 585. 594. 611. 621. 624. 635. 690. 703. 2198.

II. Vrbium nomina in *vs*, quorum genitiuus in *vntis*, vltimam habent longam ob Græcam diphtongum; scribuntur enim per ους, vt in *Amathus, vntis; Cerasus, vntis; Phlius, vntis; Opus, vntis; Trapezus, vntis; Trimitus, vntis*.

III. Prisci non rarò abiecta littera S, dictiones in VS, terminabant V breui, vt in *Æliu* pro *Ælius* apud Ennium:

Egregiè cordatus homo catus Æliu Sextus.

Similia exempla vide in Nonæ partis versibus 8. 10. 11. 12. 13. 15. 17. 19. 29. 32. 39. 42. 45. 46. 48. 52. 57. 58. 59. 60. 62. 226. 240. 270. & 302.

Finis Quartæ Partis.

PARS

PARS QVINTA
Regulæ Speciales
MEDIÆ SYLLABÆ.

Regula I. De Compositi Parte Posteriori.



Rima Syllaba posterioris partis Compositi tanta est, quanta extra compositionem.

Sic breuis est penultima in *atenim*, *centimanus*, *circumdare*, *consouet*, *dedecus*, *duumuiri*, *Homobonus*, *nihilominus*, *propemodum*, *Semicaper*, *Semideus*, *Semihomo*, *siquidem*, *tritauus*, *versicolor*, *vndisonus*, quia breuis est prima in simplicibus, *dare*, *decus*, *fouet*, *manus*, &c contra verò longa est penultima in *bilibris*, *consouit*, *iniquus*, *insanus*, *immitis*, quia prima longa in *libra*, *mitis*, *sanus*, *æquus*, *fouit*.

Exceptiones Duæ.

I. Corripitur penultima in *agnitus*, *cognitus*, *causidicus*, *confragus*, *deiero*, *fatidicus*, *innubus*, *ossifragus*, *peiero*, *pronubus*, *vndifragus*, *veridicus*; licet in simplicibus prima longa sit in *dico*, *frango*, *iuro*, *notus*, *nubo*; licet secunda in connubio varietur; adde his *nihilum*, si componitur à *ni*, & *hilum*.

II. Tertia in *semisopitus* corripitur, licet prima in *sopio*, & *sopitus* longa sit. In *ambitus*, *ta*, *tum*, adiectiuè producitur penultima; licet prima in *itum*, breuis sit; Demum in *legirupa*, & *plaustrilucus* correpta inuenitur penultima ob necessitatem metri, sed non à Poetis primæ Classis *Compegi*, & *impegi* secundam habet longam, licet in *pepigi* breuis sit.

Appendix Triplex.

I. Manet vis simplicium in compositis, etiam si vo-

calis,

calis, aut diphthongus in aliam vocalem transeat. Sic breuis est secunda in *concutio, despicio, diligo, diffiteor, recido, recino, resilio, recipio, reticeo, retineo,* quia breuis prima est in *cado, cano, capio, fateor, lego, quatio, specio, taceo, teneo*. Et longa est secunda in *concludo, collido, displodo, obedit, perquiro, succido, suffoco*; quia prima longa est in *audit, claudo, cadit, fauces, lado, plaudo, quaro*.

II. Manet item vis simplicium in compositis, etiam si non integra illud ingrediantur, vt *contigit, dispulit, oppedit, pracedit*, à præteritis *cecidit, pepulit, pepedit*. Excipitur tamen *compegit*, & *impegit*; cuius secunda longa, licet à *pepigit* sit, cuius prima, & secunda est breuis.

III. Innumerabilia sunt Græcolatina nomina composita, in quibus prima posterioris partis breuis est, quia per ε, aut ο; vel longa est quia scribitur per η, vel ω; vel ει, vel ευ; exempli gratia breuis est penultima in *Archilochus, Aristoteles, Astrologus, Carpophorus, Christophorus, Exodus, Philoponus, Polyxena, Synodus*, quia prima in simplicibus, sic habet Græcè λόχος, λόγος, ὁδὸς, πόνος, στένος, ξένος, φόρος. Contra vero longa est penultima in *Antiphona, bibliopola, dicolos, Eudemus, Melanurus, Polydorus, sphæroides*, quia Græcè in simplicibus est φωνὴ, δῶρος, εἶδος, πωλέω, κῶλον, δῆμος, οὖρος.

Regula II. De Compositi Parte priori polyſyllaba.

De Monosyllabis enim vide Partem 3. Reg. 4. & 5.

VLtima syllaba prioris partis polysyllabæ in Composito si posterior pars sit à nomine aliquo, vel verbo deducta, breuis est; si autem pars posterior sit Enclytica, aut syllabica; tanta est, quanta extra compositionem.

Exempla prioris partis huius Regulæ percurrendo vocales, in quas desinit prior pars Compositi sint.

In A, *Anapæstus, anagoge, Catapulta, Cataractâ, castrametor, decachordus, diametrus, diapasma, diapente, hendecasyllabum, Hexameter, Metamorphosis, metanœa, Octaphorus, Pentameter, Pædagogus, Paranymphus, Tetrachordum, Tetrameter*.

In

In E; *Ædepol, Archetypus, anteuolo, benefac, benefacta, cuiusquemodi, fabrefactus, huiuscemodi, maledico, propemodum, vndecunque, vndelibet, vndeuis, valedicere, videsis*.

In I, vel Y; *Alipedes, Amnicola, armipotens, Archipoeta, anguipedes, Architectus, Angiportus, amphitheatrum, antidotum, Astypalensis, Astidamas, antithesis, arcitenens, aniternus, aquipedes, æquinoctium, caprificus, Capricornus, Calipotens, Caprimulgus, Causidicus, carniuorus, cornicen, Cicuticen, centipes, centimanus, centimeter, doctiloquus, domicœnium, domiporta, Epinicium, Epiphonema, Eurymedes, Eurynomus, fatidicus, fatilegus, fontilegus, fidicen, heredipeta, Iphigenia, Iphimedon, lucripeta, lacticolor, latipodes, longimanus, lucttificus, ludimagister, lyricen, magnificus, multiuolus, monticola, montiuagus, multifidus, multicolor, multiformis, mellifico, manifestus, murilegus, nidifico, noctiuagus, nocticolor, notifico, nouimestris, octipedes, omnipotens, omniparens, ouipara, ossifragus, Palinodia, Palinurus, pericarpium, Polydorus, Polyphemus, Pontifex, ruricola, semipedes, Semideus, semisepultus, sesquipedalis, sacrilegus, sagittifer, sortilegus, significo, saxifragus, sonipes, Terrigena, tergiuersor, testificor, tauriformis, tubicen, veridicus, versicolor, versipellis, vitisator, vaticinus, veliuolus, vndisonus, vndifragus, vulnificus, venenifer, vniuocus, vniuersus, &c.*

In O; *Acroceraunia, Acrocorinthus, Androgeos, Aristophanes, Antropophagi, Arctophilax, Argonauta, apotheca, aphronitrum, bibliopola, bibliotheca, bardocucullus, Carpophorus, Christophorus, Chrysogonus, controuersia, Cymodoce, Cymothoe, duodenus, Dæmophilus, Græcolatinus, holocaustum, holosericus, Hippolytus, hypocaustum, Laomedon, Laodice, Latophagus, Licomedes, monosyllabum, monogamus, Nomotheta, Onocentaurus, opobalsamum, Protogenes, Pharmacopola, Philomela, quandoquidem, Rinoceros, Rhododaphne, sacrosanctus, Sycophanta, Theodorus, Theopompus, Timoleon*; quamuis Græcolatina hæc nomina, ideo quoq; corripiantur, quia scribuntur per omicron.

In Y; *Centuplum, Cornupeta, decumestris, decumanus, diuturnus, genuflecto, Graiugena, induperator, indupeditus, manufactus, nenuqueunt, nenupotest, quadrupes, quadruplum, quintuplum, Troiugena, vsucapit, vsuuenit*, quo Vossius reducit, *lutulentus, fraudulentus, puluerulentus, vsucapit*. Lucretius produxit in *manduco*, sed potest legi disiunctim.

At exempla posterioris partis Regulæ sunt composita ex

ex *que, ve, ne, ce, se, de*; syllaba enim antecedens has particulas, breuis, longa, aut communis est, prout extra compositionem esset, vt breuis in nominatiuis, aut accusatiuis; *astraue, templaque, huccine, huncene, pleraque, quantaque, tantane, siccene, huccene, hunccene*, pro quibus *siccine, huccine, indedem*, pro quo *indidem*, & *vndeque*, pro quo *vndique*, & *itedem* pro *itidem*. At si ablatiui sint, vt in *quantâque, eâ lem, Terrâue*, longa est penultima, sic in *doctique, mariue, vidistine*; Communis verò est in *tantidem*, & *ibidem*; quia I, pertinere potest tum ad finem prioris, tum ad initium posterioris partis; communis item in *vbicunque, vbiuis*.

Exceptiones Quatuor.

I. Producitur A; si ablatiuus sit, vel ab ablatiuo deductum, vt *eatenus, nullatenus, quaqualibet, quaquauersum*.

II. Producitur E, si antecessit syncope, vt in *veneficus* pro *venenificus*; *videlicet* pro *videre licet*; *vacesio* pro *vacuesio, assuesio, consuesio* pro *assuescisio, consuescisio, expergesio* pro *expergiscisio*; *mansuefacio* pro *mansuescificio*; reliqua enim à *facio*, vel *fio*; Composita, si non sint à verbis secundæ coniugationis corripiuntur, vt in *cinefactus, lacefacio, labefacto, quatefactus, tremefactus*. Sed si à verbis secundæ variantur pro necessitate, vel opportunitate metri, quamuis ex se videantur esse longa; sic ex nostro indice leges, breuem, aut communem esse secundam in *calefacio, calefactus, madefacio, putrefacio, patefacio, patefactus, pauefactus, rubefacio, stupefactus, tepefacio, tumefactus*; ex quibus colligo, si metrum tulisset, potuisse corripi in aliis, in quibus inuenitur producta E, nempe in *conferuefacio, feruefactus, frigesio, liquefactus, liquefacio, rarefacio, rarefactus, tabefacio*.

III. Producitur I, in passis crasim, aut syncopen, vt in *meridie, postridie, quotidie*, pro *merissimo die, postero die, quoties die*; *tibicen* pro *tibiicen*, item in *mihiq; tibiq; sibiq; vbiq; ibiq; vtrobiq; quanticunq; qualicunq; quantiuis, Reipublica, cuiq;* trissyllabo, *meliphillum*, variat tamen in *quotidianus*, & controuersia est de *vnicuique*, vt & in interrogatiuis *nostine, vidistine*, ego inueni longum in *nulline*; ob necessitatem quoque metri, nempe concursum trium breuium, aut breuem clausam inter duas longas. ut ob diuisionem, & neglectum compositi inuenies productum I, in *Architectus, angiportus, ludimagister, patricida, patricida, putricaua, Regifugium, sacrificium, verisimilis*, cum alioquin corripi debuisset.

IV.

IV. Producitur O, in *alioquin, introduco, quandocunque, quandoque, retrouersus*, aut vbi Græcè est ω, vt in *Geometra, lagopus, Gelopus*. At in *Leucopetra*, & *Theophila*, cum corripi debuerit, productum est ob necessitatem metri, quod & Theognis fecit in διά, nempe in διαβολία; & Mantuanus in V, in *virulentus*.

Reg. III. De Accentu.

ACcentus non est causa quantitatis syllabarum, sed in aliquibus est indicium tantummodò, ita tamen, vt illam pro sui recto vsu præsupponat cognitam.

Sunt enim multa vocabula, quæ in penultima quoque syllaba carent accentu, & tamen eam longam habent. Et sunt haud pauci etiam docti viri, qui aliter ob accentum, aut consuetudinem in prosa pronunciant, & aliter in versu eandem syllabam vsurpant, aut vsurpare deberent, si, vt par est, accentum à quantitate syllabica distinguant. Allibi itaque, nempe Parte VIII. de Accentuum vi, & sede in scribendo, ac pronunciando pertractabimus. Interim duas Regulæ huius partes hoc loco inseremus.

I. Omnis syllaba, quæ Græcè accentu circumflexo notatur, longa est; vt prima in δρᾶμα, *drama*, κρᾶσις; & secunda in καρπῖνος, *carpinus*, Γεμῖνος, viri proprium nomen.

II. In dictionibus merè Latinis penultima, si acuatur à peritissimis harum rerum, indicium est eam longam esse; breuem autem, si non acuatur.

Reg. IV. De Incremento Nominum.

INcrementum nominis, vel pronominis est cum crescunt syllabæ in casibus obliquis, præcipuè in Genitiuo singulari, seu plures sunt, quam in casu recto.

Huius Regulas dabimus percurrendo Vocales ante consonantes recti casus terminatiuas; ad quas vocales spectat incrementum.

De Incremento pertinente ad A.

A, Incrementum in AI, longum, vt *aquai, aulai, lunai, pictai*.

A,

A. Increm. in ATIS, breue est, vt *Poema, atis*; *anigma, dogma, stemma, atis*.

ABS. Increm. in ABIS, breue est, vt *Arabs, Arabis, trabs, trabis*.

AL. Increm. in ALIS, in masculinis breue est, vt *Annibal, Asdrubal, Adherbal, Baal, Hiempsal, Nabal*.

In neutris longum est, vt in *Animal, bacchanal, ceruical, sal, thoral, tribunal, alis*.

AN. Increm. in ANIS, longum est, vt in *Alcman, Brachman, Naaman, Pan, Paan, Titan, anis*.

ANS. Increm. in ANDIS, longum est, vt *Iuglans*.

APS. Increm. in APIS, breue est, vt in *Lalaps, apis*.

AR. Increm. in ARIS, in masculinis, & in neutris, quorum pluralis non est in ARIA, breue est, vt in *Amilcar, Balthassar, Cæsar, Gaspar, Lar, momar*; item in neutris *bacchar, iubar, nectar, nenuphar, instar, par* cum compositis, *separ*; sed producitur in *far, faris, Nar, Naris*.

In neutris autem quorum pluralis in ARIA, longum est, vt in *aluear, cochlear, calcar, lupanar, laquear, specular, torcular, puluinar, aris*.

AR. Increm. in ATIS, breue est, vt *hepar, hepatis*.

AS. Increm. in ADIS, vel ADOS, breue est, vt *Arcas, Cyclas, decas, dorcas, dipsas, gymnas, Hebdomas, Nomas, Olympias, Oreas, Pallas, Pleias, Psecas, symplegas, Troas, adis, vas, vadis*.

In ANTIS, ob positionem longum est, vt *Atlas, Calchas, amans*.

In ARIS, breue est, vt *mas, maris*.

In ASIS, longum est, vt in *vas, vasis*.

In ATIS, longum est, vt *atas, Arelas, castitas, cuias, nostras, Priuernas, Rauennas, societas, vestras, atis*. Corripitur tamen in *anas, anatis*, & *erisypelas, erisypelatis*.

AX. Increm. in ACIS, in adiectiuis longum est, vt in *audax, bibax, capax, contumax, dicax, edax, furax, ferax, linguax, loquax, mordax, sagax, salax, fternax, tenax, verax*; item in his substantiuis, *Aiax, cordax*, genus saltationis, *fornax, Hierax, Limax, myrmax, Pax, Phaax, Thorax, acis*.

Breue autem est in reliquis substantiuis, vt in *abax, Atax, atrax, antrax, borax, climax, colax, corax, dropax, fax, Hilax, Labax, Mystax, Nicticorax, opopanax, panax, Phylax*; cum compos. *Arctophylax, chartophylax, gazophylax, nomophylax, smilax, scolopax, storax, styrax*; licet Manilius necessitate metri produxerit penultimam in *Arctophylaca*. Variatur autem in *Syphax, acis*. Pro *Candax*,

dax, & *Pharnax* melius vsurpatur *Candaces*, & *Pharnaces*, penultima breui.

In AGIS, breue est, vt *Harpax, agis*.

De Incremento pertinente ad E.

E. Increm. in IVS, commune in versu, acuitur in prosa, vt *ille, illius, ipse, ipsius, iste, istius*.

EBS. in EBIS, longum, vt *plebs, plebis*.

In IBIS, breue, vt *calebs, calibis*.

EC. Increm. in ECIS, longum, vt in *halec, halecis*.

EL. Increm. in ELIS, longum, propter *n*, vt in *Danael, Gabriel, Ismael, Michael, Raphael*.

EMS. Increm. in EMIS, breue, vt *hyems, hyemis*.

EN. Increm. in ENIS, longum est propter *n*, vt *attagien, lien, lichen, ren, siren, splen*; variatur autem *Hymen, Hymenis*.

In INIS, breue est, vt *agmen, carmen, flumen, gramen, limen, numen, tibicen*.

ENS. Increm. in ENTIS, ob positionem longum, vt *accidens, sapiens*.

EPS. Increm. in EPIS, longum, vt *seps, sepis*.

In IPIS, breue, vt *forceps, manceps, particeps, princeps*.

In VPIS, breue, vt *auceps, aucupis*.

ITIS, breue, vt *anceps, ancipitis, biceps, triceps*.

ER. Increm. in ERI, breue, vt *alciger, falciger, frugifer, furcifer, gener, Liber, miser, Presbyter, Scaliger, Socer*, producitur tamen in *Iber, Iberi*, & *Celtiber, Celtiberi*.

In ERIS, in merè Latinis corripitur, vt in *anser, cancer, carcer, congener, degener, iter, itiner, gingiber, later, piper, suber, verber, vomer*; producitur tamen in *ver, veris*.

In Græcolatinis longũ est ob *n*, vt in *Byzer, character, crater, clyster, cremaster, Gilimer, Halter, luther, præster, poder, Ricimer, Ser, stater, soter, sphinther, Valamer, vreter*; corripitur tamen, in *aer*, & *ather*.

In IVS, in versu commune, in prosa breue, in *alter, alterius, vter, vtrius, neuter, neutrius*.

ES. Increm. in EDIS, longum, vt in *hares, merces*; sed breue in *pes*, cum compositis, *alipes, bipes, cornipes, sonipes, tripes*.

In EI, longum, vt in *acies, ei, facies, dies, species*; Excipe *fides*, & varia, *rei, spei*.

In ETIS, longum, vt in *locuples, quies, Rhamnes, tapes*; & reliquis, quæ per *n*, vt *Chremes, Cures, Cres, Hermes, labes, Laches, magnes*; corripitur autem in *hapes*, & *præpes, præpetis, aries, abies, paries*.

In

In IDIS, breue est, vt in *deses, præses, reses, idis.*

In ITIS, breue est, vt in *Antistes, cocles, comes, cespes, eques, hebes, hospes, interpres, limes, miles, poples, pedes, sospes, stipes, trames, termes.*

EX. Increm. in ECIS, longum, vt *fex, halex, myrmex, narthex, veruex,* corripitur tamen in *nex, & prex, ecis.*

In EGIS, longum in *Lex, Rex, Prorex*; breue in *aquilex, grex, lelex, sortilex,* & reliquis compositis à lego, legis.

In ICIS, breue est, vt in *aurifex, carex, cortex, carnifex, culex, forfex, frutex, haruspex, ibex, index, iudex, pellex, pollex, pulex, pontifex, opifex, forex, silex, vindex, vertex*; producitur tamen in *vibex, vibicis.*

In ILIS, breue, vt in *supellex, supellectilis.*

EVS. In EI, vel EOS, breue, vt in *Orpheus, Perseus, Theseus.*

De Incremento pertinente ad I, vel Y.

YBS. Increm. in YBIS, breue, vt *chalybs, lybis.*

ID. Increm. in IDIS, breue, vt in *Dauid,* si Hebraicum *Kirekaton* sequeris potius, quàm consuetudinem.

IL. Incremen. in ILIS, breue, vt *consimil, mugil, pugil, vigil, strigil,* de *Tanaquil* controuertitur; Cauallus corripi ait.

IN, & YN. Increm. in INIS, vel YNIS, longum est, vt in *Delphin, Eleusin, Gortyn, Procrin, Phorcyn, Salamin, Trachin*; quæ sunt dicalectica, seu duplicis terminationis, & in recto casu habent etiam *Delphis, Eleusis,* &c.

INX, vel YNX, in YNCIS, longum ob positionem, vt *Lynx, lyncis.*

In INGIS, vel YNGIOS, longum, vt *Lynx, Lyngis, Larynx, Sphinx.*

IPS, vel YPS, in IPIS, breue, vt *stips, stipis*; sed longum in *Grips, Gripis.*

In CYPIS, breue, vt *Cynips, Cynipis, flumen.*

In IPHIS, longum, vt *Gryphs, Gryphis.*

IR, vel YR; increm. in IRI, breue, vt *leuir, leuiri, vir, viri.*

In IRIS, breue; vt in *Abadir, Gadir.*

Vel YRIS, breue; vt in *martyr.*

IRPS, in IRPIS longum, vt *stirps.*

IS. Increm. in ENTIS, longum ob positionem; vt in *Pyrois, Opois, Simois.*

IS, in EOS, breue; vt in *antithesis, diœcesis, analysis, dosis, hæresis, phrenesis, eos.*

IS, in ERIS, breue; vt in *Cinis, cucumis, puluis, vamis*.

In IDIS, vel YDIS, breue; vt in *Amaryllis, Adonis, Anubis, Achilleis, idis*.

Vel IDOS; vt *Clamis, Daphnis, Eleleis, Bryseis, Chryseis, Iris, Nais, Nereis, Paris, Phyllis, Pyramis*; producuntur tamen *Crenis, Crenides, Nesis, Nesides*; sed variatur in *Psophis, Psophidos*.

In IRIS, longum; vt in *Glis, Gliris*.

In ITIS, longum; vt in *Dis, lis, quiris, Samnis, itis*.

IX, vel YX, increm. in ICIS, vel YCIS, longum in fœmininis huiusmodi; vt in *altrix, Beatrix, cantatrix, datrix, iaculatrix, monitrix, meretrix, nutrix, saltatrix, speculatrix, textrix*, item in his *bombix, cicatrix, cornix, cothurnix, ceyx, felix, iunix, perdix, phenix, scandix*.

Breue autem est in *calix, calyx, cilix, coxendix, chœnix, Eryx, filix, fornix, Histrix, Larix, natrix, pistrix, pix; salix, varix, icis*.

Variatur autem in *Bebrycis*.

In ICHIS, vel YCHIS breue; vt in *Callitrix, Sardonix, Tehis*: sed pro *mastyx* dicitur *mastyche*: Græcè enim μαστιχή.

In IGYS, vel YGIS breue; vt in *Dieryx, Iapyx, Phryx, Styx*. Sed longum in *Biturix, Ceix, coccyx, mastyx, tettyx, ortyx*: variatur autem in *strix, strigis*.

In IVIS breue; vt in *nix, niuis*.

De Incremento pertinente ad O.

O. Increm. in ENIS longum; vt *Anio, anienis*.

In INIS breue, vt in *cartilago, cardo, Carthago, borago, homo, indago, loligo, nemo, margo, putredo, prurigo, raucedo, salsedo, teredo, vertigo, Virgo*.

In ONIS longum; vt in *Barcino, Cato, Cicero, conditio, Naso, Oratio, Plato, sermo, Sirmio, Sulmo, Tarraco*.

OBS. Increm. in OBIS, breue in *Scrobs*; longum in *scobs*.

OL. Increm. in OLIS, longum in *Sol, solis*; breue in *Michol*, quia Græcè μιχόλ, seu μιλχόλ.

ON. Increm. in ONIS longum, vbi in casibus obliquis remanet ω, vt in *agon, Axon, ammon, Ancon, Colophon, Conon, Eburones, Lacon, Ladon, Deucalion, Polemon, Phædon, Porphyrion, Philistion, Salomon, Sidon, Sion, Simon, Solon, Vectones*.

Breue autem, vbi in obliquis est omicron, vt in *aedon, Agamemnon, Amphion, Arion, Amazon, Chelidon, canon, cotyledon, Iason, Machaon, Memnon, Polemon, Pholemon,*

Phaon,

Phaon, sindon, icon, &c. talia verò sunt quorum rectus in *aon*. Variatur in *Orionis*, & *Britonis*.

In ONTIS, longum ob positionem, vt *Antiphon, Thermodon, ontis, Charon, oriZon, mons, ontis*.

OPS, Increm. in Opis, breue in *Ops, Æthiops, Dolops, ŏpis*; longum vbi ω, vt in *Ægylops, Cecrops, Cyclops, Hydrops, Myiops*.

OR. Increm. in Oris longum; vt in *amor, amaror, ardor, acor, arator, candor, calor, color, decor, dolor, fauor, feruor, furor, honor, humor, labor, liquor, liuor, maior, melior, minor, monitor, odor, olitor, orator, proditor, portitor, pastor, prator, rancor, sapor, soror, sopor, tepor, timor, tremor, torpor, vapor*. Variatur in *ador*, breue autem est in *arbor, alastŏr, æquor, bicorpor, immemor, marmor, memor, Chetor, tricorpor*; & in nominibus proprijs, vt *Alcanor, Bianor, Crantor, Elpenor, Euphranor, Hector, Melchior, Nestor, Nicanor, Nabor, Stentor*.

ORS. Increm. in ORDIS, longum ob positionem: vt *concors, discors, socors, vecors*.

Vel ORTIS; *choortis, mortis, sortis*.

OS. Increm. in ODIS longum; vt *custos, melos, myios*.

In OIS longum; vt *Minos, Heros, ois*.

In ORIS longum; vt *decos, flos, honos, glos, lepos, labos, mos, os, oris*; corripe tamen *arbos*.

In OSSIS longum; vt *os, ossis, exos*.

In OTIS longum; vt *cos, dos, monoceros, nepos, Rhinoceros, Sacerdos*, Sed corripitur in *compos, impos, prapos*.

In ouis breue; vt in *Bos, bouis*, licet varietur in *Bobus*.

OX. Increm. in OCIS longum; *atrox, celox, ferox, velox, voluox*; sed breue in *Cappadox*, & *pracox*.

In OGIS breue, vt in *Allobrox*.

De Incremento pertinente ad V.

VL. Increm. in VLIS breue; vt in *Consul, exul, famul, Mutul, præsul, Sathul*; Sed propter ευ, longum in *Saul, Saulis, Beeizebulis, Chabulis*.

VR Increm. in ORIS breue; vt *ebur, iecur, femur*.

In VRI breue; vt *satur, saturi*.

In VRIS breue; vt *Anxur, astur, augur, fulgur, furfur, Ligur, murmur, Tibur, turtur*. Sed produc in *fur, furis*.

VS. Increm. in ERIS breue est; vt *acus, aceris, funus, genus, glomus, munus, scelus, viscus, visceris, vulnus*.

In IVS, commune in versu, longum in prosa, in *vnius, solius, totius*.

In ODIS breue; vt in *Antipus, Melampus, Oedipus, tripus*.

In ORIS breue; vt *corpus, decus, fenus, nemus, pecus, pectus, penus, stercus, tempus, tergus*. Sed produc in *melius, maius, peius, deterius, nobilius, vilius, amplius, sublimius, subtilius*, & cæteris hisce comparatiuis.

In VDIS longum; vt *Incus, palus, subscus*; sed corripe in *pecus*.

In VIS breue; vt in *Grus, Gruis, sus, suis*.

In VNTIS longum, ob positionem; vt *Amathus, Emaus* &c.

In VRIS longum; vt *ius, mus, plus, pus, rus, thus, tellus*; sed corripitur in *Ligus*.

In VTIS longum; vt *Iuuentus, salus, seruitus, senectus, virtus*; sed breue est in *intercus*.

AVS Increm. in AVDIS, longum ob diphthongum, vt in *fraus, laus*.

VT. Increm. in ITIS breue; vt *caput, occiput, sinciput*.

VX. Increm. in VCIS breue; vt *Crux, dux, nux, tradux, trux*, sed longum in *Lux*, & *Pollux*.

In VGIS breue; in *Coniux, bijux, iniux*; longum in *frux*, & *aux, augis*.

Reg. V. De Verborum Incremento; aut Coniugatione, selecta quædam.

OMissis; quæ de Verborum incremento penè frustra tradunt Grammatici, cum ipso vsu Latini sermonis discendi, nota euadant; seligimus tantum ea, quæ peculiari animaduersione digna sunt, seruato ordine Vocalium.

A

INcrementum Verborum in A, longum est, excepto primo incremento Verbi *Do*, breue enim est in *dabo, darem, dare*, & in compositis *circundare, pessundare, venundare* &c. sed caue, ne confundas cum his, quæ sunt à verbo *vndo, vndas*; in his enim longum est, vt in *abundabam, exundare, inundare, redundabit*.

Præ-

E

1 PRæterita in *Erunt* de ſe longa; poetæ tamen metaplaſmo eleganti per figuram ſyſtolē corripiunt, vbi metri, ſiue neceſſitas, ſiue concinnitas ita fert; habes in Indice noſtro Exempla in *abierunt, adſuerunt, annuerunt, aſtiterunt, biberunt, condiderunt, conſtiterunt, dederunt, dediderunt, defuerunt, emerunt, excierunt, fuerunt, imbuerunt, inuenerunt, impulerunt, inſtiterunt, miſcuerunt, occiderunt, palluerunt, potuerunt, præſtiterunt, prodiderunt, profuerunt, ſteterunt, ſumpſerunt, terruerunt, tranſtulerunt, tulerunt*; penultima breui.

2 Cum ſequente R; incrementum Verborum ſecundæ coniugationis longum ſit, tertiæ autem breue in infinito, & imperfecto, notanda ſunt illa, quæ olim fuere vtriuſque coniugationis, ac perinde incrementi communis in illis modis ſaltem apud Poetas, nimirum verba; *caueo, conniueo, ferueo, fulgeo, frendeo, reſplendeo, reſpondeo, rideo, ſcateo, ſtrideo, ſugeo, tergeo*; pro quibus vſurpata ſunt quoq; *cauo, conuino, feruo, ſulgo, frendo, reſplendo, reſpondo, rido, ſcato, ſtrido, ſugo, tergo*; vt ſcitè docet Gerardus Voſſius in Arte Grammatica lib. 3. de Analogia cap. 35. Quædam item fuerunt, & *prima*, & *tertia*, vt *lauo, lauas*, & *lauo, lauis, ſono, ſonas*, & *ſono, ſonis*; quare in infinito, & imperfecto habuerunt, *lauerem, lauere, ſonerem, ſonere*, penultima breui.

I

1 PEnultimam ſubiunctiui modi in RIMVS, & RITIS, ſi temporis ſint futuri, longam eſſe conſentiunt Diomedes lib. 1. Probus lib. 1. Seruius lib. 6 Aenei. ſi verò ſint præteriti temporis, longam item eſſe contendit Probus, ac Seruius, ideò q; in Virgilium 6. Aenei. dicentem:

Namq; vt ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti, & nimium meminiſſe neceſſe eſt.

Aiunt, neceſſitate metrica corripuiſſe penultimam præteriti *egerimus*, & in horum ſententiam vergit Voſſius lib 3. de Arte Grammatica cap. 21. & noſter Emmanuel de Increm. Verb. in Scholijs, dummodo Probus vixerit tempore Martialis, & Plinij: At Diomedes, & Agrocius aiunt, produci eam ſyllabam, in futuro, & circumflecti; ſed in præterito ſic acui, vt tamen breuis ſit, & in fu-

turo correpta inueniatur, illud non à futuro coniunctiui in RO, sed in RIM, terminato deduci. Nunc inualuit consuetudo, vt vtrumq; in prosa corripiamus. De versu enim satis est posse vtrouis modo, saltem figura; aut necessitate aliqua metrica vsurpari; vt exemplis mox constabit; & de præterito quidem correpto exemplum Virgilij in *Egerimus* iam præmisi, quod tamen produci posse auctoritate Probi, Seruijque diximus: De futuro autem subiunctiui, sæpius producto, aliquando tamen correpto, exempla hæc sunto.

Ennius 6 Annalium.

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.

Catullus in Phalæcio ad Lesbiam.

Dein cum milla multa fecerimus.

Ouidius lib. 4. de Ponto eleg. 5.

Et maris Ionij transieritis aquas.

Et ibdem.

Consulis vt limen contigeritis, erit.

Ex 6. Metamorph.

Haustus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse, simul vitam dederitis in vndis.

Iuuencus lib. 4.

Tunc sanctis dignè poterimus credere dictis.

Sed futurum correptum habent Lucretius lib. 1.

Quas ob res, vbi viderimus nil posse creari.

Ouid. 2. Metam.

Mentior, obscurum nisi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas summo mea vulnera Cælo
Videritis stellas, illic vbi circulus Axem.

Ouid. 4. de Ponto el. 5.

Hæc vbi dixeritis, seruet sua dona rogate.

2. *Orior* in secunda persona habet *Oreris* penultima breui, & tamen in tertia *oritur* penultimam corripit, sicut, & in prima pluralis numeri *orimur*, quæ cum ita sint, de compositis *adoritur*, *cooritur*, *exoritur*, *adorimur*, *exorimur*, *coorimur*; scio à doctis quoq; viris dubitatum; præsertim cum hinc Virgilius canat 1. Aeneid.

Exoritur clamorque virum, stridorq; rudentum.

At Lucilius satyra 3. dixerit:

Conturbare animum potis est, quicunq; adoritur.

Nimirum hæc verba, sicut & *morior*, & *potior* fuere olim tum tertiæ, tum quartæ coniugationis deponentium, vt aduertit Vossius lib. 3. de Analogia cap. 35. quare si tertiam sequamur, corripi potest penultima; si quartam produci, sic Ennius dixit 14. Annalium.

Nobis se ostendat, si viuimu', siue morimur.

Et Terentianus in Eunucho actu 3. scæna 1.

Risu omnes, qui aderant emoriri.

Sic *potitur* apud Virgilium 3. Æneid. est tertiæ, inchoat enim versum sic, *Vt potitur*; at apud Næuium 2. Iliados est quartæ.

Facundo penetrat penitus, thalamoque potitur.

Et apud Lucillium:

Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

3. Demum quædam verba fuere tam tertiæ, quam quartæ coniugationis actiuorum, nempe *cupio, pario, sallio*, ideoq; inuenies apud Auctores, *cupere*, & *cupire*; *parere*, & *parire*; *sallere*, & *sallire*; esto nunc non sint vsitata nisi *cupere, parere*, & *sallire*.

Atqui Lucretius lib. 1. dixit.

confringere vt acta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

Vbi tamen aliqui legunt *cuiret*.

Et Ennius:

Oua parire, solet genu' pennis condecoratum.

Et Lucillius sat. 8.

Sallere murenis, mercem infrigidaria ferre.

Quare si quis saltem in versu produceret penultimam in *cupimus, cupitis, cupitur*; & in *parimus, paritis, paritur*; & contra verò corripiat in *sallimus, sallitis, sallitur*; nõ posset violatæ Latinitatis conuinci, sed ad summum affectati archaismi.

Reg. VI. De Patronymicis.

Patronymicum nomen est loco nominis proprij substitutum, & à parentibus, aut maioribus, aut consanguineis, aut patria, vel habitatione, aliaue re insigniter distinctiua formatum; de cuius plerumque formatione à genitiuo casu, aut datiuo, simul ac quantitate penultimæ agendum est.

Igitur masculina tribus modis formantur, in IADES, vel ADES, penultimà breui, vel in IDES, penultima breui quidem si formatur à genitiuis nominibus penultimam breuem habentibus; longa autẽ si à genitiuis penultimam longam, vel ob mutam, liquidamq; communem habentibus, & si à genitiuis in *i*, formentur, termi-

nent hanc diphthongum in penultima apud Græcos, qua ratione rursus longa est.

Fœminina autem formantur nouem modis: nempe in AIS, penultima breui, vel OIS, penultima longa in recto casu, si excipias *Nereis*, quæ variatur; vel in IAS, penultima breui; vel in AS, vel IS, penultima tanta, quanta est penultima genitiui, à quo formantur; vel in ITIS, aut OTIS, penultima longa; sed omnia huiusmodi patronymica habent incrementum, & breue; vel denique in INE, vel in ONE, penultima longa in recto, & obliquo casu. Sed exemplis præcepta clariora fient.

MASCVLINA in IADES, penultima breui.

A Nominibus primæ, aut secundæ declinationis, *Acheloiades, Amintiades, Anchisiades, Asopiades, Batiades, Crotopiades, Honoriades, Laertiades, Menetiades, Naupliades, Otriades, Phereciades, Sperchesiades, Thespiades, Vriades*; nempe filius, aut nepos, &c. *Acheloi, Amintæ, Anchisis, Asopi, Batti, Crotopi, Honorij, Laertis, Menetij, Nauplij, Otrei, Pherecij, Sperchesij, Thespij*, & VR, qui fuit pater *Beseleelis*; sic poetæ Christiani à *Thare* patre, *Thariadem, Abrahamum*, & ab *Isai* Patre *Isaidem, Dauidem* formarunt, ita tamen, vt ob diphthongum Hebraicam in dissyllabo *Isai*, penultimam in *Isaides*, quidem produxerint. *Acrisioniades* autem non ab *Acrisio*, sed à fœminino patronymico *Acrisione* filia *Acrisij* formatum est.

A nominibus tertię declin. vt *Abantiades, Amphitryoniades, Athaminatiades, Atlantiades, Cleoniades, Dryantiades, Laomedontiades, Phaetontiades, Scipiades, Telamoniades*, à datiuis *Abanti, Amphytrioni, Athamanti, Atlanti, Cleoni, Dryanti, Laomedonti, Phaetonti, Telamoni, Scipioni*, à quo *Scipioniades*, & per syncopem *Scipiades*. Sic apud Poetas Christianos Iosue filius Nun, dicitur *Nuniades* à *Nun*, Latinè declinato *Nunis, Nuni*.

MASCVLINA in ADES, penultima breui.

Vt *Hippotades*, filius Hippotis, *Æneades*, seu in plurali *Æneada*.

MASCVLINA in IDES, penultima longa.

A nominibus primæ, aut secundæ declinat. ; vt *Æacides*,

cides, Æcalides, Chionides, Dardanides, Hyrtacides, Harpagides, Iasides, Iapetides, Iliades, Iphitides, Labdacides, Olenides, Phliasides, Phylirides, Priamides, Rhapsacides, Romulides, Sisyphides, Tantalides, Tyndarides, *Zacharides*, Videlicet *Achilles* nepos, aut *Pyrrhus*, pronepos *Æaci*; reliqui autem filij, aut prognati *Æcali, Chionis, Dardani, Hyrtaci, Harpagi, Iasij, Iapeti, Ilia, Iphiti, Labdaci, Oleni, Phliasi, Phylira, Priami, Rhapsaces, Romuli, Sisyphi, Tantali, Tyndari, Zacharia*; in plurali autem vsurpantur plerumque *Dardanida*, pro *Troianis*; *Romulida* pro Romanis; sic *Abramida*, & *Isacida* pro Hæbreis ab Abrahamo, & Isaaco, quæ sicut in Zacharide, idest *S. Io. Baptista* penultimam breuem habere possunt, sicut esse potest in *Abraam, Isaac, Zacharia*.

A nominibus Tertiæ, vt *Achamenides, Actorides, Æsonides, Agenorides, Amyntorides, Antenorides, Cecropides, Hectorides, Ixionides, Maonides, Nachorides*, idest *Thare*, *Nestorides, Oedipodionides, Pelopides, Thestorides*, à datiuis *Achameni, Actori, Æsoni, Agenori, Amintori, Cecropi, Hectori, Ixioni, Maoni, Nachori, Nestori, Oedipodioni*; Ionice formati patronymicè ab *Oedipo, Pelopi, Thestori*.

MASCVLINA in IDES, penultima breui.

A nominibus primæ, aut secundæ; vt *Amphiaraides, Belides, Chrysides, Euclides, Lygurgides, Neoclides, Patroclides*, à genitiuis *Amphiarai, Beli, Lygurgi, Euclis, Neoclis, Patrocli*; item quæ à genitiuis desinentibus in εος, & habentibus rectum casum in ευς, sed horum enim genitiuus tam Ionicè, quam Æolicè formatur in ηος, & ειος, & datiuo in ηι, & ειι, quare non mirum si penultimam longam habeant, esto à Græcis formentur potius à datiuis, at à Latinis à suis genitiuis, vt *Alcides, Achilides, Ægides, Aloides, Atrides, Basilides, Capharides, Heraclides, Larides, Lycorides, Lyncides, Nelides, Oenides, Pelides, Persides, Phoronides, Promethides, Thesides, Tydides*, à genitiuis *Alcei, Achillei, Ægei, Aloei, Atrei, Basilei, Споharei, Larei, Lycorei, Lyncei, Nelei, Oenei, Pelei, Persei, Phoronei, Promethei, Thesei, Tydei*; quorum rectus casus est ευς, *Alceus, Achilleus, Ægeus, Aloeus, Atreus, Basileus, Caphareus &c.*

A nominibus tertiæ; vt *Deucalionides, Leonides, Iapetionides, Talaonides*; à datiuis *Deucalioni, Leoni, Talaoni*; & patronymico Ionico *Iapetioni, Iapetion*; enim à *Iapeto*,

pete, vt *Oedipodion* ab *Oedipo* patronimicè formatum est, Ionica dialecto; Clarauacæus quoque Poeta recens produxit penultimam in *Leonidas*; sed incertum, an hoc sit patronimycum. Si quis velit horum penultimam breuem, formet ea in IADES, vt *Deucalionides, Talaoniades &c.*

FOEMININA in AIS, penultima breui, & in EIS, vel OIS, penultima longa, cum incremento vtroque breui.

AIS, vt *Athenais, Phocais, Thebais*, penultima breui, producitur tamen (credo necessitate metri) ob concursum breuium in *Achais*, & *Homelais, Ptolemais*; si quidem, & antepenultima horum breuis est; dicitur etiam *Achaias*, vt infra; sunt autem hæc à nominibus *Athenæ, Achaia, Homole, Phocide, Ptolemaus, Thebæ*.

EIS, vt *Achilleis, Æneis, Bryseis, Baccheis, Cadmeis, Chriseis, Christeis, Clymeneis, Cythereis, Cybeleis, Eleleis, Myneis, Priameis, Schaccheis, Theseis, Triopeis*, à nominibus *Achilles, Æneas, Bryse, Bacchus, Cadmus, Chryses, Clymene, Cytherea, Cybele, Eleleus, Mynias, Priamus, Scacchia, Theseus, Triope*; & penultimam longam habent, quia Græcè desinunt in ηις, at quia *Nereis* vtroque modo desinit, scribitur νηρηις, & Atticè νηρεις, ideò penultimam communem habet.

OIS; vt *Acherois, Latois, Minois, Typhois, oides*.

FOEMININA in AS, & IS, cum incremento breui.

In AS; vt *Orcas, Phœbas, Troas*; ab ὄρος, mons, à *Phœbo*, à *Troia*, at quæ desinunt in IAS, penultimam breuem habent, vt *Abantias, Æetias, Cephisias, Daulias, Dryas, Ephyreias, Herodias, Hamadryas, Lesbias, Pallantias, Pelias, Paantias, Phaetontias, Phasias, Pythias, Taumantias*, ab *Abante, Aeeta, Cephiso, Daulio, Ephyre, Lesbo, Pallante, Pelio, Paante, Phaetonte, Rhasi, Pythio, Thaumante*; nempe ab horum vel genitiuis, vel datiuis.

In IS, cum genitiuo IDIS, vel IDOS, & plurali IDES, & incremento breui; vt *Æolis, Aeolidos, Argolis, Argolidos, Aganypis, Agannipidos*; & plur. *Agannipides, Aonis, Asis, Ausonis, Atlantis, Belis, Colchis, Cartalis, Coronis*,

Ery-

Erimanthis, Gnosis, Hesperis, Hippocrenis, Italis, Lybistis, Mænalis, Oebalis, Ormenis, Pegasis, Phasis, Phorcynis, Phoronis, Pieris, Sicelis, Sidonis, Sythonis, Thessalis, Trinacris, Tritonis; ab *Aeolo, Argo, Aganippe, Aone, Ausone, Asia, Atlante, Belo, Castalia, Colcho, Coroneo, Gnoso, Erymantho, Hippocrene, Italo, Libe, Mænalo, Oebalo, Pegaso, Phasi, Phorcyn, Phoroneo, Piero, Sicilia, Sidone, Sithone, Trinacria, Thessalia, Tritone*; hoc est ab horum genitiuis, aut datiuis.

FOEMININA in ITIS, & OTIS, penultima longa.

ITIS, vt *Oceanitis, idis; Tanaitis, idis; Memphitis, Moabitis, Sunamitis*; quorum incrementum breue, ab *Oceano, Tanai, Memphi, Sunam*.

OTIS; vt *Icariotis, Libanothis, Mareotis, Maotis, Nilotis*; ab *Icaro, Libano, Nilo*, &c. quorum item incrementum in *idis* breue.

FOEMININA in INE, & ONE, penultima longa.

INE, vt *Adrastine, Heroine, Neptunine, Nerine*; Ionum more ab *Adrasto, Heroe, Neptuno, Nereo*.

ONE; vt *Acrisione, Etione, Icarione*; item Ionum more ab *Acrisio, Eetio, Icaro*.

Sequuntur aliæ Regulæ de Vocalibus ante Consonantes in Media Syllaba.

Reg. VII. De A, ante Consonantes in Media Syllaba.

A, Ante consonantes quasuis simplices in media Syllaba corripitur, vt in *Cottabus, Ardacus, Carneades, ascalaphus, Aruiragus, anomalus, Satrapa, Araris, Gymnasium, Palœphatus*.

Exceptiones.

Excipiuntur, tum ea, quorum incrementa nominis, aut verbi in A, longum est; iuxta dicta Regula 4. & 5.

tum

tum quæ per Regulas generales excipienda sunt; putà si per η, Græcè scribantur, vt *Sinapi*, vel per α, vel per ᾱ, aut exemplo singularis alicuius vocabuli ex Indice nostro noti, tum denique quædam formationes nominum, de quibus mox dicemus ordine consonantium seruato.

A, ante B, producitur in pluralibus datiuis, ablatiuisq; in *abus*, vt in *ambabus*, *filiabus*, *mulabus*; & in adiectiuis, *abilis*, *abundus*; vt in *amabilis*, *detestabilis*, *palabundus*; cum deriuatis *amabiliter*, &c. corripitur tamen in *dabilis*, *stabilis*, *istabilis*; producitur item in substantiuis in *abrum*, vel *abulum*; vt in *candelabrum*, *volutabrum*, *acetabulum*, *venabulum*, *cunabulum*.

A, ante C, producitur in peregrinis, quæ non in *iacus*, sed *acus* exeunt, vt in *Valachus*, *Belachus*; & in nominibus locorum nō in *iacum*, sed in *acum* formatis, vt in *Eboracum*, *Cameracum*, *Tornacum*; at si desinant in *iacus*, vel *iacum*, Poetæ non ignobiles corripiunt, vt *Cyriaco*, *Cluniacum*, *Lauriacum*; Producuntur item formata in *aceus*, *aceum*, *aculus*, *aculum*, *acrum*, vt *herbaceus*, *violaceus*, *mustaceum*, *vernaculus*, *loquaculus*, *vmbraculum*, *tabernaculum*, *spiraculum*, *ambulacrum*. Græca quoque numeralia in *ακόσιος*, producuntur a, ante c; vt *diacosios*, *tiracosios*.

A, ante L, producitur in adiectiuis in *alis*, vel neutris in *ale*, vt in *Cerealis*, *sodalis*, *glacialis*, *niualis*, *socialis*, *nauale*, *mapale*, *secale*.

A, ante M, producitur in neutris definentibus in *ama*, *area*, *amentum*; vt in *acroama*, *lauamen*, *conamen*, *atramentum*, *testamentum*.

A, ante N, producitur in nominibus proprijs, Latinisq; in *anus*, vt in multis peregrinis, vt in *Coruncanus*, *Quintilianus*, *Sextilianus*, *Iulianus*, *Traianus*, *Nathanus*; esto Græci aliquando corripiant in *Iulianus*, & *Claudianus*; item in Nominibus in *anor*, & in gentilibus in *anus*, vt in *Bianor*, *Euphranor*, *Nicanor*, *Cormanus*, *Germanus*, *Hispanus*, *Romanus*, dempto *Sequanus*, & variato *Sicanus*; producitur item in adiectiuis exeuntibus in *anis*, *aneus*, *anius*, *anus*, vt in *immanis*, *extraneus*, *instantaneus*, *succedaneus*, *superuacaneus*, *Titanius*, *decumanus*, *tertianus*; demum produc in neutris in *aneum*, vt *calcaneum*, *suppedaneum*.

A, ante R, producitur in neutris definentibus in *are*, *aria*, *arium*, vt in *cochleare*, *calcaria*, *granarium*, *graphiarium*, *salarium*; & in adiectiuis formatis in *aris*, *arius*,

aria, *arus*, vt in *Consularis*, *molaris*, *aquarius*, *librarius*, *notarius*, *vicarius*, *caluaria*, *auarus*, *amarus*.

A, ante S, producitur in compositis à κρᾶσις, vt *acrasia*, *eucrasia*; & in adiectiuis in *asius*, *asio*, vt *amasius*, *amasio*.

A, ante T, producitur in nominibus quartæ in *atus*, vt in *bimatus*, *equitatus*, *peditatus*, *Senatus*, *Magistratus*, *Tribunatus*; & in Gentilibus in *ates*, vel *ata*, vt *cuiates*, *Aquinates*, *Arpinates*, *Antiata*, *Spartiata*, *Casennates*, *Rauennates*, *Priuernates*; item in adiectiuis exeuntibus in *aticus*, *atilis*, *ator*, *atorius*, *atus*, vt in *aquaticus*, *fanaticus*, *venaticus*, *Orator*, *Oratorius*, *pratorius*, *monstrator*, *fluuiatilis*, *saxatilis*, *volatilis*, *fimbriatus*, *gemmatus*, *ligatus*; item in gemmarum nominibus, vt in *aspilates*, *achates*, *gagates*; & in nominibus in *atio*, *ationis*, vt in *oratio*, *damnatio*, *cunctatio*; denique in aduerbijs in *atim*, vt in *centuriatim*, *paulatim*, *singillatim*, *vocatim*; dempto tamen *affatim*; corripiuntur verò, quæ à *datum*, & *statum*.

Reg. VIII. De E, ante consonantes in Media Syllaba.

E, Ante consonantes quasuis simplices in Media Syllaba corripitur, vt in *Erebus*, *altrinsecus*, *Tenedus*, *Elegus*, *Cypselus*, *Seseli*, *Panemus*, *Demosthenes*, *Telephus*, *Cassiterus*, *Herbesus*, *impetus*, *Calpetus*.

Exceptiones.

Excipiuntur tum quorum incrementum nominis, aut verbi in E, longum est, iuxta dicta Regula 4. & 5. tum quæ ob generales Regulas producenda sunt; putà quià scribuntur per η, vel ει; tum exempla singularia vocabulorum in Indice nostro repertorum, tum quædam formationes vocabulorum, de quibus mox dicendum iuxta ordinem consonantium.

E, ante B, producitur in pluralibus nominibus, vt in *diebus*, *speciebus*, & in adiectiuis in *ebilis*, vt in *delebilis*, *complebilis*.

E, ante C, producitur in compositis à θήκη, vt in *apotheca*, *bibliotheca*, *hypotheca*, *chirotheca*, *Lipsanoteca*.

E, ante D, in nominibus in *edes*, ideò producitur, quia Græcè scribitur per η, vt in *Agamedes*, *Diomedes*, *Palamedes*, *Nicomedes*, &c.

E, an-

E, ante L, producitur in fœmininis in *ela*, vt *candela*, *mutela*, *suadela*, *loquela*, *tutela*; & in adiectiuis, vel gentilitijs in *elis*, vt in *fidelis*, *fratruelis*, *patruelis*, *matruelis*; & Hæbraicorum nominum incrementa in *elis*; quia Græcè habent η, vt Danielis, Israelis, Ismaelis, item composita à κηλὴ, vt *bubóncele*, *hydrocele*, *epiplocele*, *enterocele*, quæ sunt morborum nomina.

E, ante M, & N, producitur in compopositis à δῆμος, vt in *Aristodemus*, *Eudémus*, *Nicodemus*; & in neutris in *ema*, si Græcè in ημα, vt *diadema*, *Ephiphonema*, *emblema*, *problema*, *systema*, variatur tamen in *anathema*, & *epithema*; quia vtrouis modo terminatur nempe in ημα, & in εμα; producitur item in fœmininis in *ena*, vel *ene*, vt in *cantilena*, *catena*, *lagena*, *postilena*, *Magdalena*, *Adiabene*, *Hippocrene*, *Pirene*, *Dalene*, *Diabene*, *Neriene*, *sophene*, habent enim Græcè η, sicut & patria in *enus*, *Amasenus*, *Damascenus*, *Antiochenus*, *Abydenus*, *Agarenus*, *Oasenus*, *Lampsacenus*, *Ruthenus*, *Samosatenus*; denique producitur in nominibus proprijs in *Enor*, Græcè ηνωρ, vt in *Antenor*, *Elpenor*, *Euenor*, *Protenor*.

E, ante R, producitur in nominibus, quæ Græcè habent η, cuiusmodi sunt propria in *erus*, vt *Assuerus*, *Gualterus*, *Vulnerus*, *Soterus*, item incrementa nominum in *eris*, vt *crateris*, *characteris*, *stateris*, &c. demptis tamen *aeris*, & *atheris*, habent & η, ante ρ, neutra in *erium*, vt *mysterium*, *psalterium*, *sphaeristerium*, *apoditerium*.

E, ante S, producitur tum in numeralibus in *esimus*, vt *centesimus*, *millesimus*, *sexagesimus*; & composita ex νῆσος, insula, vt *Lyrnesus*, *Chersonesus*, *Proconesus*, *Peloponesus*; & fœminina in *esis*, si Græcè in ησις, desinant, vt *Asthresis*, *Anachoresis*, *Catechesis*, *diœcesis*, *exegesis*, *exhomologesis*, *ecphonesis*, *mathesis*, *phranesis*, *pleuresis*, *epitimesis*; non omnia tamen sunt talia, nam quædam desinunt in *esis*, & corripiuntur *Genesis*, *Hæresis*, *diæresis*, *thesis*, cum compositis *antithesis*, *metathesis*, *prothesis*, *sinthesis*.

E, ante T, producitur in adiectiuis in *etilis*, vt in *deletilis*, *concretilis*, vtpote à supinis in *etum*; item Græcolatinorum incrementa in *etis*, vt *lebetis*, *tapetis*, *Chremetis*, *Hermetis*, *Daretis*; quia per η, sicut & masculina officium personæ significantia, vt *Poeta*, *Propheta*, *Proxeneta*, *auleta*; non tamen quæ in θέτα, hæc enim corripiuntur, vt *agonotheta*, *logotheta*, *nomotheta*; habent & η, quæ à μήτηρ, vt *ortygometra*, *tettigometra*, & composita à κλήτος, vt *Anacletus*, *Paracletus*. Producuntur etiam loca consita plantis, vt *Buxetum*, *myrtetum*, *Platanetum*, *quercetum*, *salicetum*.

E, an-

E, ante V, consonantem quando substituitur pro diphthongo Græca, ευ, producitur vt in fœmininis omnibus in ευη, qualia sunt, *asceue*, *diasceue*, *parasceue*.

Reg. IX. De I, ante consonantes in Media Syllaba.

I Ante quasuis consonantes simplices, corripitur, vt in *omnibus*, *publicus*, *fanaticus*, *aridus*, *sordidus*, *fumigat*, *nobilis*, *facilis*, *animus*, *optimus*, *fraxinus*, *oleaginus*, *œsipum*, *Tytirus*, *cithisus*, *stirpitus*, *Alphitus*.

Exceptiones.

1. Excipiuntur tum ea, quorum nominis, & verbi incrementum longum est, iuxta dicta Regula 4. & 5. tum quæ longa sunt ob Regulas generales parte secunda traditas, vt si scribantur Græcè per η, vel ει, vel ῖ; aut ob exceptiones in Regula de Deriuatis, vel compositis; aut exemplo singulari in Indice nostro reperta, tum quædam conformationes nominum, vel aduerbiorum, de quibus mox seruato ordine consonantium.

I, ante C, producitur in nominibus proprijs, ac peregrinis in *icus*, vt in *Alaricus*, *Atalaricus*, *Fridericus*, *Gensericus*, *Henricus*, *Hunericus*, *Ludouicus*, *Theodoricus*, *Vldaricus*; 2. in deriuatis à νίκη victoria, vt in *Berenice*, *Callinicus*, *Eunicus*, *epinicium*, *Ieronica*, *Olimpionica*, *Thessalonica*; 3. in diminutiuis *iculus*, *icula*, *iculum*, si præcedat breuis syllaba, ob necessitatem, credo, metri, vt in *aqualiculus*, *canicula*, *fidicula*; vel si à nominibus habentibus incrementum longum in *icis*, vt *cantatricula*, *meretricula*, *nutricula*, *saltatricula*, à *cantatrice*, *meretrice*, &c. alioquin diminutiua hæc solent corripi: 4. in adiectiuis illis, quæ in *icius* formantur, sed à supinis, vel participijs, hæc enim vt nos cum Io. Pincerio, & Vossio lib. 2. Gram. c. 23. obseruauimus producuntur, vt in *aduenticius*, *commendaticius*, *pignoraticius*, *expositicius*, *facticius*, *ficticius*, *nutricius*, *adiecticius*, *adscititius*, *collecticius*, *conducticius*, *emissicius*, *dediticius*, *suppositicius*; alioquin si non à participijs, supinisue formentur, sed à nominibus corripitur antepenultima, vt in *ædilicius*, *cathedralicius*, *floralicius*, *gentilicius*, *natalicius*, *patricius*, *prætoricius*, *primicius*, *Saturnalicius*, *tri-*

bu-

banicius. Esto Priscianus lib. 4 absq; discrimine putarit vtraq; corripi, porrò ex antiquis manuscriptis marmoribus, ac numismatis constat hæc potius per C, quam per T, scribi.

I, ante D, producuntur peregrina nomina in *idus*, vt *Giotefridus, Sigefridus, Gaufridus, Valfridus*, & fœminina in *ido*, quorum incrementum in *idinis*, vt *formido, crepido*, & Patronymica masculina à genitiuis, aut datiuis habentibus penultimam longam iuxta dicta Reg. 6.

I, ante G, producuntur fœminina, in *igo*, cum incremento in *iginis*, vt *caligo, prurigo, vertigo*, & composita, aut deriuata à *stigo*, vt *instigo*, *vestigo*, *vestigium*, *præstigia*.

I, ante L, producuntur neutra substantiua in *ile*, vt *cubile, ouile, bouile, hædile, sedile, equile, fœnile*, & adiectiua ætatis, vel professionis, vt *anilis*, *fabrilis, seruilis, senilis, scurrilis, iuuenilis, vernilis, puerilis, virilis*.

I, ante M, producuntur neutra in *imen*, & *imentum*, à verbis quartæ, vt *lenimen, rudimentum*, & composita à τιμή, vt *Neotimus*, *Philotimus*, *Eutimius*, *Theotimus*; producitur etiam in *matrimus*, & *patrimus*, vt docet contra Scaligerum, & Politianum Vossius lib. 2. c. 23. quia his non additur *timus*, sed *patri*, & *matri*, additur *mus*, ideoque longa est, sicut in *primus, bimus, trimus. quadrimus*: at quando additur *timus*, corripitur penultima, vt in *aditimus. finitimus, legitimus, solistimus*, demum producuntur peregrina in *imus*, vt *Eliacimus*, *Ioachimus*, *Ephraimus*.

I, ante N, producitur in nominibus patrijs, vt *Agrigentinus, Patauinus, Aquinas. Arpinas*; & in adiectiuis ab animalibus formatis, vt *agninus, bouinus, caninus, leoninus, ouinus, equinus, olorinus*, cum deriuatis, vt *vulpinor, bouinor*; & appellatiua fœminina, vt *culina, Regina, ruina, textrina, officina, lapidicina*; & patronymica in *ine*, vt *Nerine, Adrastine*; & incrementa in *inis*, à Græcolatinis rectis in *in* desinentibus, vt *Salaminis*, *Delphinis, Trachinis, Eleusinis*.

Hic verò notãdum est, quædam esse adiectiua in *inus*, quæ si ab animalibus ipsis formentur, producunt penultimam, vt *elephantina, prudentia, bombicinus, somnus*; at si materiam ab ipsis separatam significent, corripiunt, vt *elephantina, signa, bombicina, vestis*; vt & cætera significantia materiam, calorem, odorem, aut saporem, ex rebus inanimatis, idest carentibus animâ sensitiuâ; vt *adamantinus*, *amethystinus*, *amaranthinus*, *amaracinus*,

amyg-

amigdalinus, asbestinus, boracinus, bissinus, balaustinus, chalcantinus, carpasinus, vel *carbasinus, cedrinus, cichorinus, coccinus, crocinus, crystallinus, corallinus, cucurbitinus, fabaginus, faginus, gausapinus, glaucinus, hyacinthinus, hyanthinus, Irinus, Lactucinus, Laurinus, mellinus, myrrhinus, mastichinus, nardinus, nasturcinus, nenupharinus, oleaginus, omphacinus, petrinus, prasinus, populinus, porphyrinus, quercinus, Saccharinus, Sandarachinus, storacinus, stibinus, Sulphurinus, Sardonychinus, Sapphirinus, Smaragdinus, Sinapinus, thalassinus, Tyrianthinus, vitrinus.*

I, ante, R, producitur in nominibus peregrinis, vt in *Casimirus, Cleodomirus, Ramirus, Thodemirus, Rabirius.*

I, ante T, producitur in nominibus patrijs, vel officiorum in *ita,* vel *ites,* aut *itis,* desinentibus, vt in *Ninivita, Leuita, palastrita, Leuites, Oceanitis, Moabitis, Sunamitis, Galaaditis*; item in nominibus lapidum, vel succhorum, aut vinorum conditorum in *ites,* vt in *absinthites, abrotonites, galactites, porphyrites, hamatites, atites*; vel morborum in *itis, phrenitis, tympanitis, nephritis, pleuritis*; & in frequentatiuis à verbis quartæ, vt *dormito, prurito, irrito* ab *hirrio.*

Reg. X. De O, ante consonantes in Media Syllaba.

O Ante quasuis consonantes simplices, in Medijs Syllabis corripitur, vt in *Abscoba, Deiphobus, Archilochus, Cymodoce, Androdus, Androgeos, systole, diastole, œconomus, Aponus, Episcopus, Carpophorus, Pandrosus, despotus.*

Exceptiones.

Excipiuntur quæ producenda esse diximus, tum in Regulis Generalibus Partis 2. vt si scribantur per *ω,* vel *ʋ,* aut in Regula de Compositis, vel de incremento nominum, ac Verborum singularia illa vocabula, quæ in Indice nostro producta inueniuntur, nec ad aliam Regulam reduci possunt, quàm ad exemplum singulare; tum ea de quibus mox ordine consonantium seruato.

O, ante B, producitur in casibus pluralibus in *obus,* vt *ambobus, duobus,* licet, variet in *bobus.*

O,

O, ante D, producitur in deductis ab ᾠδὴ cantu, vt in *epodus*, *monodus*, *psalmodia*, *parodia*, *prosodia*; & in nominibus proprijs, quorum rectus singularis in *odes*, quia scribuntur per ω. vt *Herodes*, *Nebrodes*, *Orodes*.

O, ante G, producitur in deductis ab ἀγω, & in compositis à πώγων barba propter ω; vt in *agoge*, *anagogicu*, *Isagoge*, *mystagogus*, *synagoga*, *Polipogon*, *mysopogon*, *Chrysopogon*, *melampogon*, *leucopogon*, *psychagogia*; in *octogesimus*, & *octoginta* producitur ob crasim *octuagesimus*, *octuaginta*.

O, ante L, producitur in compositis à κῶλον, membrum, vt in *dicolos*, *monocolos*, *tetracolos*, *protocolon*, *isocolon*, quia per ω, sicut & quæ à πωλέω vendo, vt *bibliopola*, *œnopola*, *Thermopolium*, *Monopolium*, *propola*.

O, ante M, producitur in peregrinis nominibus proprijs in *omus*, vt *Absalomus*, *Edomus*, *Enomus*; quia per ω, non tamen Græca à στόμα, hæc etiam corripiuntur, vt *Epistomium*, *Chrysostomus*, sed hæc sunt composita; producuntur, & neutra in *omen*, *omentum*, & quę Græcè per ω, vt neutra in *oma*, & *omum*, *agnomen*, *abdomen*, *cognomentum*, *axioma*, *diploma*, *aroma*, *semichioma*, *symptoma*, *amonum*, *cinnamomum*.

O, ante N, producitur in nominibus proprijs in *Onius*, vt *Antonius*, *Apollonius*, *Atronius*; & in ijs, quæ per ω, vt fœminina in *one*, vt *Oenone*, *Acrisione*, *Hippone*, at composita à φωνή. vox, vt *antiphona*, *polyphona*, *euphonia*, *caphonia*, *simphonia*, *monophonu*; aut composita à γνώμη, vel ζωνή, vt *Physiognomia*, *physiognomus*, *polygnotus*, *perizonium*, *epizonium*, *parazonium*; & demum obliqua incrementi in *onis* ex recto casu in O, vt *Ciceronis*, *Platonis*, *sermonis*, *Barcinonis*, *conditionis*, & deriuata ab ὄνομα vt *Hieronymus*, *Copronymus*, *Callionymus*, *homonymus*, *patronymicus*, *synonimia*, *anonimus*.

O, ante P, producitur in compositis ab ἄντρωπος, vt in *Antropophagus*, *Mysantropus*, *Lycantropus*, *Philanthropica*.

O, ante R, producitur in compositis à δωρὸς donum, vt in *Antidora*, *Diodorus*, *Menodorus*, *Metrodorus*, *Theodorus*, *Nyphodora*, *Zenodorus*, *Triphiodorus*, *Theodoretus*, & in incrementis masculinorum in *oris* à rectis in *or*, vt *candoris*, *laboris*, *odorus*.

O, ante S, producuntur quæ Græcè habent ω, cuiusmodi sunt fęminina multa in ωσις, vt *apotheosis*, *apolocynthosis*, *metempsicosis*, *metamorphosis*, *Ephanoschosis*, *hypotiposis*, *phlagosis*, *anastomosis*, non tamen quæ à δόσις, hæc enim corripiuntur, vt *antidosis*.

O,

O, ante T, producitur in Patronymicis, in *otis*, aut patrijs in *ota*, quia per ω, vt in *Icariotis*, *Libanotis*, *Cypriota*, *Epirota*, *Phthiota*, *Italiota*, *Limniota*, *Siciliota*, *Thesprota*; & in deductis à πτῶσις, id est casus, vel incidentia, vt *asymptotum*, *monoptotum*, *diptotum*, *tripotum*, *polyptoton*, *homoeoptotum*, *symptotum*.

Reg. XI. De V, ante Consonantes in Media Syllaba.

V Ante simplices consonantes in medijs syllabis corripitur, vt in *tribubus*, *intubus*, *volucer*, *insula*, *possumus*, *esurit*.

Exceptiones.

1. Excipiuntur, quę producenda esse constat in Regulis Generalibus Partis 2. vt si scribantur per ȣ, aut in Reg. Compositorum, aut incremento nominum, aut ex Indice nostro in vocabulis singularibus, & quæ mox subiungemus.

2. V, ante consonantes quasuis producitur, in Græcolatinis habentibus ου, qualia sunt deducta à δοῦλος seruus, à βουλὴ Consilium, & ab οὐρὸς cauda, vt *Theodulus*, *Ierodulus*, *Pseudulus*, *Aristobulus*, *Cleobulus*, *Eubulus*, *Nicobulus*, *Arcturus*, *Melanurus*, *Palinurus*, *colurus*, *myiurus*, *sciurus*.

3. V, ante T, producitur in meditatiuis, vt *balbutit*, *cæcutit*, sed in desideratiuis, aut meditatiuis in VRIO, corripitur, vt in *cænaturit*, *cacaturit*, *dormiturit*, *nupturit*; at producitur in *scaturit*, *ligurit*; quamuis hæc non sint propriè meditatiua, nec desideratiua verba.

Reg. XII. De Y, ante Consonantes in Medijs Syllabis.

Y Ante consonantes simplices in medijs syllabis corripitur, vt in *Hieronymus*, *Eurynomus*, *hydrargyrum*, *panegyris*, *martyres*.

Exceptiones.

Excipiuntur excipienda ob Regulas Generales secun-

dæ

dæ Partis, vel Compositorum, aut incrementi nominis longi, aut singularia in Indice nostro reperta, aut quæ mox subijciemus,

Y, ante CH, producitur in compositis, ac deriuatis vel à ψυχή anima, vel à σῦκος *ficus*, vt in *metempsicosis*, *micropsychus*, *melosychon*, *agosyche*, *morosychon*.

Y, ante G, producitur in deductis à πύγη; nates, seu radix caudæ, vt *melampygus*, *vropygium*, *depygis*.

Y, ante N, producitur in deductis à δύνω, *vis*, vel à δύναμαι, *possum*, vt in *anodinus*, *adynaton*.

Y, ante S, producitur in deductis à χρύσος, *aurum*; vt *molochrysus*, *Catochrysus*, *pandochrysus*, *holochrisus*, *pseudochrysus*, *Philochrysus*, *Chimochrysia*.

Y, ante T, producitur in deductis à μύθος, fabula, vt in *Philomythus*, *Polymythus*; idest amator fabularum, & multarum fabularum.

Finis Partis Quintæ.



PARS

PARS SEXTA DE FIGVRIS Ad Prosodiam spectantibus.



IGVRÆ ad Prosodiam spectantes pleræque nomine *Metaplasmi* comprehenduntur; est autem *Metaplasmus* transformatio recti, solitiq; sermonis in insolitam formam, necessitate, aut concinnitate metri facta: cuius speciebus absolutis dicemus de Cæsura, Synalœphe, & Dialœphe. Metaplasmi species oriuntur, vel ex additione litteræ, syllabæue, vt *Prothesis*, qui initio, *Epenthesis*, quæ in medio; *Paragoge*, quæ in fine addit; vel ex detractione, vt *Apheresis*, quæ initio; *Syncope*, quæ medio; *Apocope*, quæ fini detrahit; vel ex constrictione duarum syllabarum in vnam, vt *Synæresis*, cui affinis est *Crasis*; aut ex vnius in duas resolutione, vt *Diæresis*: aut ex transpositione litterarum, quæ *Metathesis* dicitur, aut ex interfectione dictionis, interiecta aliqua dictione, quæ *Tmesis* vocatur; aut ex productione syllabæ, alioquin breuis, quæ *Diastole*; vel correptione longæ, quæ *Systole* nuncupatur; Aut denique ex elisione Syllabæ vltimæ, eiusque transfigurationis in syllabam initialem sequentis vocabuli, quæ *Ecthlipsis* dicitur. Ad hanc reuocari potest *Synalœphe*, cui opponitur *Dialœphe*; Cæsura autem, cum vi eius syllaba breui producitur, reuocatur ad *Diastolem*. *Hellenismus* tandem, & carminibus facilius, aut elegantius construendis seruire videtur potius; quàm quantitati syllabarum; re vera tamen hanc quoque indirectè iuuat, dum suppeditat vocabula Græcolatina, quæ salua Prosodia facilius, aut concinnius ingrediuntur versum.

I. Prothesis.

Prothesis est, cum dictionis principio additur syllaba, aut littera, vt si pro *natus*, *nanus*, *tuli*, dicatur *gnatus*, *gna-*

gnauns, *tetuli*; Sic Græci pro μικρὸς paruus, dicunt σμικρός, & Virgilius *edurum*, pro *durum*. Quod autem aliqui, vt producant primam duplicatis cōsonantibus scribunt *Relligio*, *Relliquiæ*, *rettulit*, &c. nunquam probare potui, cur enim falsa, & fictitia positione assuefacias tirones, violandæ tum Prosodiæ, tum Ortographiæ? Nonne minus peccatur si necessitate metri, aut licentia poetica id fiat, aut ope Diastoles? Quod semel licentia vtendo in recedendo à Legibus, vel Prosodiæ, vel Orthographiæ, nonne rectius est non immittere falcem in alienam messem, & intra Prosodiæ fines consistendo, Licentia huiusmodi vti? idemq; dixerim de *Porsenna*, & *cuculus*, quos aliqui scribunt sic *Porsenna*, & *cucullus*; vt penultimæ productæ rationem adducant, cum alioquin ab alijs correpta inueniatur. Scio Græcos aliquid simile ausos, sed diuersæ dialecti ope, vt cum pro μουσῶν, dicunt μουσάων; & pro κενὸς, vacuus, κεινὸς, & pro νόσος morbus, νοῦσος, & pro ὁπότερος vter, ὁππότερος.

II. Epenthesis.

Epenthesis est, cum medio dictionis additur syllaba, aut littera: vt si pro *intersit* dicas, *intersiet*. Quidam pro exemplis huius figuræ addunt *Mauors*, & *Nauita*, pro *Mars*, & *Nauta*. Sed potius hæc duo per Crasim formata sunt, vel syncopem à solitis olim *Mauors*, & *Nauita*.

III. Paragoge.

Paragoge est, cum fini dictionis additur syllaba, aut littera, vt si dicas *auellier*, *curarier*, *densarier*, *dicier*, *laudarier*, *molirier*, *sectarier*, pro *auelli*, *curari*, *densari*, *dici*, *laudari*, &c. quæ quidem exempla in Indice nostro reperire licet.

IV. Aphæresis.

Aphæresis est, cum initium dictionis mutilatur, vt si dicas *ruit*, *tenuit*, pro *diruit*, *contemnit*, & *tendit*, pro *tetendit*, & *acturust*, *breuist*, *opust*, *similist*, *probust*, *senext*, pro *acturus est*, *breuis est*, *similis est*, *opus est*, *probus est*, *senex est*; mutilato verbo est, quod facit non semel Plautus. Alijs videtur hæc esse *apostrophus*.

Græci dicunt pro ἑορτὴ, dies festus, ὀρτὴ, & pro γαῖα Terra, αἶα, & pro ἐκεῖνος ille, κεῖνος.

V. De Syncope.

Syncope est cum à medio dictionis aufertur syllaba sed litera; habes in Indice nostro Poetarum plurima exempla, quorum præcipua sunt hæc.

Syncope	pro	Syncope	pro
Abstraxe	abstraxisse	*Æthra*	Æthera
addixti	addixisti	*Admorunt*	Admouerunt
accestis	accessistis	*Agricolum*	Agricolarum
agesis	age si vis	*anglus*	Angulus
aspri	asperi	*calda*	Calida
Calfaciendus	Calefaciendus	*Calfactus*	Calefactus
Caldius	Calidius	*Carlus*	Carolus
Cærulus	Cæruleus	*Cælicolum*	Cælicolarum
Cesset	Cessisset	*Circlus*	Circulus
Cleomnes	Cleomenes	*Cōsanguineum*	cōsāguineorū
Commorunt	Commouerūt	*Confluxent*	Confluxissent
Consumpse	Consumpsisse	*Compostus*	Compositus
Consumpsti	Consumpsisti	*Cresse*	Creuisse
Contrieris	Contriueris	*Dædalus*	Dædaleus
Custodibat	Custodiebat	*Direxti*	Direxisti
Deum	Deorum	*Diuisse*	Diuisisse
Dispostus	Dispositus	*Dixe*	Dixisse
Dixti	Dixisti	*Duxti*	Duxisti
Domnus	Dominus	*Eburnus*	Eburneus
Diuum	Diuorum	*Euasti*	Euasisti
Emissem	Emisissem	*Extinxem*	Extinxissem
Expostus	Expositus	*Ferocum*	Ferocium
Faginus	Fagineus	*Fluctat*	Fluctuat
Ficulnus	Ficulneus	*Flerunt*	Fleuerunt
Fodentes	Fodientes	*Gubernaclum*	Gubernaculū
Graiugenum	Graiugenarū	*Impostus*	Impositus
Illexe	Illexisse	*Intuor*	Intueor
Implerunt	Impleuerunt	*Lapique*	Lapideque
Intraro	Intrauero	*Largebar*	Largiebar
Lamna	Lamina	*Marcipor*	Marcipuer
Lardum	Laridum	*Maspiter*	Martispater
Maniplus	Manipulus	*Montiuagum*	Montiuagorū
Misti	Misisti	*Mostis*	Mouistis
Molossum	Molossorum	*Nomenclator*	Nomēculator
Morit	Mouerit	*Nosti*	Nouisti
Mulcibri	Mulciberi	*Oraclum*	Oraculum
Noram	Noueram	*Percusti*	Percusisti
Operibat	Operiebat	*Poplus*	Populus

VII. *Synæresis.*

Synæresis, seu *Synecphonesis*, *Episynalæphe* est cum ex duabus syllabis vna syllaba fit, retentis duabus vocalibus, sed in vnum coactis. Exempla in Indice nostro passim occurrent, videbisque facta esse monosyllaba, *cui, deest, Dij, Dijs, ijt, ait, dehinc, huic, proin, rei,* & dissyllaba, *aret, antehac, anteit, alueo, aureis, Brocheum, Celei, Cerea, deerat, deesse, deinde, deorsum, eadem, eosdem, eodem, eij, ferrei, hæreat, genua, ijsdem, ijdem, inijt, Lynceis, mehercle, Mnesthei, Matthæus, Nerei, Orphei, Orphaa, Orpheum, omnia, proinde, petijt, Phaeton, Persee, prehendo, prehensus, Pheacum, reijce, suauis, seipsa, seorsum, seorsus, sueuus, suadet, tenuia, tenuis, Terei, Theseo, tuantur, vehemens, Vultei*; facta item trisyllaba hæc, *Achillei, Aranei, anteirent, abiete, abiegnus, arietat, ariete, Atronium, Consilium, Chananæus, denarijs, duellicus, Ecclesia, Enipeo, Eurystheo, fluuiorum, mehercule, Matthæus, oriundus, Parnassius, pituita, perduelles, psalterium, Promethei, reprehendo, sibi, ipse, sinuatus, suauibus, Tiphoea, vehementer, vestigijs, Vlyssei*; quadrisyllaba autem hæc; *aluearia, anteambulo, anteeunte, cooperiunt, deerrauerat, deposuerunt, parietibus, Theodoricus, Theodosius*; denique Pentasyllabicum *duodeniginti*.

VIII. *Crasis.*

Crasis, Græcè κρᾶσις est duarum pluriumue vocalium in vnam coalescentium inclusio; siue illæ antea habuerint vim consonantis, aut diphthongum, vel synæresim effecerint, siue non. Ideoq; vim habet producendi syllabam, quia plurium temporum vim in vna inclusam cōtinet. Hinc longa est prima in *biga, bobus, bacula, cotes, corus, cogo, cogito, cludo, Clodius, flarunt, flerunt, iunior, mi, morunt, malo, maius, nil, ni, nonus, noris, nerunt, Plotius, quadriga, triga,* & secunda in *tibicen,* & *obedio,* quia ante Crasim erant *bijuga, bouibus, bouicula, cautes, Caurus, coago, coagito, Claudo, Claudius, flauerunt, fleuerunt, iuuenior, mihi, mouerunt, mauolo, nihil, nisi, nouenus, noueris, nouerunt, Plautius, quadrijuga, trijuga, tibijcen, obaudio.* Quapropter Gerard. Io. Vossius lib. 2. Gram. cap. 15. non subscribit Ausonio, qui contra veterum vsum, & ad crasim non aduertens corripuit primam in *bobus*, videtur tamen vtcunq; excusabilis exemplo Lucretis, qui bis corripuit primam in *subus*. non obstante crasi facta in vocabulo *suibus*; vide infra Versus 1260. & 292.

1292. Non existimo tamen crasim esse in *quis*, quia fit à *quibus*, quod pace P. Ludouici Caualli cap. 4. aliter putantis, dixerim. Sed ideò quia ponitur pro antiquo *queis*. Sed nec in *graueolentia*, seiunctim enim legendum *graue*, sed per synalœphen elidendum.

Differt porrò Crasis à Synæresi, quia in hac retinetur gemina vocalis eiusdem speciei, & à Diphthongo, quia in hac retinentur duæ vocales diuersæ speciei, & in neutra fit inclusio vnius in altera, sed æque primò concurrunt ad constituendum syllabam vnam. At in Crasi abijcitur de pluribus vocalibus aliqua, sic tamen vt eius vis lateat, & includatur in ea quæ retinetur. Differt deniq; à Syncope, & Aphęresi quia hę fieri possunt, etiam si non includatur vocalis vna in altera, porro, si *deest*, *cooperit*, *vehemens*, *prehensus*, *obijt*; retentis vocalibus geminis eiusdem speciei, fiat tamen ex illis vna syllaba, erit Synæresis; at si vnam illarum extriueris, fecerisque *dest*, *coperit*, *vemens*, *prensus*, *obit*, erit Crasis. In *adicit* tamen *subicit*, ac *deicit*, pro *adijcit*, *subijcit*, *deijcit* primam correptam disces ex Indice nostro.

IX. *Diæresis*.

Diæresis, seu Dialisis, est dissolutio vnius syllabæ in duas syllabas, sic ex Indice nostro videbis à Poetis facta hæc trissyllaba, *Caius*, *clausus*, *gaudet*, *soluit*, *suemus*, *suetus*, *suetis*, *sylue*, *sueui*, *Troia*, *Veius*; quadrisyllaba hæc; *aeneus*, *Caianus*, *dissoluo*, *euoluo*, *iugale*, *Sinuessa*, *Tarpeius*; & quinquesyllaba hæc. *Agaunensis*, *dissoluenda*, *dissoluisse*, *peruoluisset*, *elegeia*. Huc etiam reuocanda esset *pituita*, si dicta est à petendo vitam, & per diæresim facta sit tetrasyllabum. Huc reuocant aliqui elisionem, seu abiectionem literæ S, in fine vsurpatam non semel ab antiquis, vt docui in Appendicibus Finitorum in IS, & in VS. Sed consule pro his Indicem, aut potissimum Nonæ partis versus 458. 471. 472. 511. 513. 866. 1230. 1259. 1382. 1383. 2190. pro vocabulis *soluit*, *clausus*, *gaudet*, *dissoluo*, *euoluo*, *syluæ*, *euoluisse*, *dissoluantur*, *dissoluenda*, *dissoluisse*, *sinuessa*.

X. *Metathesis*.

Metathesis est commutatio ordinis in litteris, aut syllabis, vt in *Euandre*, & *Thymbre*, pro *Euander*, & *Thymber*, & in *dare circum*, versu 652. pro *circundare*, & in *facit are*, versu 393. pro *arefacit*; & in *esse super* pro *superesse*, & in *erit super* pro *super erit*; & in *transtra per* pro *per transtra*.

XI.

XI. *Tmesis*.

Tmesis, seu Diacope est dictionis compositæ sectio cum interpositione alterius dictionis, vt si dicas *deque dicatus*, pro *& dedicatus*, & *præquediem veniens*, pro *& præueniens diem*, vt Virgilius Ecl. 8.

Nascere præque diem veniens, age Lucifer ortum.

Et Martialis lib. 1. epigr. sic *Argiletum* secuit.

Argi nempe soles subire letum. Phaleuc.

Et Horatius lib. 1. Epist. 1. *Quadantenus*.

Est quadam prodiri tenus quo non datur vltra.

Alia exempla habes in Nonæ partis versibus hic indicatis.

Versus.	Dictio secta.	Tmesis.
40.	*Detotondit.*	*De* que *totondit* agros.
63.	*Cerebrum.*	*Cere* comminuit *brum.*
186.	*Medicinam*	*Medi* spernere *cinam.*
277.	*Lamentatrici.*	*Lamen* color *tatrici.*
304.	*Quacunque.*	*Qua* vi *cunque.*
306.	*Dissipatis.*	*Dis* que *sipatis.*
313.	*Quacunque.*	*Qua* decidunt corpora *cunq;*
327.	*Reapse.*	*Re* tamen *apse.*
345.	*Cuiuscunque.*	*Cuius* vis *cunque.*
348.	*Interiecta.*	*Inter* enim *iecta.*
370.	*Interrumpere.*	*Inter* quasi *rumpere.*
386.	*Rarefacit.*	*Rare* que *facit.*
543.	*Supererunt.*	*Super* tibi *erunt.*
643.	*Hactenus.*	*Hac* Troiana *tenus.*

Et apud Lucretium.

Conglobata.	*Con* que *globata.*
Congregantur.	*Con* que *gregantur.*
Computrescunt.	*Con* que *putrescunt.*
Consuefaciunt.	*Con* brachia *suefaciunt.*
Immerentes.	*In* que *merentes.*
Inualescunt.	*In* que *ualescunt.*
Depetigo.	*De* que *petigo.*
Impeditus.	*In* que *peditus.*

Et Horatius.

Quocunque. — *Quo* me *cunque.*

Et Ausonius.

Antequam. — *Ante* equidẽ campis *quam.*

Et Rosettus.

Interluit. — *Inter* Anas *luit.*

XII. Systole.

Systole est contractio, seu correptio syllabæ, alioquin longæ; siue necessitate metri, siue licentia non siue concinnitate, sic penultimam corripuere Poetæ, in multis præteritis desinentibus in *erunt*, vt in *palluerunt*, *steterunt*, *tulerunt*, de quibus diximus Parte 5. Reg 5. de Verborum incremento littera E.

XIII. Diastole.

Diastole est productio syllabæ, alioquin breuis, siue necessitate metri, siue licentia fiat, quæ dicitur etiam *Ectasis*; vt in illo Iuuenalis, vbi particula & producitur.

Et animam, & mentem, cum qua Dÿ nocte loquuntur.

Sic primam produxere in *Italiam*, *religio*, *reliquia*, *reperit*, *retulit*; quod melius fieri absq; duplicatione consonantium diximus, dum de Epenthesi.

XIV. Ecthlipsis.

Ecthlipsis est cum litera M, simul cum præcedente vocali eliditur sequente vocali, quod etsi plerumque fiat in fine dictionis, fit tamen & in medio in *circuitus*, pro *circumitus*. Prisci tamen aliquando retinebant M, & sequente vocali illam corripiebant, vt docui exemplis, dum de finitis in M, vbi etiam ostendi Ecthlipsim fieri posse in monosyllabis, vt in *cum*, *dum*, *iam*, *nam*, *num*, *quem*, *sum*, *tum*. Græci in finitis in M, non vtuntur Ecthlipsi.

XV. Synalœphe.

Synalœphe est cum vocalis, aut diphthongus in fine præcedentis dictionis, absorbetur à vocali, aut diphthongo initiali sequentis dictionis, seu ita cum ea coniungitur, vt in illius sonum, & quantitatem transformetur. Et ita dicta est figura ἀπὸ τοῦ συναλοίφειν, quod est simul coniungere, seu conglutinare. Sic in sequente versu Virgilij 2. Æneid.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Secundus per spondeus fit, ac si scriberetur *eromn*, & quintus pes dactylicus sic pronunciatur, *quora te*. Si tamen post interiectiones, *ô ah*, *heu*, *& cui* monosyllabum, sequatur vocalis, aut diphthongus, non fit ordinariè Synalœphe, cuius rei exempla pete ex nostro Indice; inueni tamen factam in *heu*, semel, & in vocatiuo *Linceu*; Vide Indicem.

Fit etiam Synalœphe in fine versus, si sequens versus

à

à vocali, aut diphthongo incipiat, vt Georg. 3.

Et spumas miscent argenti, viuaque sulphura,
Ideasque pices.

In Epitaphijs antiquis leges, *intest, probatast*, pro *in te est*, & *probata est*, vide versum 22191. 22193. & sic de similibus.

XVI. Dialœphe.

Dialœphe est cum in versu negligitur Synalœphe, in quo casu, si dictio, in qua negligitur synalœphe, desinat in vocalem longam, vel in diphthongum, vtraq; tamen potest corripi, beneficio Regulæ de Vocali ante Vocalem, etiam si sequens dictio inciperet à diphthongo. Porrò licet Dialœphe multo frequentior sit apud Græcos, quam apud Latinos Poetas, non pauca tamen exempla Latini suppeditant, quæ cum satis indicauerim Parte 2. Reg. de Vocali ante Vocalem, Append. 2. & Reg. 11. num. 5. superfluum hic fuerit illa repetere; vnicum exemplū hoc loco adducam pro illis Grammaticis, quibus insolens videtur, Vocatiuum nominis *Hyla*, quod longam habet vltimam, in eodem versu à Virgilio semel productum, & iterum correptum. Eclog. 6.

Clamassent vt littus Hyla, Hyla omne sonaret.

Secundo enim loco corripuit ob vocalem ante vocalem, facta Dialœphe.

XVII. De Cæsura.

Cæsura est syllaba vltima dictionis polysyllabæ post pedem aliquem sic vsurpata, vt aut per se stet, aut cum sequentis dictionis initiali syllaba alterum pedem efficiat; Sic in Pentametro Elegiaco syllaba post primos duos pedes abundans, si non sit monosyllabum, est cæsura; & nullus est Hexameter concinnitate aliqua præditus, qui Cæsuræ beneficio pedes inuicem connexos non habeat. Iam si versus habeat post primum pedem Cæsuram dicitur τριημιμερὴς, *Triemimeris* Latinè semitertiaria, & Ecl. 3. Virgil.

Sicelides Musæ, &c.

Vbi post dactylum *Siceli* syllaba *des* velut à sua dictione cæsa, spectat sequentem spondeum *desmu*. Si verò post primos pedes sit Cæsura dicitur πενθημιμερὴς, penthemimeris, Latinè semiquinaria, vt 2. Æneid.

Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos.

Nam post dactylum *Turnus* vt, & spondeum *infrac*, syllaba *tos*, ad sequentem spondeum pertinet. Si autem post

tres pedes fiat Cæsura, dicitur ἑφθημιμερὴς, *Hephthemimeris*, Latinè *Semiseptenaria*, vt Æneid. 1.

Multa super Priamo cogitans super Hectore multa.

Si quidem post tres dactylos syllaba *tans*, spectat ad quartum dactylum *trans super*. Si denique post quatuor pedes fiat cæsura, vocatur ἐννημιμερὴς, *Enneemimeris*, Latinè *Seminouenaria*, vt 10. Æneid.

Graius homo infectos linquens profugus hymenæos.

Etenim post quatuor pedes syllaba *gus*, pertinet ad dactylum *gus hyme*. Aduertendum tamen cum Quintiliano lib. 9. cap. 4. Penthemimerim, Hepthemimerim, &c. non esse solam Cæsuram, sed pedes præcedentes cum Cæsura; Sic enim dicta est, quia Triemimeris est pars dimidia trium pedum; & Penthemimeris dimidia quinque pedum pars; & Hephthemimeris, dimidia pars septem pedum, & Enneemimeris dimidia nouem pedum, Græcè quippe ἡμι significat *semis*, & μερὴς pars, & τρὶς tres, & πένθε quinque, & ἑπτά septem, & ἐννεα nouem; quare si duplicaretur *Triemimeris* fierent tres pedes; si *Pentemimeris*, quinque; si *Hephtemimeris*, septem; si *Enneemimeris*, nouem pedes. Iam verò Diomedes lib. 3. non agnoscit nisi *Penthemimerim*, & *Hephthemimerim*, & loco aliarum addit Sectionem Trochaicam, & Bucolicam, seu Tetrapodiam. Trochaica est, cum post duos pedes sequitur Trocheus dictionem terminans, vt Æneid. 2.

Infandum Regina iubes renouare dolorem.

Nam post duos spondeos *infandum Re-* sequitur *gina*, qui est Trocheus.

Bucolica sectio, seu tetrapodia est cum quartus pes Hexametri sic est dactylus, vt eo terminetur dictio, vt in eodem 1. Æneid.

Multa super Priamo cogitans super Hectore multa.

Nam *super* non connectitur cum dactylo Hectore, nec est pars eius. Quæ omnia considerarunt Grammatici, vt varietatem miram Carminum Homeri præcipuè, & Virgilij nobis commendarent, quo enim crebrius varia-tur hæc Sectionum diuersitas, eò minorem satietatem à similitudine oriri solitam, continet poesis, ideoque maiorem harmoniam efficit.

Appendix.

De Vi Cæsuræ ad producendas syllabas.

Tanta est vis Cæsuræ, vt syllaba alioqui breuis, fieri possit longa, eo quod in ipsa diuisione syllabæ à præcedenti pede, quædam morula intercedat, & in transitu ad sequentes pedes, lateat nescio quid plus temporis. Exempla ab Emmanuele adducta pro Cæsura in Triemimeri, Penthemimeri, Hephthemimeri, & Enneemimeri, in quibus Virgilius finita in VS, & IS, produxit, sunt infrascripta ex Æneid. 4. 5. 10. ordinatim.

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Emicat Euryalus & munere victor Amici.
Vna, eademque via sanguis, animusque sequuntur.
Graius homo infectos linquens profugus hymenaos.

Sed nos longè plura attulimus parte IV. in varijs Appendicibus ad Regulas finitorum in E, T, L, R, IS, VS, eò Lectorem remittimus; Vide etiam Parte 2. Regulam XI. num. 4.

XVIII. De Hellenismo.

Hellenismus, seu Græcismus est Græcanica forma loquendi in Latium translata, vt si in declinatione nominum dicas in genitiuo, *Arcados* pro *Arcadis*, *Matheseos* pro *Mathesis*, *Teraos* pro *Terei*; & in accusatiuo *Platona*, *Hectora*, *cratera*, pro *Platonem*, *Hectorem*, *Craterem*, & in accusatiuo pluralis *Arcadas*, *Thracas*, pro *Arcades*, *Thraces*; aut si dicas, *noli certare duobus*; pro *eum duobus*; aut si dicas *certa mori*, pro *certa moriendi*; aut si dicas *fidens animi* pro *fidens animo*; aut si *lucida vultum*, *stellatus tergora*, *flaua comas*, pro *lucida vultu*, *flaua comis*, &c. Qui modi loquendi non solum fœcunditati, ac facilitati, sed etiam elegantiæ carminum miro modo deseruiunt.

Finis Partis Sextæ.

PARS SEPTIMA
DE PEDIBVS 28.
DE VERSIBVS 60.

Cap. I. De Pedum Speciebus.



ES metricus est dictio polysyllaba, certo syllabarum numero, quantitate, & ordine constituta. In qua definitione genus sumitur à numero, species subalterna à quantitate; species infima, seu vltima differentia ab ordine: quoad genus alij sunt dissyllabi, hoc est duarum syllabarum; alij trissyllabi, nempe trium syllabarum; & hi vocantur simplices; alij compositi ex duobus dissyllabis, qui Græcè Tetrassyllabi, latinè quadrissyllabi dicuntur, videlicet quatuor syllabarum, alij compositi ex vno pede dissyllabo, & altero trissyllabo, qui Græcè Pentassyllabi, latinè quinquesyllabi vocantur, nimirum quinque syllabarum, sed quinquesyllabi inusitati sunt; præter Dochimum, qui constat ex Iambo, & Cretico, seruitque oratoriæ compositioni ad finiendam concinnè periodum; cuiusmodi est *Perhorrescerent*. Extant de Pedibus, ac versibus copiosis tractatus Diomedis lib. 3. Seruij in Centimetro Terentiani Mauri, opere poetico de metris; Antonij Goueani de versibus Terentianis, Herici Glareani de Metris Comicis, Petri Antesignani in præfatio ad Terentium, Martiani Capellæ, Quintiani Stoæ epographe 1. cap. 19. Aldi Manutij lib. 4. Grammat. Hephæstionis Alexandrini; Iulij Cæsaris Scaligeri lib. 1. cap. 34. Poeticæ, & de Comicis dimensionibus, Erasmi Roterad. & Riccij de Metris Comicis, Emmanuelis Aluari sub finem Grammaticæ maioris; Iacobi Gretseri Prosodiæ Græcæ cap. 30. Io. Verrepæi, Ludouici Caualli in Ianua Musarum à pag. 981. & aliorum multorum, ex quibus, & ex nostra Poetarum lectione selegimus, quæ digna scitu arbitrati sumus. Incipiendo ergo à Pedibus quantitatem syllabarum ipsis

ipsis conuenientem indicabimus maiusculis literis B. quæ breuem, & L, quæ longam syllabam indicabit, ordinatim eas collocando iuxta Pedum exigentiam.

Pedes Dissyllabi Exempla.

Pyrrhichius	BB	*benè.*
Choreus, seu Trocheus	LB	*astra.*
Iambus	BL	*micant.*
Sondeus	LL	*Nobis.*

Quem Cicero, & Quintilianus Choreum, multi Grammatici Trochæum vocant. Quem verò Cicero, & Quintilianus Trocheum, illi Tribrachum nominarunt, & Terentianus Pyrrhium, vocat etiam Dibrachym.

Pedes Trisyllabi Exempla.

Tribrachys, seu Trocheus, seu Brachysyllabus.	BBB	*facere.*
Molossus, Hippeus, seu Trilongus, seu Heroicus.	LLL	*gaudentes.*
Dactylus, digito trinodi similis	LBB	*Numina.*
Anapæstus Antidactylus	BBL	*pereant.*
Amphibrachys, idest vtrinque breuis, seu Lesbius	BLB	*Poema.*
Amphimacrus, vtrinque longus, seu Creticus	LBL	*Pontifex.*
Bacchius Baccho sacer	BLL	*Dolores.*
Antibacchius, seu Rhodius	LLB	*dixere.*

Pedes Tetrasyllabi Exempla.

Proceleusmaticus, seu Dipyrrhich.	BBBB	*auidior.*
Dispondeus	LLLL	*Oratores.*
Dichoreus	LBLB	*commodare.*
Dijámbus	BLBL	*Paternitas.*
Choriambus	LBBL	*nobilitas.*
Antipastus, seu Iambichoreus	BLLB	*amauisse.*
Ionicus à maiore, seu sponde Pyrrhicus	LLBB	*Cantabere.*
Ionicus à minore, seu Pyrrhispondeus	BBLL	*Pueriles.*
Pæon 1. Chorepyrrhicus	LBBB	*aspicere.*
Pæon 2. Iambipyrrhicus	BLBB	*docebere.*
Pæon 3. Pyrrhichoreus	BBLB	*moriemur.*
Pæon 4. Pyrriambus	BBBL	*calamitas.*
Epitritus 1. Iambispondeus	BLLL	*reluctantes.*
Epitritus 2. Chorespondeus	LBLL	*Conturbissent.*

Epitritus 3. Spondiambus LLBL *Clamauerant*.
Epitritus 4. Spondechoræus LLLB *Conclamare*.

Appendix de Comparibus Pedibus &c.

Epitriti vocantur etiam Hippij; & nomen Epitriti penultimam breuem habet. *Compares* autem pedes, qui sunt totidem temporum, computatis simul longis syllabis, quæ duorum, & breuibus, quæ vnius sunt temporis; quare spondeo compar est dactylus, Anapæstus, & Amphibrachys, & Proceleusmaticus; Choreo verò & Iambo compar est Tribrachys; *Cretico* autem Bacchius, & Antibacchius.

Cap. II. De Nominibus, ac Speciebus Versuum in Communi.

VErsus, seu *Carmen* est Oratio certo Pedum genere, numero, & ordine constans.

Dicitur autem versus à versura, quia eo absoluto non continuatur eius pronunciatio, aut scriptura per eundem tramitem, sed versura facta reditur ad initium sequentis orationis. At prosa quasi prorsa, seu prorsus tendens vsque ad finem marginis, dicitur.

Carmen verò à canendo, licet nomine Carminis sæpe non vnicus versus, sed integrũ poemation intelligatur; Metrum quoq; Græcè dicitur μέτρον, idest mensura, quod mensuris syllabarum sit alligatum; sic è contrario Prosa dicitur soluta oratio; & quia adstricti sunt versus certo numero Pedum, & modulis quantitatis syllabicæ, dicuntur *numeri, & modi*. Tandem Prosa dicitur oratio pedestris quia soluta à frenis; at Versus oratio equestris, quia freno coercetur quantitatis syllabicæ.

Differentiæ simplicium carminum sumuntur, vel ab Auctoribus, seu inuentoribus, vel à materia, & argumento, cui ex primaria origine, & institutione deputata sunt, vel ab instrumentis musicis; vel à pedibus in versu prædominantibus; vel à numero syllabarum Pedum, aut Carminum eiusdem, vel diuersæ speciei, vel ab excessu, aut defectu syllabarum.

Ab *Auctoribus* sic *Alcaicum* ab Alcæo; *Anacreonticum* ab Anacreonte; *Aristophanicum* ab Aristophane; *Asclepiadeum* ab Asclepiade; *Glyconicum* à Glycone; *Hypponacteum* ab Hipponacte; *Phaleciũ* à Phaleco, vel Phaleuco;

Phe-

Pherecratium à Pherecrate; *Sapphicum* à poetica Sappho denominatum est. *Dithyrambicum* autem à Baccho, qui διθύραμβος dictus est: hoc est, bis egressus ex vtero matris, siue ille fuerit auctor carminis, siue quod aptum esset laudando Baccho cum furore quodam, & titubanti varietate carminum, ebriorum more.

A *Materia*. Sic *Heroicum* dictum est ab heroum rebus gestis laudandis, *Elegiacum* ἀπὸ τοῦ ἐλέγειν, quod est lamentari; *Adonium* ab Adonis laudibus; *Satyricum* à procacitate Satyrorum, quam imitantur, qui libera acrimonia vitia hominum versu notant; *Comicum*, quod Comœdiæ; *Tragicum*, quod Tragœdiæ idoneum sit.

Ab *Instrumentis*. Sic *Lyricum* à lyra, quæ in hymnis concinendis adhiberi consueuit.

A Pedibus prædominantibus; Sic *Dactylicum* à Dactylis: *Anapæsticum* ab Anapæstis; *Iambicum* à Iambis; *Choriambicum* à Choriambis; *Trochaicum* à Trochæis dictum est.

A numero syllabarum. Sic aliud *Pentasyllabum*, aliud *Hendecasyllabum* dicitur, quæ tamen sola differentia non sufficit distinguendis vltimo versibus.

A numero Pedum. Sic aliud *Hexametrum*, idest sex pedum, seu senarius versus, aliud *Pentametrum*, idest quinque Pedum, aliud dimetrum, quod duobus loquendo de simplicibus pedibus, nam si ex duobus pedibus fiat velut passus quidam, seu dipodia, tunc *Versus dimeter* dicitur, qui constat quaternis pedibus; *trimeter*, qui senis, tetrameter, qui octonis pedibus.

A numero versuum cuiuscunque speciei; Sic carmina quædam dicuntur *Monosticha*, vnico versu contenta; quædam *Disticha*, quæ duobus, quædam *Tetrasticha*, quæ quatuor; quædam *Hexasticha*, quæ sex; quædam *Octasticha*, quæ octo; quædam *Decasticha*, quæ decem; quædam *Dodecasticha*, quæ duodecim versibus continentur.

A numero Specierum, quæ permiscentur. Sic *Monocolon* dicitur, idest vnius membri, seu vnica specie versuum constans; *Dicolon*, quod duabus speciebus, puta Hexametro, & Pentametro; *Tricolon*, quod tribus speciebus; *Tetracolon*, quod quatuor speciebus versuum constat, vt in diuersis Odis Horatianis cernitur.

A numero Versuum, post quem reuersio fit ad similem ordinem, numerumque carminum, seu ad eandem stropham. Sic *Monostraphos* ode dicitur, quando est *Monocolos*, quia singulæ strophæ eiusdem speciei carmine continentur; *Distrophos*, quando post bina quæq; diuer-

sæ speciei carmina reditur ad bina altera eiusdem speciei, & eodem ordine; *Tristrophos* autem cum post ternos versus; & *Tetrastrophos*, quando post quaternos versus, reuersio fit ad similem stropham Quare cum tribus Sapphicis subijcitur Adonium, vocatur Ode *Dicolos*; *Tetrastrophos*, quia duo genera carminum habet, licet versuum numerus sit quaternarius. Et si tria genera carminum, sed quatuor versus stropham constituunt dicetur, *Tricolos*, *Tetrastrophos*. Demum si diuersæ speciei strophæ adhibeantur, ordine inuerso dicetur *Antistrophos* illa Ode.

A Syllabarum excessu, vel defectu. Sic carmen *Acatalecticum* dicitur, cui nihil abundat; *Hipercatalecticum*, seu *Hypermetrum*, quod vna syllaba abũdat, *Catalectum*, seu Catalecticum cui deest vna syllaba; at si desit integer Pes dicitur *Brachycatalectum*.

Cap. III. De Dactylicis Versibus.

Reg. I. De Hexametro, seu Heroico Carmine.

HExametrum carmen, seu *Hexameter* versus constat sex pedibus, quorum quintus dactylus est; sextus spondeus, reliqui spondei, vel Dactyli pro libito.

Sunt enim sexdecim configurationes Hexametrorum: quatuor priorum Pedum, quas literas D, dactylum, & S, spondeum indicantibus, ordinatim collocatis ostendemus, modo infrascripto.

DDDD	DSDD	SSSS	SDSS
DDDS	DSSS	SSSD	SDDD
DDSD	DSDS	SSDS	SDSD
DDSS	DSSD	SSDD	SDDS

Libet eodem ordine exempla ex Virgilio suppeditare, quorum ex 2. Æneid. & nonum ex 1. Æneid. reliqua ex prima Ecloga desumemus.

Substitit atque vtero sonitum quater arma dedere.
Tytire tu patula recubans sub tegmine fagi.
Nos Patriam fugimus; Tu Tytire lentus in vmbra.

O Me-

O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit.
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Et penitus toto diuisos Orbe Britannos.
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.
Nos Patriæ fines, nos dulcia linquimus arua.
Apparent rari nantes in gurgite vasto.
Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putaui.
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Mirabar quod mœsta Deos, Amarilli, vocares.
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
Formosam resonare doces Amaryllida syluas:
Syluestrem tenui musam meditaris auena.
Fortunate senex ergo tua rura manebunt.

Appendices Quatuor.

I. Si quatuor priores Pedes ita seorsim dissoluti sint, vt nulla Cæsura inuicem connectantur, hoc est, nec Triemimeri, nec Pentemimeri, nec Hephthemimeri iuxta dicta parte 6. num. 17. Hexameter frigidus, & exsibilandus componetur, vt si dicas:

Vestro Musæ Phœbo dulces pangite versus,
Illico mulcent aures dulcia carmina Diuum.

Sed nec nimia monosyllaba probantur.

II. Aliquando ad maiestatem, grauitatemque, aut tarditatem, vel stuporem, languoremque exprimendum Hexameter quinto loco Spondeum admittit, vnde *Spondaicum* carmen vocatur; sed tunc quarto loco debet præcedere dactylus, neque enim probatur spondaicum illud Ennij.

Ciues Romani nunc facti sunt Campani.

Aut Lucretij lib. 6.

An Cælum nobis natura vltrò corrupit?

Sed potiùs Virgiliana hæc imitabere.

Ecl. 1. *Chara Deum soboles, magnum Iouis Incrementum.*
Ecl. 5. *Pro molli viola, pro purpureo Narcisso.*
Ecl. 7. *Stant & Iuniperi, & castaneæ hirsutæ.*
Georg 4. *Cecropiumq; Thymum, & grauèolentia Centaurea.*
Ibid. *Atq; Getæ, atq; Hebrus, atq; Actias Orithyia.*
Æn. 1. *Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ.*
2 *Constitit, atq; oculis Phrygia agmina circumspexit.*
3 *Armatumq; auro circumspicit Oriona.*
Ibid. *Cornua velatarum obuertimus antemnarum.*
Ibid. *Cum socijs, natoque, Penatibus, & magnis Dijs.*
7 *Aut leues ocreas lento ducunt argento.*
8 *Æneades magnos, & nobile Pallanteum.*

8. Di-

8 *Discedens, chlamidemq; auro dedit intertextam.*
8 *Nec non & sacri monstrat nemus Argileti.*
9 *Et lucus latè sacer additur Anchiseo.*

III. Non admittit tamen Hexametrum hoc aut anapæstum, aut Proceleusmaticum: versus enim ad hos intrudendos adduci soliti plumbeo nitũtur argumento, cum dictiones, in quibus videtur esse anapæstus, fit spondeus, & vbi Proceleusmaticus, fit dactylus, facta scilicet synæresi. Itaque in Versu Virgilij 1. Georg. dictio *fluuiorum* est trisyllaba.

Fluuium Rex Eridanus camposq; per omnes.

Et 2. Æneid. *abiete* est dactylus, & *parietibus* dactylus cum syllaba.

Ædificant sectaq; intexunt abiete costas.
Hærent parietibus Scalæ, postesq; sub ipsos.

Et Æneid. 5.

Genua est disyllabum, vt alibi *tenuia* trisyllabum
Genua labant! vastos quatit æger anhelitus artus.

Nec vt putauit Terentianus Maurus, admittit Creticum, sunt enim dactyli, non Cretici initio Virgilianorum horum:

Insulæ Ionio in magno, & solut hic influxit sensus.

Extra omnem verò normam sunt, nec vllo modo imitandi versus illi Ennij à proceleusmatico initi, vel tribracho.

Captibus nutantes platanos, rectasque cupressus.

Et apud Ciceronem 1. de Diuinatione.

Subijt ipsa feris transfigens vnguibus anguem.

Sed neque quando Hexametrum Hypermetrum est, & abundat in fine vna syllaba, idcircò pro spondeo admittit sexto loco pedem trisyllabum, nunquam enim id fit à probatis Poetis, nisi versus sequens incipiat à vocali, & Hypermeter desinat in vocalem, aut in M, vt possit fieri synalœphe, aut Ecthlipsis, & sic absorberi syllaba illa abundans. Exemplum habes in Virgilio Georg. 1.

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Aut folijs vndam.

Georg. 2. *Nauigijs pinos, domibus, Cedrosque Cupressosque*
Hinc radios,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter.
Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et Steriles Platani.

Georg. 3. *Omne adeò genus in Terris hominumq; ferarumq;*
Et genus æquoreum.

Et

Et spumas miscent argenti viuaq; sulphura,
Ideasque pices.

Aen. 1. *Iactemur doceas! ignari hominumq; locorumq;*
Erramus!
Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaque
Aere trabes.

Aen. 2. *Quem non incusaui amens, hominumq; Deorumq;*
Aut quid in euersa.

Aen. 4. *Omnia longaeuo similis, vocemq; coloremq;*
Et crines flauos.

Aen. 5. *Et magnos membrorũ artus, magna ossa, lacertosq;*
Induit.

Ibid. *Robora nauigijs aptant, remosq; rudentesq;*
Exigui numero.

Aen. 6. *Quos super alta silex iam iam lapsura, cadentiq;*
Imminet.

Aen. 7. *Iamq; iter emensi Turres, & tecta latinorum.*
Ardua cernebant.

Et sic in cæteris hypermetris. Quod si versus sequens non incipiat à vocali, tunc alia figura opus erit, vt abundans illa syllaba absorbeatur, puta synæresis, vt in versibus illis 6. Aeneidos, contractis *omnia, alueo*, & similibus in disyllaba.

Bis patria cecidere manus, quin protinus omnia.
Exturbat, laxatq; foros, simul accipit alueo.

Quamquam vitanda sit repetitio eiusdem literæ, aut syllabæ succedentis, nec satis probentur versus illi, aut Ennij.

O' Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulisti.

Aut Ciceronis.

O' fortunatam natam me Consule Romam.

Nec Leonini versus, qui in Penthemimeri eundem sonum, seu similem desinentiam habent, heroica grauitate parum digni videantur, alia tamen occasione iucundi, & concinnitate rithmo non absoni iudicantur, talis est ille Ouidij Epist. 8.

Vir prater Vxori, frater succurre sorori.

Hexametrum *Myurum* Terentiano Mauro est, cum sexto loco ponitur Iambus, vt

Hymnum quando chorus festo canitore Triuia.
Baltheus & reuocet volucres in pectore sinus.
Dirige odorisequos adnota subilia canes.

Regula II. De Pentametro, seu Elegiaco.

PEntametrum carmen constat quaternis pedibus integris, & duobus semipedibus monosyllabicis, quorum primi duo sunt, vel dactyli, vel spondei pro arbitrio, cum vna insuper Syllaba longa, quæ *Cæsura*, vel *Comma*, vel *Semipes* dicitur, reliqui duo sunt dactyli cum vna insuper syllaba.

Quare Pentametri formæ sunt quatuor. Aut enim priores duos pedes sunt spondei, aut dactyli, aut primus dactylus, secundus spondeus, aut primus spondeus, & secundus dactylus; quo ordine dabimus exempla Ouidij ex 1. Fastorum.

Et vastum motu collabefactat onus.
Ocia Terra ferax, ocia Pontus habet.
Ianitor egressus, introitusque videt.
Nona signa dabunt, exoriente lyra.

Appendix Triplex.

I Sicut iucundissimi, & Ouidio vsitatissimi sunt Pentametri, qui clauduntur dictione disyllaba, & post hos, qui Pentasyllaba, dein qui tetrasyllaba, & duriusculi; qui carent Penthemimeri, seu quorum prius Hemistichium non terminatur cæsura; qualis est ille Catulli:

Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.

Et Diomedis:

Hac quoque nostra sententia mentis erat.

Sed & vitiosi sunt, qui sic monosyllabo terminantur, vt nec alterum monosyllabum præcedat, nec disyllabum, nec vi synalœphes copuletur cum dictione præcedenti. Itaque insulsum Pentametrum illud Catulli est.

Aut facere; hac à te dictaq; factaq; sunt.

At si terminetur duobus monosyllabis non est vitiosum, sic Naso 5. Tust. Eleg. 8.

Præmia si studio consequar ista, sat est.

Nec si disyllabum, nempe Pyrrhichius præcedat monosyllabo; sic idem 1. de Ponto el. 6.

Omnis at in magnos culpa, Deos, scelus est.

Et Martialis lib. 2. epigr. 56.

Sunt

Sunt hac trita quidem, Zoile, sed mea sunt.

Nec deniq; culpatur, si monosyllabum illud coeat cum præcedenti vocabulo, vt apud Ouidium.

Et tantum constans in leuitate sua est.

Numina mutarunt, hic Deus, illa Dea est.

II. Pentametri prius Hemistichium syllaba longa terminandum est, quare si ea, sit aliunde breuis, poterit tamen vi cæsuræ euadere longa, vt apud Ouidium.

Arte leuis currus; arte regendus amor.

Indignus effectus omnibus ipse magis.

Et Propertium.

Aut pudet; ingenuus aut retinendus amor.

Sed nisi præiuerit exemplum Poetæ Classici, aut necessitas, vel insignis elegantia carminis requirat hoc, non est facilè audendum latinis Poetis, qui in hoc religiosiores sunt, quam Græci, sicut & in terminanda sententia Pentametri, rarissimè enim Latini sententiam post Pentametrum suspensam relinquunt, sequenti versu, aut disticho absoluendam; Fecit tamen hoc Ausonius, Catullus, & Ouidius eo fastorum versu, qui incipit *Institeram*. At Græci liberiores sunt in Cæsura Syllabæ breuis producenda, & in differenda sententiæ perfectione ad sequentes versus, sicut & Pentametrum terminant crebro dictione trisyllaba, vt noster Gretserus obseruauit in Callimacho, Theognide, Tyrtæo, & in Anthologia Græcorum Epigrammatum.

III. Quidam Pentametrum ita metiuntur, vt primi duo pedes sint, vel dactyli, vel spondei, tertius semper spondeus, quartus, & quintus anapæsti, quæ ratio probatur Quintiliano lib. 9. cap. 4. nec reprobatur ab Emmanuele, imò præponitur à Ludouico Cauallo; At hoc modo præbetur ansa negligendi cæsuram priorem, & insulsum Pentametrũ compingendi; præterquàm quòd & facilior est ratio metiendi posteriorẽ partem per dactylos, & ipse Cauallus collocat, & rectè pentametrum sub genere Dactylicorum versuum. Porro etsi plerumq; Pentameter alternatim subijcitur Hexametro; aliquando tamen solis Pentametris Epigrammata inueniuntur, vt apud Ausonium in Thaletis sententijs, & Virgilius post Hexametrum, quatuor continuè Pentametros subiunxit, vt refert Donatus in ipsius vita; cum cecinit:

Hos ego Versiculos feci, tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis aues,
Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Reg.

Reg. III. De Carmine Adonio.

ADonium, seu Adonicum carmen constat dactylo, & spondeo.

Quod carmen, & si solet post ternos quosq; sapphicos subiici, vt in varijs Ecclesiæ hymnis, præcipuè 3. Io. Baptistæ, & apud Horatium lib. 1. Ode 2. & lib. 4. Ode 2. solitariè tamen adhiberi potest non sine iucunditate, vt præstitit Boetius lib. 1. metro 7. Sic:

Nubibus atris
Condita, nullum
Fundere possunt
Sidera lumen, &c.

Alia etiam forma interspergitur Anapæsticis, aut alijs veluti strophis claudendis, exemplo Senecæ in Medea actu 2. in Choro, & actu 3.

Porrò Adonio, primo omnium assuefaciendi sunt Tirones, tamquam facillimo, & præludio cuidam ad Hexametra.

Reg. IV. De Dactylicis Himeniaco, Archilochio, Glyconio, & Pherecratio.

1. DActylicum Hymeniacum constat duobus dactylis hoc modo.

Creditur aurei
Cautus Appollinis
Insuperabili
Abdita pectoris,
Vincere carmine.

2. *Dactylicum Archilochium* est posterioris semipentametrum, ideſt duo dactyli cum syllaba; ideoque dimetrum Hypercatalectum, hoc modo:

Nectareumque melos,
Nestoris ore bibit.

Et Horatius lib. 4. Ode 7.

Puluis & vmbra sumus

3. *Glyconium* carmen habet primo loco spondeum, deinde duos dactylos, aliquando autem primo loco Choreum, rarò Iambum.

Habes

Habes exemplum in Senecæ Thyeste actu 2.

Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

Et apud Horatium lib. 1. Ode 15.

Ignis Iliacas domos.

Et apud Boetium lib. 2. metro 3.

O' felix hominum genus,
Si vestros animos amor.
Quo Cælum regitur, regat.

Qui eodem lib. metro 3. alternis sapphicis Glyconium sternens cecinerat.

Cum Polo Phœbus roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit.
Pallet albentes hebetata vultus
Flammis stella prementibus.

Sed Horatius vtitur alternatim Glyconijs ante Asclepiadeos, vt lib. 1. ode 3. lib. 3. ode 24. lib. 4. ode 3. vel illo vtitur in quarto stropharum loco, vt lib. 1. ode 5. & 6. & Boetius lib 1. metro 6. lib. 2. metro 8. lib 3. metro 12. lib. 5. metro 3. Qui etiam lib. 4. toto metro 3. primo loco Glyconij vsurpat pro spondeo choreum.

Vela Naritij ducis,
Et vagas pelago rates, &c.

Sed & Seneca in 4. Choro Oedipi tricies posuit Choreū primo loco, quod & sæpe fecit Catullus; rarius Horatius, vt in illo *Ignis Iliacas domos*, metro 3. Imò Seneca aliquando secundo loco spondeum adhibuit.

4. *Pherecratium* à Pherecrate inuentum tres habet pedes, quorum primus est spondeus, secundus dactylus, tertius spondeus; primo tamen loco admittit, sed rarò Choreum, Iambum, vel Anapæstum, hoc modo.

Spernunt fulmina Lauri,
Spernit verbera Pontus.

Horatius autem Pherecratium binis Asclepiadeis subijcit sæpe, vt lib. 1. ode 5. at vni Asclepiadeo Boetius lib. 2. metro 2. Sic

Si quantas rapidis fluctibus incitat
Pontus versus arenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cælo sidera fulgent;
Tantas fudat opes, nec retrahat manum

Plena

Pleno copia cornu,
Humanum miſeras haud ideò, genus
Ceſſet flere querelas.

Reg. V. De Dactylicis Alcmanicis, & Phaliſco.

1. A*Lcmanicum Catalecticum* ab Alcmane Poeta inuentum, conſtat ſyllaba vna longa, duobus dactylis, & ſpondeo, quo vtitur Boetius lib. 3. metro 5. Exemplum ſit hoc:

Iam fundite fletibus ora.
Iam tundite pectora palmis.

2. *Alcmanicum Acatalecticum*, conſtat quatuor pedibus integris, quorum priores duo dactyli, aut ſpondei, tertius perpetuò dactylus, & quartus ſpondeus, vt apud Horatium lib. 2. ode 2.

Aut Epheſum, bimariſue Corinthi,
Sic triſtes affatus amicos.

3. *Alcmanicum trimetrum Hypercatalecticum* conſtat tribus dactylis, & vna ſyllaba; quo vtitur Prudentius hymno 3. Cathemerinon.

Te quoque luce ſub occidua
Sumere cum monet hora cibum
Noſtra Deus canit harmonia.

4. Dactylicum Phaliſcum tetrametrum conſtat tribus dactylis, & Iambo, ſic

Talia docta Phaliſca legimus.

Reg. VI. De Dactylicis Alcaicis.

1. A*Lcaicum Dactylicum* ab Alcęo Poeta inuentum conſtat quatuor pedibus, & ſemipede, ſeu Cæſura longa in medio, à qua dicitur meshypercatalectum, quorum primus Spondæus, vel Iambus eſt, ſecun-

secundus Iambus, dein syllaba longa; reliqui pedes sunt duo Dactyli.

Habes exemplum apud Claudianum in nuptijs Honorij, vbi ter primo loco habet Iambum; sed & apud Horatium lib. 1. ode 9. & lib. 2. ode 2. & 13.

Vides, vt alta stat niue candidum
Soracte, nec iam sustineant onus.

Et lib. 3. Od. 1.

Odi profanum Vulgus, & arceo,
Fauete linguis, carmina non prius.

2. *Alcaicum Acatalecticum dactylotrocaicum* constat duobus dactylis, & deinde duobus trochæis, seu choreis.

Quo non semel Horatius Strophas claudit, vt lib. 1. od. 9. lib. 2. od 1. lib. 3. ode 1. de quo vide Scaligerum lib. 2. Poeticæ cap. 17. Exemplum sit.

Iuppiter in Ganymede flauo,
Flumina constiterint acuto.

Reg. VII. De Dactylicis Asclepiadeis.

1. *Asclepiadeum* ab Asclepiade inuentum tetrametrum Mesypercatalectum constat quaternis pedibus, & syllaba in medio longa, sic vt primus pes sit spondeus, & raro dactylus, secundus dactylus, dein syllaba longa, reliqui dactyli.

Qui verò illud sub Choriambicorum genere collocant, dicunt constare spondeo, duobus Choriambis, & Pyrrichio, sed cum priore loco apud Senecam, & Martianum Capellam admittit Dactylum, qui est compar spondeo, & facilior sit nostra ratio illud construendi, ac dimetiendi, rectius sub Dactylicis collocatur. Vtitur hoc Horatius frequenter, vt lib. 1. od. 1.

Mecœnas atauis edite Regibus
O & præsidium, & dulce decus meum,
Sunt, quos curriculo puluerem olympicum, &c.
Quod si me Lyricis, vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Et lib. 1. od. 3. & 6. & lib. 3. od. 31. & lib. 4. od. 8. item Seneca in Thyeste Choro 2. in Agam. Chor. 4. in Oedipo act. 5. & Boetius l. b. 2. metro 2. lib. 3. metro 8. Non ad-

admittit tamen Horatius ſecundo loco Tribrachym; cum non ſit Dactylo compar, ſed Cæſuræ priuilegio produxit vltimam in Verbo *perrupit* dicens:

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Apud Græcos primo loco admiſiſſe videtur tum Choreum, tum Iambum, vt colligitur ex duobus verſibus apud Hephæſtionem, quos affert etiam Gretſerus cap. 30. vbi de Aſclepiadeo.

2. *Aſclepiadeum Catalectum* non differt à præcedenti, niſi defectu vnius ſyllabæ in fine, adeò vt videatur terminari dactylo, & ſpondeo, vt ſi diceres.

Mecœnas atauis inclyte ſceptris.
Quod ſi me lyricis Vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſidera fronte.

Sic Boetius lib. 1. metro 2.

Heu! quam præcipiti merſa profundo
Mens hebet, & propria luce relicta
Tendit in externas ire tenebras.

Vbi vides primis duobus locis admiſſos indifferēter Dactylos, ac ſpondeos, tanquàm pedes inuicem compares.

Cap. IV. De Hendecaſyllabis Verſibus.

QVoniam Aſclepiadeum Catalecticum ordinariè eſt vndecim ſyllabarum, licet poſſit eſſe etiam duodecim, placuit gradum hinc facere ad tres Hendecaſyllabi ſpecies, quæ perſimilem habent harmoniam, vt niſi attentior iis, confundi facilè poſſent, aut certè de induſtria miſceri; Sunt autem Sapphicum, Phalecium, & Hipponacteum carmen.

Reg. I. De Sapphico Carmine.

SApphicum Carmen à Sappho Poetria inuentum habet primo loco Choreum, ſecundo ſpondeum, tertio dactylum, quarto, & quinto Choreum, & in Odis, atque hymnis ſolet terno cuique Sapphico inſeri Adonium, velut Clauſula ſtrophæ.

Vide

Vide Horatium lib. 1. od. 2. 10. 12. 20. & lib. 4. od. 2. vbi sic:

Pindarum quisquis studet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Solis tamen Sapphicis vtitur Seneca in Agam. Chor. 3. Catullus, & Boetius lib. 2. metro 6. Statius lib. 4. Sylu. 7. Secundo tamen loco admittit tum Choreum, tum dactylum, nam Sappho ipsa, & vetusta lex huius carminis, vt asserit Scaliger lib. 2. cap. 16. & Gretserus cap. 30. Choreo vtebatur, quod & Catullus non semel fecit, vt cum cecinit ad Furium, & Aurelium scribens.

Ocium Catulle tibi molestum est,
Seu Sacas, Sagittiferosque Parthos
Pauca nunciate meæ Puellæ.

Seneca autem Sapphus imitator secundo loco Dactylum recipit, vt actu 3. Medeæ, & Troadis in Choris.

Sumere innumeras solitum figuras,
An ferax varij lapidis Carystos.

Imò Seneca, vt obseruauit Delrius, primo loco non recipit spondeum, dactylum, & Anapæstum, & secundo Iambum. Non admittitur tamen tertio loco Tribrachus, exempla enim in contrarium nihil probant, cum in ipsis Cæsura post secundum pedem syllabam alioquin breuem producat, vt in Horatio lib. 3. od. 8.

Docte sermonis vtriusque linguæ.

Et in Senecæ Medea Chor. 3.

Vxor impendit animum marito.

Et in Statio 4. Syl. 7.

Fortis Herois Erato labores.

Elegantius enim, ac iucundius si post secundum pedem Cæsura sit, ac duriusculum, si ea caret, vt videre est in adductis supra ex Catullo, & mox adducendis.

Demum Sappho quarto loco, sed raró vsa est spondeo, vt ostendit Gretserus.

Appendix.

Aliquando more Græcorum in fine Sapphici secatur dictio, & pars eius in sequens Sapphicum, aut Adonium reijcitur: Ita Catullus.

Gallicum Rhenum, horribilesque, & vlti-
mosque Britannos.

Et Horatius lib. 2. od. 2.

Labitur ripa, Ioue non probante V-
xorius amnis.

Et lib. 2. od. 16.

Grosphe non gemmis, neque purpura venale, nec auro.

Ibid. *Mugiunt Vaccæ, tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa, te bis Afro.*

Et lib. 4. od. 4.

Plorat & vires animosque, moresque
Aureos deducit in Astra nigroque.
Inuidet Orco.

Quæ licet Hephæstioni displiceant, non tamen culpanda, si rarò vsurpentur.

Reg. II. de Phalæcio.

PHalecium à Phaleco, seu Phaleucium, seu Phalecium, quinque pedes habet, nempe Spondeum, Dactylum, & tres Choreos, & Antonomasticè vocatur Hendecasyllabum, quia sine elisione, & collisione syllabas vndecim habet.

Vtitur illo Statius lib. 1. Sylu. vlt. lib. 2. Sylu. 7. lib. 4. Sylu. 9. Martialis sæpissimè, vt lib. 1. epig. 50. 54. 67. 135. & lib. 2. epig. 41. & lib. 4. epig. 46. & Boetius lib. 1. metro 4. Sed esto Martialis exemplum lib. 1.

Hic est, quem legis ille, quem requiris,
Toto notus in Orbe Martialis,
Argutis Epigrammaton libellis.

Catullus autem in hoc versu laxior est, cum primo loco admittat Anapæstum semel; dactylum bis; Choreum duodecies; Iambum penè tricies. At Seneca in Oedipo 2. Choro semel Anapæstum secundo loco posuit. Martialis quoque videtur primo loco recepisse Iambum lib. 2. ep. 5. si legas.

Iter iungere quæris ad Camœnas.

potius quàm *Interiungere quæris ad Camœnas.*

Et lib. 3. epigr. 21.

Veterno, resinaque pigriores.

Imò Choreum lib. 3. ep. 2. si *croco*, non cocco legendū sit:

Et croco rubeat superbus index.

Iambi, Chorei, & Anapæsti in prima sede exempla apud Catullum sunt;

Cui dono lepidum nouum libellum,
Arido modo pumice expolitum,
Meas esse aliquod putare nugas.

Reg.

Reg. III. De Hipponacteo.

HIpponacteum Iambicum est trimetrum Catalecticum, constat quinque pedibus, & vna insuper syllaba in fine, videlicet quinque Iambis cum syllaba, sed primo, ac tertio loco recipit spondeum.

Tale fuit elegantissimum illud tempore Claudij Imperat. editum.

Ternos vetusti congios falerni
Vno die conuiuijs peractis
Hausit potentum Romuli nepotum,
Regnator audax, arbiterque Regum.
Exinde plebs quiritium vocauit
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

Animaduertis lector, quam simili harmonia concinant tres prædictæ species Hendecasyllaborum, nempe Sapphicum, Phaleucium, & Hipponacteum.

Cap. V. De Anapæsticis.

I. ANapæsticum Archilochium, constat pedibus quatuor, siue Anapæsti sint, siue illi Compares, nempe aut Spondeus, aut dactylus, aut Proceleusmaticus; adeò, vt aliquando nullos habeat Anapæstos.

Vtitur his Boetius lib. 2. metro 2. & 5. lib. 3. metro 2. lib. 3. metro 5. l b. 5. met. 3. Et Seneca non rarò in Tragedijs, ex quo in Hercule furente Choro 2. Sit Exemplum.

Turbine magno spes sollicita
Vrbibus errant, trepidique metus.
Ille superbos aditus Regum
Durasque fores expers somni
Colit, ac nullo fine beatus
Componit opes, Gazis inhians;
Et congesto pauper in auro est.

Censetur hoc Carmen elegantius, si Cæsuris careat. Seneca illi aliquando interserit Adonium, quèm nos imitati olim sic sumus.

Cingite lauro tempora vates,
Quos perpetuis Pimpla lymphis
Aureus vltro, rutilusque comas
Ditat Apollo.

2. *Anapæsticum Parthenaicum*, est Catalecticum, differt ab Archilochio, solo defectu vnius syllabæ in fine.

Hoc verò vsus est Boetius lib. 2. metro 5. & Martianus Capella lib. 2. esto Exemplum hoc:

Caput artubus inclyta Virgo,
Felix nimium prior ætas,
Qui se volet esse potentem.

3. *Anapæsticum Anacreonticum* constat Anapæsto, Iambo, & Bacchio, vt apud Claudianum in Nuptijs Honorij ode 2.

Age cuncta nuptiali
Redimita vere Tellus.

Cap. V. De Iambicis Versibus.

HIC repetendum est, Græcos metro vno dipodiam complecti, quare quos latini Binarios Iambicos, idest duorum pedum, illi monometros, & quaternarios Dimetros; & Senarios Trimetros; & Octonarios Tetrametros vocant.

Reg. I. De Iambicis Dimetro perfecto, Minoribus.

1. *Monometrum Acatalectum*, duobus Iambis constat hoc modo:

Ama Deum,
Cole Patrem,
Caue malum,
Tene bonum.

2. *Iambicum Aristophanicum*, est Monometrum Hypercatalectum; constatque duobus Iambis, & vna insuper syllaba in fine; recipit tamen primo loco Spondeum, sic

Fluit silenti
Valles per imas
Gradu Metaurus.

3. *Iambicum Euripidium*, est dimetrum brachycatalec-

lectum, nam constat tribus Iambis, quamuis recipiat primo loco, & tertio spondeum, sic:

Aue Maris stella
Dei Mater alma.

4. *Iambicum Anacreonticum*, est dimetrum Catalectum; constans tribus Iambis, & præterea vna in fine syllaba; ita tamen, vt primo loco admittat spondeum; vtitur hoc versu Theocritus Idyllio 27. Seneca choro 2. Oedip. Boetius lib. 2. met. 4. Laertius in Bione, & Anacreon in Cicada, & alibi, sic:

O' ter quaterque felix
Cicada, quæ supremis
In arborum viretis,
Roris parum vt bibisti,
Cantare dulce gaudes, &c.

Apud Prudentium hymno 6. Cather. admittit primo loco etiam Anapæstum.

5. *Iambicum Boetianum* Dimetrum est, sed Catalectũ, & constat Anapæsto, duobus Iambis, & syllaba in fine, hac formola ex Boetio lib. 3. metro 7.

Habet hoc Voluptas omnis,
Stimulis agit furentes,
Apiumque par Volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci,
Ferit icta cauda morsu.

Reg. II. De Iambicis Dimetris.

1. IAmbicum Archilochium dimetrum Acatalecticum, constat quatuor pedibus; quorum pares secundus, & quartus debent esse Iambi, aut Tribrachy; primus, & tertius idest imparibus locis siti, possunt esse, vel Iambi, vel spondei, & rarissimè Anapæsti, aut Tribrachy.

Extant huius exempla passim apud Græcos, & latinos est enim vsitatissimum in Odis, & hymnis. Horatius sæpe illud alternatim subijcit Senario Iambico, vt lib. 5. in Epod.

Vt prisca Gens mortalium,
Solutus omni fænore
Potentiorum limina

Videre properantes domum.

In hymnis autem à S. Ambrosio, Boetio, aut Prudentio constructis vtitur Ecclesia Catholica Iambicis huiusmodi per Strophas tetrastrophas distributis in Horis Canonicis, & alibi frequentissimè, quibus tamen Vrbanus VIII. Pontifex Max. correctionem alicubi adhibuit. Elegantissima sunt illa, in hymno Sabbathi ante Dominicam Passionis.

Vexilla Regis prodeunt
Fulget Crucis Mysterium,
Quo vitam mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Et in hymno Vespertino ante Dominicam in Albis.

Diuina cuius charitas
Sacrum propinat sanguinem
Almique membra corporis
Amor Sacerdos immolat.

Denique quid elegantius illo hymno Boetiano, qui canitur in Laudibus Feriæ quartæ?

Nox, & tenebra, & nubila,
Confusa Mundi, & turbida
Lux intrat ? albescit Polus:
CHRISTVS venit discedite.
Caligo terra scinditur,
Percussa Solis spiculo,
Rebusque iam color redit,
Vultu nitentis sideris.
Te CHRISTE solum nouimus:
Te mente purâ, & simplici
Flendo, & canendo quæsumus,
Intende nostris sensibus.
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tuá:
Tu lux eoi sideris
Vultu sereno illumina.

Prima enim in *Eoi* communis est; esto Vrbanus VIII. considerans plerumque longam esse reposuerit hoc carmen:

Tu vera lux Cælestium.

2. *Iambicum Archilochium* Dimetrum Hypercatalectum, quo sæpe vtitur Horatius tertio Stropharum loco constat quatuor pedibus, & vna in fine syllaba; ex quibus secundus, & quartus Iambi sunt, reliqui vel Iambi, vel Spondei vide Horatium lib.1.od.9. lib.2.od.1. lib.3. od.2. lib.4. od.4. Sit exemplum.

Sylua laborantes, geluque.

Reg. III. De Iambicis Trimetris.

1. IAmbicum Trimetrum Brachycatalectum quinque habet pedes, quorum secundus, & quartus, quintusque Iambi, reliqui Iambi, aut spondei, sed vix est in vsu. Sit tamen exemplum.

Premi potest bonus, non opprimi.

2. *Iambicum Hipponacteum* est Trimetrum Catalecticum, de quo satis in Hendecasyllabis cap. 4. Reg. 3.

3. *Iambicum Trimetrum Acatalecticum*, qui versus Senarius Iambicus Latinis dicitur, aut purum, & simplex est, & constat sex Iambis, à quibus velocitatem quandam recipit.

Tale est illud Catulli:

Phasellus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus.

Et Horatius in Epodis:

Beatus ille, qui procul negotijs,
Forumque vitat, & superba Ciuium
& *Mala soluta nanis exit alite,*
Suis & ipsa Roma viribus ruit.

4. At si mixtum est, cuiusmodi est Iambicum Tragicorum ad celeritatem compescendam, & grauitatem auertendam, locis quidem paribus requirit Iambum, & secundo, ac quarto nonnunquam, & sexto admittit Comparem Tribrachym, sed locis imparibus recipit Tribrachym, Spondeum, & aliquando Compares pedes, nempe Anapestum, & dactylum, raròque proceleusmaticum. Horum omnium exempla sunto.

Ex Horat. Epod.

Pauidumq; leporem, & aduenam laqueo gruem.

Ex Seneca.

Curæ leues loquuntur ingentes stupent,
Ducunt volentem fata; nolentem trahunt.

In Hippolito.

Alium silere, quod voles, primus sile.

In Agamem.

Nam sera non est ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccasse, pene est vt innocens.

In Medea.

Fortuna opes auferre; non animum potest.
Iniqua nunquam Regna perpetuo manent.

Sed tu malorum machinatrix facinorum.
Viride robur nulla fama memoriâ.

Comicum autem Iambicum, quia Prosæ, & sermoni sumpto de triuio, quam maximè accedit, etiam locis paribus spondeum recipit, ita vt excepto vltimo pede, qui debet ordinariè esse Iambus, reliquis apud Latinos Comicos indifferenter admittat Iambum, Tribrachym, Spondeum, Dactylum, Anapæstum, & aliquando Creticum, & Amphibrachum, & Proceleusmaticum. Hi enim duo compares sunt spondeo. De quo discrimine inter Tragicos, & Comicos versus, eleganter Terentianus Maurus, Iambicis, & ipse versibus vtens sic disserit in opere Poetico de Metris.

Culpatur autem versus in Tragœdijs,
Et rarus intrat ex Iambis omnibus,
Vt ille contra, qui secundo, & talibus
Spondeon, aut quem Comparem receperit,
Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Vt quæ loquuntur sumpta de vitâ putes,
Vitiant Iambum tractibus spondáicis,
Et in secundo, & cæteris aquè locis;
Fidemque fictis dum procurrant fabulis
In metra peccant arte, non inscitia,
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulumque versus à solutis differant,
Magis ista nostri; Nam ferè Græcis tenax
Cura est Iambi, vel nouellis Comicis,
Vel qui in vetustâ præcluent Comœdiâ.

Scitè vtique nam inter Græcos Aristophanes, ac Menander seruant ferè legem Iambici Tragici, etiam si sint Comœdiographi.

Appendix de Comicis.

5. Nonnulli sunt versus apud Plautum, ac Terentium quos Erasmus osor Cretici pro libito correxit; At Iul. Cæsar Scaliger, & Antesignanus, & Simon Verrepæus, &

& Glareanus, & Vossius, & Cauallus admisere Creticũ, vt in eò Terentij in Eunucho act. 1. Scen. 2. pes primus est proceleusmaticus, secundus Creticus, quartus dactylus, quintus anapæstus.

Cupio aliquos pacare animos beneficio meo.

Et in Andria 1. Scen. 1. tertius pes est dactylus, quartus Creticus.

Pro Vxore habere hanc peregrinam, ego illud sedulò.

Et in Eunuchi Prologo, versus est quinque spondeis, & iambo constans.

Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

Et in Andria primus pes Anapæstus, secundus dactylus in eo versu:

Nihil isthac opus est arte ad hanc rem, quam paro.

Et ibidem pes primus Anapæstus, secundus Proceleusmaticus, quartus Anapæstus, vel Tribrachys in eo versu:

Mala mens, malus animus; quem quidem ego si sensero.

Et in Andria priore loco habemus Proceleusmaticum versu illo.

Tibi generum firmum, & filiæ inuenies virum.

Obseruaui etiam admitti Amphibrachum, vtpotè Comparem spondeo, vt in illo Phormionis; in quo tertius pes est Amphibrachys, quartus Tribrachys.

Qui sæpe propter inuidiam adimunt diuiti.

Et in Andriæ act. 1. scen. 1. primus versus est Amphibrachus, secundus spondeus, tertius, & quartus dactylus.

Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Sed oportet per synæresim *inuidia* esse trisyllabum, sicut *fuit* est monosyllabum in sequenti versu, & primus pes dactylus, & quartus Creticus.

Liberius viuendi fuit potestas; nam antea.

Neque enim in dictionibus *inuidia, viuendi* &c. opus est elidere V, consonantem, vt fecere Scaliger, & Cauallus, aliter metiri non valentes, quia non aduertere, aut ad hanc synæresim, aut ad Amphibrachi æquipollentiam.

Sunt & alij versus, in quibus legendum pro *opus est*, *opust*; & pro *similis est*, *similist*, & pro *senex est*, *senext*. Rursus ille versus in Andria actu. 3. scen. 3. non elisione *l*, in voce *illius*, vt habens anapæstum; sed ita metiendus est, vt *perpetuo* sit *trisyllabum*; & tertius pes sit Anapæstus, quartus Tribrachus.

Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.

Postremò aduertas, Iambicis versibus insertos esse aliquando Trochaicos, & pro Senarijs octonarios adhibitos, quos solerter distinguere opus erit. De Bacchio au-

tem, & Pœone quem Glareanus, & Antesignanus non omnino reijciunt, mihi satis non liquet. Esto tamen ex eodem Glareano typus triplicis Senarij Iambi in sequenti tabella.

Senarij Iambici Formæ Tres.

Prima simplicissima

Ordo	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
Pedum	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.

Secunda Forma communis Græcis, ac Latinis, siue Tragicis, siue alijs.

Ordo Pedum	I.	II.	III.
	Iamb.	Iamb.	Iamb.
	Tribrach.	Tribrach.	Tribrach.
	Spondeus		Spondeus.
	Dactylus		Dactylus
	Anapæstus		Anapæstus
	Proceleusmaticus		Proceleusm.

Ordo Pedum	IV.	V.	VI.
	Iamb.	Iamb.	Iamb.
	Tribrach.	Tribrach.	Tribrach.
		Spondeus	
		Dactylus	
		Anapæstus	
		Proceleusm.	

Tertia forma licentiosissima, in quam excurrunt aliquando Comici.

Ordo Pedum	I.	II.	III.
	Iamb.	Iamb.	Iamb.
	Tribrach.	Tribrach.	Tribrach.
	Spond.	Spond.	Spond.
	Anapæst.	Anapæst.	Anapæst.
	Dactylus	Dactyl.	Dactyl.
	Creticus	Cretic.	Cretic.
	Proceleusm.	Proceleus.	Proceleus.
	Amphibrach.	Amphibrach.	Amphibr.
	Bacchius	Bacchius	Bacch.
	Pæon	Pæon	Pæon

Ordo

Ordo Pedum	IV.	V.	VI.
	Iamb.	Iamb.	Iamb.
	Tribrach.	Tribrach.	Tribrach.
	Spond.	Spond.	
	Anapæst.	Anapæst.	
	Dactylus	Dactyl.	
	Creticus	Cretic.	
	Proceleusm.	Proceleus.	
	Amphibrach.	Amphibr.	
	Bacchius	Bacchius	
	Pæon	Pæon	

Ita Henricus Glareanus in Epistola ad Gerardum Gizanum; vide & Scaligerum lib. 7. Poeticæ.

Reg. IV. De Iambicis Tetrametris.

1. IAmbicum Tetrametrum Brachycatalectum, habet septem pedes, quorum qui paribus locis sunt, debent esse Iambi, aut Tribrachy, reliqui Iambi, aut spondei, aut spondeo Compares, dempto 7. qui Iambus est. Exemplum sit:

Pauci sciunt hoc mane, quid Vesper vehat sibi.

2. *Iambicum Tetrametrum Catalectum*, habet septem pedes, & præterea syllabam in fine, inter quos vltimus pes debet esse Iambus, reliqui locorum parium Iambi, aut Tribrachi, imparium autem Iambi, aut Spondei, aut his Compares. Exemplum sit.

Amandus est tibi Deus, tuus deinde frater.

3. *Iambicum Tetrametrum Acatalecticum*, habet pedes octo, inter quos vltimus Iambus, reliqui parium locorum Iambi, aut Tribrachi; imparium verò Iambi, aut spondei, aut his Compares. Exemplum:

Amandus est tibi Deus, tuus deinde Proximus.

Sed si comicum sit Tetrametrum non refugiet Creticũ, nedum Amphibrachum, & omnibus locis spondeum, aut Spondeo comparem, excepto vltimo.

Reg. V. De Choliambo, seu Scazonte.

SCazon, seu Choliambicum carmen putatur inuentum ab Hipponacte, est autem Iambicum Trimetrum; sed claudicans, vnde *σκάζων*, & *χωλίαμβος* dicitur, quia sexto loco habet spondeũ, & quinto Iambum; in reliquis quatuor Iambos, vel locis pari-

bus Iambos, tribrachosue, imparibus autem spondeos, aut spondeo Compares.

Habes multa exempla Scazontis in Martiali lib. 11. epig. 1. 11. 64. 117. lib. 2. ep. 57. lib. 5. ep. 104. Boetio lib. 2. metro . lib. 3. metro 11. vbi Hipponactis more ausus est quinto loco spondeum ponere, dicens.

Quisquis profunda mente vestigat verum,
In se reuoluat intimi lucem visus.

Nisi alio genere carminis vsus est: nam id non est ausus Catullus, non Martialis, non alij Antiquiores. Imitare igitur potius illud Catulli:

Fulsere quondam candidi tibi soles.

Aut Persium in Prologo sic præcinentem.

Nec labra fonte prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repente sic Poeta prodirem,
Heliconiadasque, Pallidamque, Pyrenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt,
Hedera sequaces; ipse Semipaganus,
Ad sacra vatum carmen afferro nostrum.
Quis expediuit Psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra formare?
Magister Artis, ingenijque largitor,
Venter, negatus artifex sequi voces,
Quod si dolosi spes refulserit nummi
Coruos Poetas, & Poetridas picas
Cantare credas Pegaseium melos.

In vltimo versu nomen *melos* Græcè habet μέλος, quare nisi Ionicè sit μῆλος; aut liquidæ vi produxit primam more Græcorum, aut in fine Iambum noluit claudicantem adhibere, ideoque Iambico recto vsus clausit illum Iambo. De Iambico vtroque, idest recto, & de claudo est illud Ouidij.

Liber in aduersos hostes stringatur Iambus,
Seu celer, extremum, seu trahat ille pedem.

Reg. VI. De Galliambico.

G*Alliambicum* (ita dictum à Gallis Sacerdotibus Cybeles) sex pedes habet, nempe Anapæstum, duos Iambos, duos dactylos, & Anapæstum, admittit tamen primo loco spondeum, Creticum, & Proceleusmaticum, & in secundo Anapæstum,

Iam-

Iambum, Tribrachum, & Dactylum, quartum Iambum.

Exemplum sume à Catullo de Berecynthia.

Super alta vectus Atys celeri rate maria
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adÿtque opaca syluis redimita loca Deæ
Stimulatus vbi furentis rabie, vagus animi
Deuoluit illa acuta sibi pondera silice.

Cap. VI. De Trochaicis.

Trochaicum Carmen Hymnis, Tragœdijs, & Comœdijs idoneum, ita opponitur Iambico, vt sicut in Iambico non admittitur Trocheus, ita nec in Trochaico Iambus; esto Sidonius lib 9. hanc legem non obseruauerit; præterea sicut sedes propriæ Iambi in Iambico puro, vel Tragico sunt pares, ita è contrario sedes Chorei in Trochaico propriæ sunt impares loci. His præmonitis progrediemur à simplicibus ad composita Trochaica; quæ Græci pariter per Dipodiam metiri solent; dantes duos pedes Monometro, quatuor Dimetro, sex Trimetro, octo Tetrametro.

Reg. I. De Trochaicis, Monometris, ac Dimetris.

1. Trochaicum Monometrum Acatalectum constat duobus Choreis, sic.

Pelle curas,
Viue lætus,
Sperne Terram,
Cerne Cælum.

2. *Trochaicum Monometrum Hypercatalectum* habet duos Trocheos, & syllabam in fine, sic.

Vita iam fugit,
Instat & mihi
Parca, nec potest
Fata non sequi.

3. *Trochaicum Ithyphallicum* est Dimetrum Brachycatalectum, & habet tres Choreos, secundo tamen loco recipit Spondeum, sic.

Virgo singularis.
Inter omnes mitis.

4. *Trochaicum Euripidium* est Dimetrum Catalectum; cõstat enim tribus Choreis, & adhuc vna syllaba in fine.

quam-

Quamuis secundo loco spondeum recipiat sic.

Mella dantur cælitus,
Lacrymantur sidera,
Nectaris compendium
Roris instar herbidi.

5. *Trochaicum Alcmanium* est Dimetrũ Acatalectum, & habet quatuor Choreos; recipit tamen secundò, & quarto loco spondeum, & primo loco aliquando Pirrhichiũ, vt apud Catullum, & Sidonium lib. 9.

Age cuncta nuptiali,
Age conuocata pubes,
Pange plectro carmina.

6. *Trochaicum Bacchilidium* est Dimetrum Hypercatalectum: nec à præcendete differt, nisi adiectione vnius syllabæ in fine sic:

Floribus corona nectitur.
Versibus poema pangitur.

Reg. II. De Trochaicis Trimetris.

1. *Trochaicum trimetrum Brachycatalectum* vix in vsu est; constat enim quinque pedibus, quorum impares Chorei sunt; pares vel Chorei, vel Iambi, sic:

Parce vitio, parce somno amice.

2. *Trochaicum trimetrum Catalecticum* præcedenti dulcius est; habet autem quinque pedes, & vnam in fine syllabam; inter quos primus, tertius, & quintus sunt Chorei, reliqui autem Chorei, aut spondei; sic.

Musa dictat, auris audit carmina.

3. *Trochaicum trimetrum Acatalecticum*, per parum suaue est; habet tamen sex pedes, quorum primus, tertius, & quintus Chorei; reliqui vel Chorei, vel spondei; sic.

Quandocunque nomen ibit inter astra.

4. *Trimetrum Hipercatalectum* non differt à præcedenti, nisi additamento vnius in fine syllabæ; hoc modo:

Inter astra nomen ibit, ergo gaudeas.

Reg. III. De Trochaicis Tetrametris.

1 *Trochaicum tetrametrum Brachicatalectum* habet septem pedes, quorum impares sunt Chorei, reliqui autem Chorei, aut spondei, sic:

Inter astra fulget anguis, ergo Cælum Terra est.

2. Tro-

2. *Trochaicum Archilochium*, omnium suauissimum, est tetrametrum Catalectum, seu constat septem pedibus, & adhuc vna in fine syllaba, quare componitur ex Trochaico Alcmanio, & ex Trochaico Euripidio, ideoque licet integrum scribi possit, potest tamen in duo semitrochaica diuidi, & alternatim subijci breuius longiori, nempe Euripidium Alcmanico, vt in illo Ecclesiæ hymno.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium.

Antiquiores tamen iungebant hæc in vnum, & locis imparibus Choreum, rarissimè Tribrachum posuerunt; paribus autem spondeum, rarò spondeo Compares, exempla plurima sunt in Terentiano Mauro de syllabis, pedibus, ac metris. Elegentissimum est illud apud Suetonium in vita Cæsaris.

Ecce Cæsar iam triumphat, qui subegit Galliam,
Galliam Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.

Et Seneca in Medea actu 4.

Vos precor Vulgus silentum, vosqui ferales Deos.
Et chaos cæcum, atque opacam Ditis vmbrosi domum.

Et Prudentij hymno 9. Cathemerinon.

Da puer plectrum choreis vt canam fidelibus,
Dulce carmen, & melodum facta Christi insignia.
Ipse iussit, & creata, dixit ipse, & facta sunt:

Et Terentiani Mauri, vbi de trochei Cæsura post quartum pedem fugienda sic præcipit.

Perpolite quam potestis crebriore limula,
Regulam seruate vbique, finis vt quarti pedis,
Nominis, verbiue fine coma primum terminet.
Hac enim tome probatur metrum hoc Trochaicum?

Denique quid illo Trochaico iucundius pariter, ac religiosius, quo Ecclesia Catholica vtitur feria sexta maioris hebdomadæ?

Pange lingua gloriosi lauream certaminis,
Et super Crucis trophæo dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor Orbis immolatus vicerit?

Noster Ludouicus Crucius Psalmum 128. sic vertit:

Ter beati qui Tonantis per vias inambulant.

Et Mascardus de S. Magdalena.

Ru-

Rupis antra musa prome; rupis antra squalidæ.

3. *Trochaicum Hipponacteum*, est Tetrametrum Acatalectum, octo scilicet pedum, quorum impares Chorei sunt, & parium locorum spondei, aut Chorei, cuiusmodi est illud Iulij Cæsaris Scaligeri in farragine.

Appetente vere primo, cum tener virescit annus,
Vinitorque falce tonsos vitibus maritat vlmos.

Exempla Trochei habentis locis imparibus Tribrachũ, habes in Terentiano Mauro carmine de Litteris, & de Pedibus, quorum vltimus habet secundo loco Anapæstum.

η, & ω. quæ bina pedibus submittunt tempora,
Sicut vnum; numerus antequam secundus prodidit,
Forma talis est minoris, animam quando dicimus:
Nam quater reciprocantur numerus, & Tempus duplex
Iserit ἀνάπαιστος, vides quot iste pes sit temporum.

Appendix Triplex, vbi de Comicis.

I. Scitè Terentianus Maurus docet Senarium Iambicum conuertere in Trochaicum Archilochium, sola additione Cretici in principio, vt si Iambicis infrascriptis Horatij, & Catulli.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Phasellus ille, quem videtis hospites.

Additamento Cretici sic vtaris:

Omnibus Beatus ille qui procul negotijs.
Est celer phasellus ille, quem videtis hospites.

II. Qui aurium tantummodo leges sectantur, & à Regulis Trochaici legitimi recedere non dubitant, dũmodo quartus pes sine Cæsura sit, & in fine adsit Choreus cum vna syllaba, reliquis in locis quosuis pedes disyllabos non respuunt, vt fecit Sidonius, & alicubi Catullus, & vetus poeta apud Suetonium, vbi *deposuerunt* est quadrisyllabum, & *sumpserunt* Creticus.

Galli bracas deposuerunt, latum clauum sumpserunt.

III. Comici Trochaicis trimetris, aut tetrametris liberius vtuntur, dummodo enim in fine adsit Trocheus, reliquis in sedibus indiscriminatim Choreos, spõdeos, aut Compares Dactylum, Anapæstum, Tribrachym, Proceleusmaticum, Amphibrachym, sic vsurpant, vt nescias aliquando sintne Iambica carmina, an Trochaica, nisi vtrumque per discriminis aliquod indicium daret.

Cap.

Cap. VII. De Reliquis Carminum Speciebus.

PRæter quinquaginta tres species Carminum supra explicatas paucæ aliquot supersunt, sed ita parum harmonicæ, vt carminis vix saporem habeant, mirumque sit, repertas fuisse aures, quibus placuerint. Vt tamen eas quoque metiri possit lector, eius modulos indicabimus.

1. *Choriambicum Callimachium*, constat spondeo, & tribus Choriambis, & Pyrrhichio, vt apud Horatium lib. 1. od 11.

Tune quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dij dederint Leuconoe; nec Babylonios.

Et Catullum carm. 27.

Alphene immemor, atque vnanimis falce sodalibus.

2. *Choriambicum Tetrametrum* constat Epitrito secundo, duobus Choriambis, & Bacchio, cui anteponit Horatius Aristophanicum constans ex Choriambico, & Bacchio lib. 1. od. 8. sic:

Lydia dic per omnes,
Te Deos, oro, Sybarim cur properes amando?
Sanguine viperino.

3. *Trochaicum Stesichorium*, seu Diomedi Angelicum, habet primo loco Choreum, aut spondeum, secundo dactylum, tertio Creticum, quarto Choreum, quinto dactylum, sexto Choreum, vt apud Catullum car. 17.

O' Colonia, quæ cupis ponte ludere longo.

4. & 5. *Ionicum minus* duplex est, alterum Trimetrum Acatalectum constans tribus Ionicis à minore, aut in fine Pęone tertio; alterum tetrametrum acatalectum, constans quatuor Ionicis à minore. Vtroque vtitur Horatius lib. 3. od. 12.

Miserorum est neque Amori dare ludum.
Simul vnctos Tiberinis humeros lauit in vndis.

6. *Dactylicum Boetianum* habet primo dactylum, secundo dactylum, aut spondeum, tertio dactylum, aut spondeum, & adhuc in fine syllabam; sic Boetius lib. 3. metro 6.

Omne hominum genus in Terris
Vnus enim rerum pater est.

quibus interserit Pherecratium alternatim.

7. *Choriambicum Phalacium*, constat tribus Choriambis, & Amphibracho, vt apud Terentianum Maurum,

loco tamen Choriambi recipit dijambum.

Iane pater, Iane tuens, Iane, biceps, biformis,
Cui reserata mugiunt aurea claustra Mundi.

Habes iam expositas Versuum species, ac formas sexaginta, si Iambicos, & Trochaicos puros à mixtis, & mixtos Tragicos à Comicis distinguas. Qui ne hoc quidem numero contentus fuerit, ne ambrosia quidem, aut nectare expleri poterit.

Finis Partis Septimæ.

PARS OCTAVA
DE ACCENTV
In Pronunciando, & Scribendo.

Cap. I. Quid, & quotuplex sit Accentus.



1. ACCENTVS latissimè sumptus apud Hæbreos comprehendit quascunque notas litteris, aut syllabis superadditas, vel interiectas, cuiusmodi sunt non solum toni, seu tenores, & spiritus, & moduli temporis, sed etiam apostrophus, puncta interrogationis, & admirationis, & parentheses, imò & distinctionum, ac musicæ notæ, adeo vt 30. circiter accentus numerent, vt infra docebimus. Sed apud Græcos, & Latinos minùs latè sumitur Accentus, & comprehendit eas tantū notas, quæ affectionem syllabæ per se, & quatenus syllaba est, indicant, non autem quæ solis litteris, aut syntaxi orationis, aut cantillationi deseruiunt. Comprehendit itaque *Tonum*, seu *Tenorem*, *Spiritus*, & *Tempus*; quarum trium affectionū fundamentum Gerardus Vossius lib. 2. de Arte Grammatica cap. 6. desumit ex trina syllabæ dimensione; putat enim *Tenorem* illi conuenire secundùm longitudinem; *Spiritum* ratione latitudinis,

dinis; *Tempus* ratione profunditatis, quod subtilius, quàm verius esse puto. Demum *Accentus* presse sumptus significat *Tonum*, seu *Tenorem*, qui, si spectetur pronunciatio, est ratio; si scriptio, est nota eleuandi, aut deprimendi syllabam, eleuatio autem Græcè ἄρσις; & depressio θέσις dicitur.

II. Nomina *Accentûs* præsertim pressè sumpti sunt plura; Nam Græci Accentus προσωδίας vocant, Latini autem ab accinendo *Accentiunculas*, *Voculationes*, *Cantiunculas*; *moderamenta vocum*; *Fastigia vocis*; *cacumina vocum*, *apices*, *vocum*, *sonos*, *tonos*, *tenores*; vt docent Cicero lib. 3. de orat. Quintilianus lib. 1. cap. 5. Diomedes lib. 2. Gellius lib. 13. cap. 6. & 24. & Martianus Capella lib. 3. cap. de fastigio, vbi addit, Accentum esse *Animam vocum*, *& musicæ seminarium*. Et Theages Pythagoricus apud Stobæum serm. 1. negat, in musica concentum effici, si tollatur acutum, & graue.

III. *Accentus* pressè sumptus pro *tenore*, seu *tono*, triplex est, videlicet *Acutus*, *Grauis*, & *Circumflexus*; de quibus est illud Ciceronis in Oratore: *Mira est natura vocis, cuius quidem è tribus sonis omnino, inflexo, acuto, & graui tanta sit, & tam suauis varietas profecta in concentibus*. Ad quos reuocari possunt quinque Sinensium Accentus.

IV. *Acutus* Accentus Græcè ὀξεῖα προσωδία; est ratio, seu nota ἄρσεως idest eleuationis vocis, ideoque vt accentum vocis, quæ attollitur, indicet; nota ipsius est virgula recta, à sinistra manu in dexteram ascēdens, seu prior pars maiusculi Lampda, vt in sequenti alpha vides ά. Et dicitur acutus, quia quadam subtili vi, & acumine aurem ferit, & aerem penetrat.

V. *Grauis* Accentus, Græcè βαρεῖα προσωδία, est ratio, seu nota θέσεως, idest positionis, seu depressionis vocis, idcircò nota ipsius descensum syllabæ indicans; est lineola recta à sinistrâ in dextram descendens, seu posterior pars maiuscoli Lampda, vt in sequenti alpha ὰ vides. Et dicitur grauis, quia quemadmodum res graues sibi relictæ in studio deorsum feruntur, & cadunt: ita syllaba hoc accentu affecta, velut in guttur, aut pectus deorsum cadit.

VI. *Circumflexus*, seu *inflexus Accentus*, Græcè περισπωμένη, est ratio, seu nota syllabę simul eleuandæ, ac deprimendæ, ideòq; conflatur ex duplici nota, nempe accentus acuti, & grauis, ita vt efficiat integrum Lampda maiusculum, seu maiusculum, V, inuersum, nempè Λ,

vt

vt affirmat Marius Victorinus, hęc enim fuit nota huius accentus: licet vsi etiam sint Latini quidem C, inuerso, & Græci sigmate deuexo, vt supra sequens alpha vides ᾶ; & ita docet Martianus Capella lib. 3. cap. de fastigio.

VII. Vocabula quæ acuto Accentu notantur, si illum habeant in vltima syllaba, dicuntur acuta, vel acuti sona; Græcè ὀξύτονα; si verò in penultima dicuntur *penacuta*; Græcè παροξύτονα; si denique in antepenultima, antipenacuta: Græcè προπαροξύτονα.

Quæ verò Accentum grauem habent, dicuntur *Grauitana*, Græcè βαρύτονα.

Quę Circumflexo, in fine circumflexa, seu inflexa, seu amflexa Græcè περισπώμενα; at si penultimam circumflectunt, *penamflexa*; Græcè προπερισπώμενα dicuntur.

VIII. *Accentus grauis* superintelligendus est omnibus syllabis, nullo alio accentu notatis; proinde vocatur accentus syllabicus, sed non notatur nisi in fine vocabulorum omni alio accentu carentium, etenim cum procliues simus ad acuendam vltimam, si præcedentes nec acuto, nec circumflexo accentu pronunciauerimus saltē in Græcis dictionibus, vt præmoneamur, ne acuamus vltimam, adnotatur Accentus Grauis. Quare syllabicus Accentus non est quartus quidam accentus, sed est ipsemet Grauis; Aliquibus tamen videtur Grauis in fine vocum carentium acuto, & circumflexo, distingui à syllabico.

IX. Hæbreorum accentus presse sumpti, idest *Tonici* sunt quatuor. 1. *Métheg*, qui significat frenum, aut habenam, & habet vim acuendi syllabam longam. 2. *Mazgéb*, idest aspergens, seu superius *Métheg*, qui habet vim acuendi breuem syllabam. 3. *Makkáph*, seu *Makképh*, idest Circumplectens, & colligans, qui habet vim grauandi, aut destituendi præcedentem syllabam, & eam, si mutabilis sit, corripiendi. 4. *Géresch*, anterius, cuius varia vis est, nam modo grauat longam syllabam, modò acuit breuem; modò dilatat breuissimam; modò longam cirumflectit. Nam accentum perpetuò circumflectentē habent quidem, sed non est purè Tonicus, cum spectet ad accentus quoque Etimologicos, & meritò; nam & apud Græcos, Latinosq; Circumflexus adnotatur syllabis naturâ suâ longis, adeoq; originem, & etymon indicat, & illum appellant modo *Ieràch ben-iomó*, vel *Galgas*, hoc est, Lunam nouam, seu hemicyclum, seu Lunam filiam sui diei; modo *Merca Cephula*, vel *Theren-Chutrin*, idest Geminatum *Merca*, seu binas virgas, &

& vterque habet vim producendi, aut indicandi syllabam productam, & quia Etymologicus est, soni spatiũ denotat in ea syllaba, cui adhibetur. Hinc ortum puto, vt Circumflexus accentus notatus fuerit modo figura Lunæ bicornis, vt videre est ex plurimis vetustis codicibus Græcis, & apud Priscianum libris de Accentu; modo duabus lineolis inuersum V, æmulantibus. Qui plura cupit de Accentibus Hebraicis, non solum purè Tonicis, quos quatuor esse diximus, sed etiam de Etymologicis, seu ministris, qui sonorum dumtaxat spatia denotant, & sunt 7. & de syntacticis, seu regijs, qui non solum spatia sonorum, sed etiam interualla silentij denotant, & sunt 19. Consulat librum 4. Grammaticæ Hebrææ Francisci Iunij Biturigis, & Bellarminum cap. 6. partis primæ Gram. Hebr. Ex quibus pauca seligemus infra dum de Accentibus Hebraicis.

Cap. II. De Sede Accentuum in Vocabulis merè Latinis pronunciandis.

TRactant de hoc argumento Quintilianus lib. 1. cap. 5. & lib. 12. cap. 10. Censorinus libello de Accentibus. Diomedes lib. 2. Priscianus lib. 8. Capella lib. 3. cap. de Fastigio. Gellius lib. 4. & 7. cap 7. & lib. 13. c. 24. Marius Corradus lib. 2. de lingua Latina: Iustus Lipsius opusculo de pronunciatione linguæ Latinæ; Antonius Nebrissensis lib. 5. Maioragius in Epistolicis quæst. 9. Scaliger de causis Ling. Lat. lib 2. à cap. 58. Emmanuel in vltimo cap. quod est de Prosodia; Gerardus Vossius lib. 2. de Arte Grammatic. cap. 9. & 10. Io. à Planis initio dictionarij poetici, & præterea plurimi alij Grammatici in suis Prosodijs, vbi de Accentu, præsertim Despauterius, Pantaleon, Nicolaus Perettus, Thomas Corræa, Christophorus Sassus, Simon Verræpeus, Ludouicus Cauallus. Ex quibus sequentes Regulas deduximus, præcipuè ex Quintiliano, Diomede, & Nigidio apud Ciceronem.

I. REG. Nulla Latina vox caret accentu acuto, aut Circumflexo; nulla monosyllaba Grauem; nulla polysyllaba in fine Acutum, aut circumflexum admittit, nulla duos Accentus, qui non sint Graues; nulla Circumflexum ante penultimam; nulla Acutum ante antepenultimam.

II. REG. Monosyllaba naturâ suâ, vel positione, & naturâ simul longa circumflectuntur. *Vt ôs, orîs, lîs, sâl, sôl, Rêx, lêx, stîrps, iûx, dûc, dîc, fâc, vâe, nâe, aût, neû, queîs* pro quibus; & si breuia sint, vel longa ob solam positionem, acuuntur, vt *ád, íd, mél, fél, dát, fít, fáx, néx, níx, núx, dúx, stíps, scróbs, spés, rés, trúx, ós, ossis, párs, árs.*

III. REG. Disyllaba, quorum vltima breuis est, & prior naturâ suâ longa, priorem circumflectunt, vt *Rôma, mâter, frâtris, flâmen, sîmus*; alioquin prior acuitur, siue vtraque sit breuis, vt *ámor, facit*; siue vtraque longa sit, vt fóntes, cúrrunt; siue prior tantum breuis, vt *méas, núces, dábunt*; siue prior tantum longa, sed ob solam positionem, vt *árma, sánctus, téxit*.

An autem aduerbia, aut præpositiones, vt à nominibus, aut verbis distinguantur, acuenda sint, vel inflectenda in fine; vide Appendicem I. item an in compositis ex monosyllabis finalibus vltima debeat acui, vel inflecti; vide Appendicem 2. & 8.

IV. REG. *Hyperdissyllaba*, si vltima sit breuis, & penultima naturâ suâ longa, penultimam circumflectunt, vt *Amóris, amauére, examen, Románus, contulére*. At si penultima breuis sit, accuunt antepenultimam, vt *Dóminus, fécerit, Póntifex, cárdines, títubat*. Extra hos casus penultimam acuunt, videlicet si longa fuerit positione, vel naturâ quidem, at vltima quoque longa sit, vt *allatrat, Anâxes, confratres, inrârunt*: An autem ad compositionem indicandam, vel discrimen dictionum penultima longa reijcere possit acutum in antepenultimam, vel penultima breuis propter apocopem, vel ecclyticas, acuenda sit, vide Append. 3. 4. 5. & 6.

V. REG. Grauis Accentus in omnibus reliquis syllabis est, quæ carent acuto, aut circumflexo, præsertim in vltima.

Appendices Sex.

I. Controuertitur à Grammaticis, an quando eadem dictio potest accipi tanquam nomen, aut verbum, sed est aduerbiũ, vel præpositio, debeat vltima syllaba pronunciari, aut notari accentu acuto, aut circumflexo, aut graui; an verò nullo accentu saltem acuto, aut circumflexo. Prima sententia est Nigidij viri doctissimi, & Ciceronis contemporanei, quam sequitur Cicero ipse de Oratore pagina in Typis Gryphijs minoribus 464. & Gellius lib. 13. cap. 24. & Quintilianus lib. 1. cap. 5. &

lib.

lib. 12. cap. 10. vbi expressè negant vltimam syllabam dictionis polysyllabæ Latinæ, acui, aut circumflecti. Verba Quintiliani lib. 1. cap. 5. sunt hæc. *Est autem in omni voce vtique acuta; sed nunquam plus vna, nec vltima vnquam, ideòque in dissyllabis prior. Præterea nunquam in eadem flexa, & acuta; quia eadem flexa ex acuta. itaque neutra claudet vocem Latinam; ea verò quæ sunt syllabæ vnius, erunt acutæ; aut flexæ, ne sit aliqua vox sine acuta.* Et lib. 12. cap. 10.

Vltima syllaba nec acuta vnquam excitatur, nec flexa circunducitur, sed in grauem, vel duas graues cadit semper. Subscribunt huic sententiæ Thomas Corræa, Christophorus Saffus, Ludouicus Cauallus, & ipse Gerardus Vossius lib. 2. cap. 9. quoad pronunciationem: quoad scriptionem verò Marius Corradus lib. 2. de lingua Latina, quatenus aduerbia prædicta ait, distinguenda esse accentu graui, non tamen circumflexo, aut acuto.

Oppositam tamen opinionem videntur habuisse Ælius Donatus, Sergius Priscianus lib. 8. item Seruius in 1. Æneid. ad illud Maronis.

Errabant acti fatis maria omnia circùm.

Nempe præpositioni *circum* in fine accentum collocat, vt à nomine Circi distinguat, dicens: *In fine accentum ponimus contra morem Latinum*; & eâdem occasione Verius Longus inquit: *Loco transmutatus accentus, partes quoque orationis immutat, vt aliud est circùm, aliud circum, aliud ergo, aliud ergó.* Festus quoque de Vocabulo *quando* ait: *quando cum graui voce pronunciatur, significat quoniam, & est coniunctio: quandò acuto accentu, est temporis aduerbium.* De Aduerbio *pone* Marius Victorinus inquit: *Aduerbium poné posteriore acutum recipit accentum, ne sit verbum* Martianus quoque Capella lib. 3. cap. de Fastigio, ait: *Inflexum autem non alias postremum habet, nisi cuius posterior pars in syllabam natura longam excurrat, vt ergô, ponê.* Sed in exemplo fallitur, licet enim ergo pro causa vltimam habeat naturâ longam, & Græcè sit ἔργῳ; aduerbium tamen *pone* vltimam breuem habet. Similiter Consentius, dixit: *Accentus ostendit diuersam significationem vnius dictionis. Pone, si verbum est, grauis est vltima; si aduerbium circumflexa:* Sed ante hos tempore Quintiliani, nõ defuere, qui eiusdem opinionis essẽt, sic enim narrat ipsemet lib 1. c. 5. *Cæterum iam scio, quosdam eruditos, nõnullos etiam Grammaticos sic docere, ac loqui, vt propter quædam vocum discrimina verbum vltimum acuti sono finiant, vt in illis:*

Quæ circum littora: Circum piscosos scopulos.

Item quantum, quale, *interrogantes graui; comparantes acuto sermone concludunt, quod tamen in aduerbijs ferè solis, ac pronominibus vendicant; in cæteris veterem legem sequuntur*, ob quorum auctoritatem noster Emmanuel Appendice vltima Prosodiæ maioris dixit: *Si quempiam aduerbia pone, fere, vna, vltima acuta audieris pronunciantem, ne inscitia damnaueris, &c.* At Simon Verrepæus lib. 4. Grammat. Despauteriana Reg. 3. annot. 3. dixit: *Indeclinabilia quædam accipiunt accentum in vltima*, vt *doctè, porrò, vnà, & similes dictiones, quò differant à nominibus*; & lib. 5. cap. 8. affirmat aduerbiorum vltimam graui accentu à nominibus, verbisue distinguendam esse, vt *ponè, doctè, palàm, profectò, falsò, illò, eò, eòdem, vulgò, certò*, & *quandò? quid? àn? cùr?* Interrogatiua notari acuto; infinita autem graui, & supra, infra, *iuxta*, sine accentu graui in fine notato esse præpositiones, at cum graui aduerbia; & *érgo* esse coniunctionem; & *ergò* pro causa, seu gratia. Excepto igitur ergô, nusquam alibi admittit in vltima circumflexum, aut grauem; Gerardus tamen Vossius lib. 2. cap. 9. statuit aduerbiorum vltimam breuem acuto accentu, lõgam circumflexo notandam, vt *circúm, palám, poné, & bellé, aquê, doctê, longê, intrô, primô, quâ, quô, rarô, serô, vnâ*, sed in scribendo tantùm, non in pronunciando.

Ego verò, quid de accentu in fine dictionum, distinctionis gratia scribendo sentiam, dicam Appendice 6. nunc loquẽdo de sola pronunciatione, nego in polysyllabis vltimam acuendam, vel circumflectendam esse, si dictiones sint merè Latinæ, tam propter auctoritatem Nigidij, Ciceronis, Quintiliani, Gellij, ac Diomedis, quæ multo potior mihi est, quàm reliquorũ; tum quia nondum doctorum in hoc genere vsus in cõtrarium præualuit; tũ quia plerumq; superuacaneè discrimen dictionum ab accentus variatione requiritur, siquidem ipse contextus orationis, & syntagma satis manifestat, sintne aduerbia, an nomina, an verba, tum quia non maior ratio de aduerbijs, quã de alijs innumerabilibus dictionibus, in quibus opporteret, consequenter faciendo, discrimen ab accentu petere, exempli gratia, in *amare, leges, suis, mea, nate, nata, nemus, vita*, quæ modò verba, modò nomina sunt; & in *pictura, statum, structura, tritura, tortura*, quæ aliquando nomina, aliquando participia sunt, &c. præterea accentu distinguenda essent nomina hæc propria ab appellatiuis, vel adiectiuis, nempe *tra-*

ti,

tor, *Donatus*, *Felix*, *Liberius*, *Pastor*, *Romanus*, *Peregrinus*, *Sabinus*, *Satyrus*, *Sapores*, *Solutor*, *Victor*, &c. neque enim ex merâ pronunciatione horum discerni possunt initiales ipsorum litteræ maiusculæ; Postremo loquimur hic de Accentu presse sumpto pro nota Toni, seu Tenoris; At nota distinctionis spectat ad Accentus latè sumptos, quos Hebræi, aut Etymologicos, aut Syntacticos vocant; distinctio enim aduerbiorum à nominibus, aut verbis spectat ad Etymologiam, aut significationem syntaxi seruientem, non ad varietatem Toni, malè igitur confunduntur notæ distinctionis cum notis Tonicis in pronunciando.

II. Priscianus lib. 8. censuit circumflectendam vltimam in *benedic*, *benefac*, *calefac*, *dedûc*, *illîc*, *istûc*, *illîc*, itemque in *Arpinas*, *Tolosas*, *Priuernas*, *Rauennas*, *Aquinas*, *Mæcenas*, ad contractionem indicandam, antiquiores enim pro his vsurpasse *beneface*, *benedice*, *deduce*, *caleface*, *illuce*, *isthucce*, *illice*, & in casu recto *Arpinatis*, *Tolosatis*, *Aquinatis*, *Priuernatis*, *Rauennatis*, *Mecenatis*; nec Nebrissensis abnuit, & approbat Verrepæus, si quis acuat vltimam, in *calefit*, *frigefit*, & similibus, & præcipit Priscianus lib.8. quod aliqui etiam faciunt in *adhac*, *adhuc*, *etiamnum*, *iamtum*, *necne*, *necnon*, *numnam*, *quicum*, *quianam*, *quippeque*, *semipes*, *semiuir*, *vbinam*, *vbiuis*, *vndenam*. At ego longè pluris facio auctoritatem Nigidij, Ciceronis, Diomedis, & Quintiliani negantium vllam omninò dictionem Latinã, in vltima syllaba acui, aut circumflecti. Priscianus enim Quintiliano quingentis annis posterior Constantinopoli potiùs, quàm Romæ floruit; nempe eo tempore, & loco, quo barbaries sermonis iam inualescebat. Deinde auctores reliqui, qui acuunt vltimam in *calefit*, *frigefit*, ob compositionem ex finali monosyllabo, parum consequenter omittunt acutum in fine compositorum, à verbis *sum*, *fio*, *fero*, *flo*, *duco*, *volo*, vt in *ades*, *adest*, *adsunt*, *interest*, *praest*, *inest*, *subest*, *constant*, *prastant*, *prostant*, *substant*, *instant*, *affert*, *confert*, *defert*, *prafert*, *conflant*, *perflant*, *inflant*, *sufflant*, *aeflant*, *reflant*, *redux*, *tradux*, *quamuis*, *vteruis*; sed neque acuunt in his, *impar*, *dispar*, *compar*, *exlex*, *pracox*, *pernox*, *quisquis*, *quidquid*. Postremo vt dixi supra, non sunt confundendi accentus presse sumpti, seu Tonici, cum latè sumptis, seu notis distinctarum significationum. Si quis tamen composita ex his monosyllabis, non vt composita pronunciet, sed quasi disiuncta, aut si pro aliquibus sic pronunciandis doctorum virorum certa

consuetudo præualuerit iuxta dicenda 7. Append. tum demum ijs non repugnantia. Hactenus de 1. & 2. Regula, nunc ad 3. discutiendam accedamus.

III. Probus Anianus, vt refert Gellius lib. 1. cap. 7. putauit, acuendam esse secundam, seu antepenultimam syllabam in *Exaduersum*, ne si acueretur penultima, videretur esse dictio simplex potius, quàm composita ex duabus, ob quam causam idem existimauit Priscianus lib. 8. de his compositis, *deinde, exinde, proinde, deorsum, dumtaxat, enimuero, hucusque, quamobrem, quapropter, tametsi, nimirùm, aliquando, nequando, siquando, subinde, perinde*; Seruius quoq; in hac hæresi fuit, cum 6 Æneid. dixit: *Exinde vna pars orationis est, & in tertia à fine accentum habet, licet penultima longa sit*; nec refragatur Donatus in Eun. act. 5. scen. 1. dum ait: *Si quando, & prima syllaba acui potest, & media, tamen variat sententiam*. Gerardus quoque Vossius l.b. 2. cap. 10. affirmat si ex vltima, & penultima Hyperdisyllaborũ longæ sint, acuendam penultimam, non obstante compositione, vt in *deinceps, orbis Terra*; at si penultima tantum longa sit, non vltima, acuendam quidem antepenultimam in pronunciando, vt compositio indicetur, sed penultimæ tamen temporis spatium tribuendum, quod eam longam indicet, aliud enim esse accentum, aliud quantitatem, & antiquos sic acuisse antepenultimam, vt tamen penultimam produxerint, in *Exaduersum, alíquando, exinde, dumtaxat, virílustris, iurisco consultus, intereá loci, præfectús fabrum*. Composita enim leguntur in antiquis monumentis hæc non secus, ac *suaué rubens, sacráuia*. Eadem distinctione vtitur Verrepæus lib. 4. Gram. Regula 3. Exceptione 1 vbi docet in his compositis acuendam antepenultimam, sed producendam penultimam, si ea longa sit; monet tamen hæc potius ex doctorum quorundam sententia, à se dici, quàm de sua; alioquin consuetudini standum, *ne pro docto, habearis fortasse ridiculus*.

At ego cum Quintiliano, Diomede, & Gellio, nec non cum Iulio Scaligero de causis linguæ latinæ c. 63. Thoma Corræa, Christophoro Sasso, Emmanuele, & Ludouico Cauallo censeo nunquam acuendã esse antepenultimam in compositis hiperdisyllabis, quotiescumque penultima longa fuerit, tum quia ita postulat Latini sermonis vsus ab eo tempore desumptus, quo vigebat Latina Lingua; tum quia, vt non semel diximus, perperam confunderetur accentus pressè sumptus, cum notis di-
stin-

stinctionum, tum deniq; quia si ad compositionem indicandam, accentus acutus retrahendus esset à penultima quamuis longa in antepenultimam idem præstandū esset in *introibo, compello, expono, dispono, detur bo, euoluo, procēdo, incedo*, & alijs innumerabilibus, quod tamen quis non videat esse ridiculum barbarismum in pronunciando? Quamquam autem verissimum est, quantitatem syllabæ,& Accentum differre; in Latino tamen sermone longitudo penultimæ in hyperdissyllabis est causa accentus acuti, aut circumflexi, & accentus vtriuis est certissimum indicium longitudinis; sicut è contrario carentia vtriusque accentus est manifestissimum indicium breuitatis. Ideoque Nicolai Ferretti opposita ex diametro opinio reijcienda est; putat enim ad indicandam compositionem acuendam esse penultimam, licet breuis sit, in *eatenus, quatenus, eiusmodi, beneplacens, suauerubens, fideiubet, graueolens, iamdiū, quamdiu, tandiu, interdiu, nihilominus, paulominus, propemodum, semideus, suaueolens, triumuiri, verumtamen, vicecomes, vsucapit, vsuuenit*. Nisi enim hæc disiunctim proferantur antepenultimam acuunt, non penultimam, sed sæpe non potest disiungi, nisi ridicula cacophonia, vt nec in *siquidem*, quando stat pro etenim, & affirmatiuum est, cum limitatiuum, aut suspensiuum est.

IV. Altera tamen superest quæstio de hyperdissyllabis penultimam breuem habentibus, an in aliquo alio casu à compositione distincto sit acuenda, quod quidem tribus in casibus putant 1. in Vocatiuis vltimas duas in vnā contrahentibus, vt in *Æmili, Basili, Domiti, Mercuri, Ouidi, Pompili, Sulpici, Seruili, Tarquini, Valeri, Virgili*; Nam etsi Nigidius Ciceronis tempore docuisset in *Valeri* acuendam esse primam; Gellius tamen id referens lib. 13. cap. 24. ait: *Si quis nunc Valerium appellans in vocandi casu, secundum id præceptum Nigidij acuerit primam, non aberit quin rideatur*. Floruit autem Gellius Adriani temporibus. Priscianus quoque lib. 7. cum dixisset. *Iuniores gaudentes breuitate per extremæ syllabæ abscißionem, protulerunt pro Virgilie, Virgili, & pro Mercurie, Mercuri, vt Horatius in primo Carminum*.

Mercuri facunde nepos Atlantis,

& *Nulli flebilior quam tibi Virgili*.

Addit; *Vnde accentus perfecti vocatiui in his seruatur, si enim non esset abscißio, debuerunt huiusmodi vocatiui, qui in I, desinentes penultimam correptam habent, antepenultimam acuere, vt Virgili, Mercuri, quod minime licet*; Huic verò

 opi-

opinioni Ioannes à Planis in dictionario poetico Aldus Manutius subscribunt cum Vossio lib. 2. cap. 10. ob rationem à Prisciano allatam. Subscribit & cum Despauterio Verrepæus lib. 4. Reg. 3. Excep. 3. nec reluctatur Emmanuel in postrema Appendice Prosodiæ, sed hi propter vsum, qui procedente tempore accentus immutandi vim obtinet, idcircò enim penultimam quantumuis breuem acuimus in vocatiuis *Ambrosi, Geruasi, Gregori, Protasi*. Sed in his quatuor manifesta est consuetudo etiam doctissimorum virorum, & vniuersalissima; At de reliquis vocatiuis huiusmodi nondum præualuit consuetudo, saltem apud nos; quare in dubio cum Corræa pronunciauerim potius, & cum Cicerone, & Nigidio, & antepenultimam acuerim, ne sine necessitate ansam dem imperitis producendi penultimam, si eam acuero, neue Latini sermonis antiquam Regulam violem; imò addit Antonius Nebrissensis cap. de Accent. *Ego tantum Nigidio tribuo, vt libentiùs velim cum eo errare, quàm cum omnibus Grammaticis verum dicere*.

2. Casus est de Verbis compositis à facio in secunda, ac tertia persona, vt de *calefacis, tepefacis*, &c. Nam Priscianus acuendam ait penultimam, & retinendum accentum in illa Vocali, in qua illum habuit prima persona *calefacio, tepefacio*. Vossius pariter lib. 2. c. 10. ait: Veteres Romanos penultimam in his acuisse simul, & corripuisse, quod tamen non aliunde probat, quàm ab auctoritate Prisciani barbaro sæculo florentis; idem à plerisque fieri docet Verrepæus lib. 4. Reg. 3. Excep. 2. Ego verò quandiù necessitas manifestissimæ consuetudinis oppositum non euicerit, seruabo Regulam antiquæ latinitatis, nec penultimam breuem in hyperdisyllabis acuto accentu pronunciabo. Similiter Thomas Corræa antepenultimam acuit in *calefac, frigefac, rarefac*, quia licet in versu penultima sit anceps, in prosa tamen breuis est.

3. Casus est de obliquis casibus *Annibalis, Asdrubalis, Hamilcaris*, quorum penultimam Valerius probus insignis Grammaticus circumflectebat, vt testatur Gellius lib. 4. cap. 7. Verum ideò sic opinabatur, quia putabat longam esse, nam Epistola ad Marcellum testes adducebat Ennium, & Plautum, aliosque Poetas veteres, exempli gratia sit illud Ennij Iambicum in Scipione.

Qui propter Annibalis copias considerant.

Non videtur enim consistere carmen, nisi penultima in

Anni-

Annibalis sit producta. Atqui vt de Iambicis Comicis diximus; satis constat ea recipere loco spondei anapæstum, & Creticum, quare, si *cepias* per synerésim disyllabum facias, & *nibalis* anapestum, constabit versus.

V. Maior difficultas est de Encliticis *que, ne, ve*, quando adiunguntur polysyllabis vltimam breuem habentibus; an scilicet acutus accentus, ab antepenultima promouendus sit in penultimam, seu accentus ipsarum Encliticarum reijciendus in proximè præcedentem; quod perinde est. Affirmant enim vniuersim Seruius 1. Æneid. dicens: *Pronunciationis causa, contra vsum Latinum, syllabis vltimis, quibus particula adiunguntur, accentus tribuitur; vt Musâque, illéne, cuíque*; & Capella l.b. 3. cap. de Fastigio; *mutant accentus adiunctis vocibus que, ve, ne*, & affert exemplum duplex ex Actio in Pelopidis; nempe Hexametrorum fines.

Latiúmque augescere vultis,

Stimulóue meum cor.

Et addit *Nunquam migrabit acutus sonus de primis syllabis in postremas præter particulas coniunctiuas, quarum hoc proprium est, acuere partes extremas vocum, quibus adiunguntur*. Idem censent Verrepæus lib. 4. Reg. 3. Excep. 5. dans exempla in *homóque, bestiáue*, & Vossius lib. 2. cap. 9. nec obstare discrimen à longis, nam Veteres ita pronunciasse hæc, vt tamen quantitatis rationem haberent, ac præterea si penultima natura longa sit, cum ipsis *que, ne, ve*, sint vltimæ, & breues, tunc penultimam circumflectendam, vt in ablatiuis, *Terrâque, Musâue*; at si breuis, acuendam, & sic seruari sufficiens discrimen.

Oppositam sententiam mordicus tenent Paulus Melissus in Epistola ad Henricum Stephanum editâ à Goldasto, & Thomas Corræa in Prosodia c. de legibus Accentuum; aiuntq; si penultimâ sit breuis, accentum acutum in antepenultimâ adhibendũ, vt in *ármaque, pléraque, ítaque, ítane? ástraue, vtraque*; sic in illis hemistichijs, *Lauínaque venit littera*; *méllaque decussit folijs*, dummodò particulæ illę coeuntes vnam dictionem efficiant, quando enim sunt hypertrisyllaba, & antepenultima quoque breuis est, vt in *criminaue, sideraue*, & in Virgilianis illis hemistichijs, *liminaque, laurusque dei, & poculaque incertis*, & *tribulaque, trabeaque*. Dubitat Corræa, num coeant, nam si coeant, & acutum in penultima, vel in quarta à fine colloces, contra Regulam inquit, facias Latini sermonis, qui nec acutũ, nec circumflexum ante antepenultimam, nec eosdem in penultima

breui hyperdisyllaborum patitur. Nihil autem dicit de illis, qui in tali casu acutum ponerent in antepenultima, sic *criminaue*, *sideraue*, *populaque*, *tribulaque*. Sed certè qui sic pronunciaret, exsibilaretur, propter consuetudinem manifestam in contrarium doctorum virorum, qui in his pluralis numeri, aut collocant accentum acutum, in quarta à fine, sed particulas *que*, *ne*, *ve*, fermè disiunctim pronunciant, vel si coniunctim, tunc acuunt quidem penultimam, dicentes, *liminaque*, *poculaque*, *tribulaque*: nimirum quia non est periculum confundendi hos casus cum ablatiuis longis, & ita seruatur indicium quantitatis non obstante accentu. Esto Prudentius produxerit penultimam in *criminaque* delusus ab accentu.

At siue sint trisyllaba tantum, siue hypertrisyllaba; si periculum sit confundendi casus, & errandi in quantitate ob accentum, ego sanè penultimam breuem nunquam acuam, sed antepenultimam, vt in casibus hisce rectis, vel Vocatiuis *Musaque*, *Térraque*, *tántane*, *Catilinaque*, dummodo hypertrisyllaba antepenultimam longam habeant; nam si breuem, vt *Caniculaque*, *nutriculaque*, seorsim potius Enclyticas pronunciauerim, & accentum in secunda collocauerim. Neque enim nobis notum satis est discrimen acuti, & circumflexi in pronunciando, vt proinde possimus periculum vitare confundendi casus rectos, aut vocatiuos cum ablatiuis; idemque præstiterim in *posteaquam*, *anteaquam*. Demum si penultima sit communis, Enclyticarum vi eam acuendam, puto vt in *mihíq;tibíne,sibíue,sibíq;trigintaque*, *seróque*, *ultróne*, *citróue*, multoque magis si longa sit positione, acuam, si natura, inflectam, vt *hominêsne*, *ferane*, *terrâque*, *marêque*. Errat porrò hic Despauterius existimans *denique*, *vbique*, *vndique* componi ex Enclytica *que*.

VI. Regulæ omnes,& præcepta in Appendicibus insinuata, semper debent cedere consuetudini, sed peritorum,& manifestæ, & vniuersali saltem in ea regione,in qua degitur, alioquin abusus erit, ob quem non est recedendum à lege olim recepta. Rectè enim Quintilianus lib. 1. cap. 6. *Consuetudinem vocamus, sicuti in vita bonorum, sic in sermone eruditorum*; & ante illum Cicero in Bruto: *Quod vitiosè multi faciunt, consuetudinis vim obtinere non debet*. Et Gretserus noster. *Aliud est consuetudo, quam non damnamus; aliud abusus, qui iusta reprehensione non caret*. Consuetudo, inquam, illa, quam

Gel-


Gellius lib. 5. cap. 10. *Rerum Reginam vocat, & quæ cogat etiam doctos viros se illi acommodare*, iuxta illud Ciceronis, *in loquendo vsum populo concessi, scientiam mihi reseruaui*; & Horatij in Arte.

Si volet vsus.

Quem penes arbitrium est, & ius, & forma loquendi.

Periti autem Latini sermonis fuere vtiq; Romani tum temporis, quando viuebat natiua illa lingua, & quando etiam vulgus de quantitate syllabarum iudicabat, vt docet Cicero in Orator. dicens: *In versu quidem theatra exclamant, si fueris vna syllaba breuior, aut longior.* Nunc autem periti ad consuetudinem introducendam, aut confirmandam idonei sunt, qui latinitatis periti sunt, & non aliarum tantum artium, vel scientiarum, puta Medicinæ, aut Theologiæ, aut vtriusque Iuris. Non enim tanquam breuem pronunciauerim primam in *Arphaxat, Eleazar, exsiccat, introibo, dormitat, abligurit, tametsi*, aut tanquam longam acuerim, vel inflexerim penultimam in *circumdatus, epicyclus, idololatra, semiduplex, initus, supernatat, pessundare, venundari*, quia Sacerdotes quidam, Medici, aut Philosophi, Latinâ Linguâ semimbuti, sic pronunciant, nec quia aliquem Ludimagistrum Prosodiæ reconditioris haud ita peritum sic à pueris pronunciantem audiuerim. Alioquin si cuiuis consuetudini cedendum, illud Quintiliani lib. 1. cap. 5. ingemuerim potius, quam ingeminauerim, *Hæc à præcepto nostro non recedent; aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur.*

Indicium certè abusûs est, si neque vulgus passim ita pronunciet, vt non sine communi offensione contrauiri possis, nec docti alioquin viri examinarint sufficientes rationes pro vtraque parte, sed suarum tantummodo aurium iudicio, & sua assuetudine id metientes; aliorum, qui oppositum iustis de causis sentiant, rationes aut ignorent, aut obstinatè dissimulent, nec tamen reuincere valeant.



vt affirmat Marius Victorinus, hęc enim fuit nota huius accentus: licet vsi etiam sint Latini quidem C, inuerso, & Græci sigmate deuexo, vt supra sequens alpha vides ᾶ; & ita docet Martianus Capella lib. 3. cap. de fastigio.

VII. Vocabula quæ acuto Accentu notantur, si illum habeant in vltima syllaba, dicuntur acuta, vel acuti sona; Græcè ὀξύτονα; si verò in penultima dicuntur *penacuta*; Græcè παροξύτονα; si denique in antepenultima, antipenacuta: Græcè προπαροξύτονα.

Quæ verò Accentum grauem habent, dicuntur *Grauisona*, Græcè βαρύτονα.

Quę Circumflexo, in fine circumflexa, seu inflexa, seu amflexa Græcè περισπώμενα; at si penultimam circumflectunt, *penamflexa*; Græcè προπερισπώμενα dicuntur.

VIII. *Accentus grauis* superintelligendus est omnibus syllabis, nullo alio accentu notatis; proinde vocatur accentus syllabicus, sed non notatur nisi in fine vocabulorum omni alio accentu carentium, etenim cum procliues simus ad acuendam vltimam, si præcedentes nec acuto, nec circumflexo accentu pronunciauerimus saltē in Græcis dictionibus, vt præmoneamur, ne acuamus vltimam, adnotatur Accentus Grauis. Quare syllabicus Accentus non est quartus quidam accentus, sed est ipsemet Grauis; Aliquibus tamen videtur Grauis in fine vocum carentium acuto, & circumflexo, distingui à syllabico.

IX. Hæbreorum accentus pressè sumpti, idest *Tonici* sunt quatuor. 1. *Métheg*, qui significat frenum, aut habenam, & habet vim acuendi syllabam longam. 2. *Mazzéb*, idest aspergens, seu superius *Métheg*, qui habet vim acuendi breuem syllabam. 3. *Makkáph*, seu *Makképh*, idest Circumplectens, & colligans, qui habet vim grauandi, aut destituendi præcedentem syllabam, & eam, si mutabilis sit, corripiendi. 4. *Géresch*, anterius, cuius varia vis est, nam modo grauat longam syllabam, modò acuit breuem; modò dilatat breuissimam; modò longam cirumflectit. Nam accentum perpetuò circumflectentē habent quidem, sed non est purè Tonicus, cum spectet ad accentus quoque Etimologicos, & meritò; nam & apud Græcos, Latinosq; Circumflexus adnotatur syllabis naturâ suâ longis, adeoq; originem, & etymon indicat, & illum appellant modo *Ierách ben-iomó*, vel *Galgal*, hoc est, Lunam nouam, seu hemicyclum, seu Lunam filiam sui diei; modo *Merca Cephula*, vel *Thereu-Chutrin*, idest Geminatum *Merca*, seu binas virgas,

&

& vterque habet vim producendi, aut indicandi syllabam productam, & quia Etymologicus est, soni spatiū denotat in ea syllaba, cui adhibetur. Hinc ortum puto, vt Circumflexus accentus notatus fuerit modo figura Lunæ bicornis, vt videre est ex plurimis vetustis codicibus Græcis, & apud Priscianum libris de Accentu; modo duabus lineolis inuersum V, æmulantibus. Qui plura cupit de Accentibus Hebraicis, non solum purè Tonicis, quos quatuor esse diximus, sed etiam de Etymologicis, seu ministris, qui sonorum dumtaxat spatia denotant, & sunt 7. & de syntacticis, seu regijs, qui non solum spatia sonorum, sed etiam interualla silentij denotant, & sunt 19. Consulat librum 4. Grammaticæ Hebrææ Francisci Iunij Biturigis, & Bellarminum cap. 6. partis primæ Gram. Hebr. Ex quibus pauca seligemus infra dum de Accentibus Hebraicis.

Cap. II. De Sede Accentuum in Vocabulis merè Latinis pronunciandis.

TRactant de hoc argumento Quintilianus lib. 1. cap. 5. & lib. 12, cap. 10. Censorinus libello de Accentibus. Diomedes lib. 2. Priscianus lib. 8. Capella lib. 3. cap. de Fastigio. Gellius lib. 4. & 7. cap 7. & lib. 13. c. 24. Marius Corradus lib. 2. de lingua Latina: Iustus Lipsius opusculo de pronunciatione linguæ Latinæ; Antonius Nebrissensis lib. 5. Maioragius in Epistolicis quæst. 9. Scaliger de causis Ling. Lat. lib 2. à cap. 58. Emmanuel in vltimo cap. quod est de Prosodia; Gerardus Vossius lib. 2. de Arte Grammatic. cap. 9. & 10. Io. à Planis initio dictionarij poetici, & prætereà plurimi alij Grammatici in suis Prosodijs, vbi de Accentu, præsertim Despauterius, Pantaleon, Nicolaus Perettus, Thomas Corræa, Christophorus Sassus, Simon Verræpeus, Ludouicus Cauallus. Ex quibus sequentes Regulas deduximus, præcipuè ex Quintiliano, Diomede, & Nigidio apud Ciceronem.

I. REG. Nulla Latina vox caret accentu acuto, aut Circumflexo; nulla monosyllaba Grauem; nulla polysyllaba in fine Acutum, aut circumflexum admittit, nulla duos Accentus, qui non sint Graues; nulla Circumflexum ante penultimam; nulla Acutum ante antepenultimam.

II.

II. REG. Monosyllaba naturâ suâ, vel positione, & naturâ simul longa circumflectuntur. *Vt ôs, orîs, lîs, sâl, sôl, Rêx, lêx, stîrps, lûx, dûc, dîc, fâc, vâe, nâe, aût, nûu, queîs* pro quibus; & si breuia sint, vel longa ob solam positionem, acuuntur, *vt ád, íd, mél, fél, dát, fít, fáx, néx, níx, núx, dúx, stîps, scróbs, spés, rés, trúx, ós, ossis, párs, árs*.

III. REG. Disyllaba, quorum vltima breuis est, & prior naturâ suâ longa, priorem circumflectunt, vt *Rôma, mâter, frâtris, flâmen, sîmus*; alioquin prior acuitur, siue vtraque sit breuis, vt *ámor, facit*; siue vtraque longa sit, vt fóntes, cúrrunt; siue prior tantum breuis, vt *méas, núces, dábunt*; siue prior tantum longa, sed ob solam positionem, vt *árma, sánctus, téxit*.

An autem aduerbia, aut præpositiones, vt à nominibus, aut verbis distinguantur, acuenda sint, vel inflectenda in fine; vide Appendicem I. item an in compositis ex monosyllabis finalibus vltima debeat acui, vel inflecti; vide Appendicem 2. & 8.

IV. REG. *Hyperdissyllaba*, si vltima sit breuis, & penultima naturâ suâ longa, penultimam circumflectunt, vt *Amôris, amauêre, exâmen, Românus, contulêre*. At si penultima breuis sit, accuunt antepenultimam, vt *Dóminus, fécerit, Póntifex, cárdines, títubat*. Extra hos casus penultimam acuunt, videlicet si longa fuerit positione, vel naturâ quidem, at vltima quoque longa sit, vt *allatrat, Ajâxes, confratres, inrârunt*: An autem ad compositionem indicandam, vel discrimen dictionum penultima longa reijcere possit acutum in antepenultimam, vel penultima breuis propter apocopem, vel ecclyticas, acuenda sit, vide Append. 3. 4. 5. & 6.

V. REG. Grauis Accentus in omnibus reliquis syllabis est, quæ carent acuto, aut circumflexo, præsertim in vltima.

Appendices Sex.

I. Controuertitur à Grammaticis, an quando eadem dictio potest accipi tanquam nomen, aut verbum, sed est aduerbiũ, vel præpositio, debeat vltima syllaba pronunciari, aut notari accentu acuto, aut circumflexo, aut graui; an verò nullo accentu saltem acuto, aut circumflexo. Prima sententia est Nigidij viri doctissimi, & Ciceronis contemporanei, quam sequitur Cicero ipse de Oratore pagina in Typis Gryphijs minoribus 464. & Gellius lib. 13. cap. 24. & Quintilianus lib. 1 cap. 5. & lib.

lib. 12. cap. 10. vbi expresse negant vltimam syllabam dictionis polysyllabæ Latinæ, acui, aut circumflecti. Verba Quintiliani lib. 1. cap. 5. sunt hæc. *Est autem in omni voce vtique acuta; sed nunquam plus vna, nec vltima vnquam, ideòque in dissyllabis prior. Præterea nunquam in eadem flexa, & acuta; quia eadem flexa ex acuta. itaque neutra claudet vocem Latinam; ea verò quæ sunt syllabæ vnius, erunt acuta; aut flexa, ne sit aliqua vox sine acuta.* Et lib. 12. cap. 10.

Vltima syllaba nec acuta vnquam excitatur, nec flexa circunducitur, sed in grauem, vel duas graues cadit semper. Subscribunt huic sententiæ Thomas Corræa, Christophorus Sassus, Ludouicus Cauallus, & ipse Gerardus Vossius lib. 2. cap. 9. quoad pronunciationem: quoad scriptionem verò Marius Corradus lib. 2. de lingua Latina, quatenus aduerbia prædicta ait, distinguenda esse accentu graui, non tamen circumflexo, aut acuto.

Oppositam tamen opinionem videntur habuisse Ælius Donatus, Sergius Priscianus lib. 8. item Seruius in 1. Æneid. ad illud Maronis.

Errabant acti fatis maria omnia circùm.

Nempe præpositioni *circum* in fine accentum collocat, vt à nomine Circi distinguat, dicens: *In fine accentum ponimus contra morem Latinum*; & eâdem occasione Verius Longus inquit: *Loco transmutatus accentus, partes quoque orationis immutat, vt aliud est circùm, aliud círcum, aliud ĕrgo, aliud ergó.* Festus quoque de Vocabulo *quando* ait: *quando cum graui voce pronunciatur, significat quoniam, & est coniunctio: quandò acuto accentu, est temporis aduerbium.* De Aduerbio *pone* Marius Victorinus inquit: *Aduerbium poné posteriore acutum recipit accentum, ne sit verbum* Martianus quoque Capella lib. 3. cap. de Fastigio, ait: *Inflexum autem non alias postremum habet, nisi cuius posterior pars in syllabam natura longam excurrit, vt ergô, ponê.* Sed in exemplo fallitur, licet enim *ergo* pro causa vltimam habeat naturâ longam, & Græcè sit ἔργῳ; aduerbium tamen *poné* vltimam breuem habet. Similiter Consentius, dixit: *Accentus ostendit diuersam significationem vnius dictionis. Pone, si verbum est, grauis est vltima; si aduerbium circumflexa:* Sed ante hos tempore Quintiliani, nō defuere, qui eiusdem opinionis essēt, sic enim narrat ipsemet lib 1. c. 5. *Cæterum iam scio, quosdam eruditos, nonnullos etiam Grammaticos sic docere, ac loqui, vt propter quædam vocum discrimina verbum vltimum acuti sono finiant, vt in illis:*

Quæ

Quæ circum littora: Circum piscosos scopulos. *Item* quantum, quale, *interrogantes graui; comparantes acuto sermone concludunt, quod tamen in aduerbijs ferè solis, ac pronominibus vendicant; in cæteris veterem legem sequuntur*, ob quorum auctoritatem noster Emmanuel Appendice vltima Prosodiæ maioris dixit: *Si quempiam aduerbia pone, fere, vna, vltima acuta audieris pronunciantem, ne inscitia damnaueris, &c.* At Simon Verrepæus lib. 4. Grammat. Despauterianæ Reg. 3. annot. 3. dixit: *Indeclinabilia quædam accipiunt accentum in vltima*, vt *doctè, porrò, vnà, & similes dictiones, quò differant à nominibus*; & lib. 5. cap. 8. affirmat aduerbiorum vltimam graui accentu à nominibus, verbisue distinguendam esse, vt *ponè, doctè, palàm, profectò, falsò, illò, eò, eòdem, vulgò, certò*, & *quandò? quid? àn? cùr?* Interrogatiua notari acuto; infinita autem graui, & supra, infra, *iuxta*, sine accentu graui in fine notato esse præpositiones, at cum graui aduerbia; & *ergo* esse coniunctionem; & *ergô* pro causa, seu gratia. Excepto igitur ergô, nusquam alibi admittit in vltima circumflexum, aut grauem; Gerardus tamen Vossius lib. 2. cap. 9. statuit aduerbiorum vltimam breuem acuto accentu, lõgam circumflexo notandam, vt *circúm, palám, poné, & bellé, aquê, doctê, longê, intrô, primô, quâ, quô, rarô, serô, vnâ*, sed in scribendo tantùm, non in pronunciando.

Ego verò, quid de accentu in fine dictionum, distinctionis gratia scribendo sentiam, dicam Appendice 6. nunc loquẽdo de sola pronunciatione, nego in polysyllabis vltimam acuendam, vel circumflectendam esse, si dictiones sint merè Latinæ, tam propter auctoritatem Nigidij, Ciceronis, Quintiliani, Gellij, ac Diomedis, quæ multo potior mihi est, quàm reliquorũ; tum quia nondum doctorum in hoc genere vsus in cõtrarium præualuit; tũ quia plerumq; superuacaneè discrimen dictionum ab accentus variatione requiritur, siquidem ipse contextus orationis, & syntagma satis manifestat, sintne aduerbia, an nomina, an verba, tum quia non maior ratio de aduerbijs, quã de alijs innumerabilibus dictionibus, in quibus opporteret, consequenter faciendo, discrimen ab accentu petere, exempli gratia, in *amare, leges, suis, mea, nate, nata, nemus, vita*, quæ modò verba, modò nomina sunt; & in *pictura, statum, structura, tritura, tortura*, quæ aliquando nomina, aliquando participia sunt, &c. præterea accentu distinguenda essent nomina hæc propria ab appellatiuis, vel adiectiuis, nempe *Arator*,

tor, Donatus, Felix, Liberius, Pastor, Romanus, Peregrinus, Sabinus, Satyrus, Sapores, Solutor, Victor, &c. neque enim ex merâ pronunciatione horum discerni possunt initiales ipsorum litteræ maiusculæ; Postremo loquimur hic de Accentu presse sumpto pro nota Toni, seu Tenoris; At nota distinctionis spectat ad Accentus latè sumptos, quos Hebræi, aut Etymologicos, aut Syntacticos vocant; distinctio enim aduerbiorum à nominibus, aut verbis spectat ad Etymologiam, aut significationem syntaxi seruientem, non ad varietatem Toni, malè igitur confunduntur notæ distinctionis cum notis Tonicis in pronunciando.

II. Priscianus lib. 8. censuit circumflectendam vltimam in *benedic, benefac, calefac, dedûc, illîc, istûc, illîc*, itemque in *Arpinas, Tolosat, Priuernas, Rauennas, Aquinas, Mæcenas*, ad contractionem indicandam, antiquiores enim pro his vsurpasse *beneface, benedice, deduce, caleface, illuce, isthucce, illíce*, & in casu recto *Arpinatis, Tolosatis, Aquinatis, Priuernatis, Rauennatis, Mecenatis*; nec Nebrissensis abnuit, & approbat Verrepæus, si quis acuat vltimam, in *calefit, frigefit*, & similibus, & præcipit Priscianus lib.8. quod aliqui etiam faciunt in *adhac, adhuc, etiamnum, iamtum, necne, necnon, numnam, quicum, quianam, quippeque, semipes, semiuir, vbinam, vbiuis, vndenam*. At ego longè pluris facio auctoritatem Nigidij, Ciceronis, Diomedis, & Quintiliani negantium vllam omninò dictionem Latinã, in vltima syllaba acui, aut circumflecti. Priscianus enim Quintiliano quingentis annis posterior Constantinopoli potiùs, quàm Romæ floruit; nempe eo tempore, & loco, quo barbaries sermonis iam inualescebat. Deinde auctores reliqui, qui acuunt vltimam in *calefit, frigefit*, ob compositionem ex finali monosyllabo, parum consequenter omittunt acutum in fine compositorum, à verbis *sum, flo, fero, sto, duco, volo*, vt in *ades, adest, adsunt, interest, praest, inest, subest, constant, præstant, prostant, substant, instant, affert, confert, defert, præfert, conflant, perflant, inflant, sufflant, aeflant, reflant, redux, tradux, quamuis, vteruis*; sed neque acuunt in his, *impar, dispar, compar, exlex, præcox, pernox, quisquis, quidquid*. Postremo vt dixi supra, non sunt confundendi accentus presè sumpti, seu Tonici, cum latè sumptis, seu notis distinctarum significationum. Si quis tamen composita ex his monosyllabis, non vt composita pronunciet, sed quasi disiuncta, aut si pro aliquibus sic pronunciandis doctorum virorum certa

consuetudo præualuerit iuxta dicenda 7. Append. tum demum ijs non repugnantia. Hactenus de 1. & 2. Regula, nunc ad 3. discutiendam accedamus.

III. Probus Anianus, vt refert Gellius lib. 1. cap. 7. putauit, acuendam esse secundam, seu antepenultimam syllabam in *Exaduersum*, ne si acueretur penultima, videretur esse dictio simplex potius, quàm composita ex duabus, ob quam causam idem existimauit Priscianus lib. 8. de his compositis, *deinde, exinde, proinde, deorsum, dumtaxat, enimuero, hucusque, quamobrem, quapropter, tametsi, nimirum, aliquando, nequando, siquando, subinde, perinde*; Seruius quoq; in hac hæresi fuit, cum 6 Æneid. dixit: *Exinde vna pars orationis est, & in tertia à fine accentum habet, licet penultima longa sit*; nec refragatur Donatus in Eun. act. 5. scen. 1. dum ait: *Si quando, & prima syllaba acui potest, & media, tamen variat sententiam*. Gerardus quoque Vossius l. b. 2. cap. 10. affirmat si ex vltima, & penultima Hyperdisyllaborũ longæ sint, acuendam penultimam, non obstante compositione, vt in *deinceps, orbis Terra*; at si penultima tantum longa sit, non vltima, acuendam quidem antepenultimam in pronunciando, vt compositio indicetur, sed penultimæ tamen temporis spatium tribuendum, quod eam longam indicet, aliud enim esse accentum, aliud quantitatem, & antiquos sic acuisse antepenultimam, vt tamen penultimam produxerint, in *Exaduersum, alíquando, exinde, dumtaxat, virilustris, iurisció sultus, intertá'oci, præfectús fabrum*. Composita enim leguntur in antiquis monumentis hæc non secus, ac *suauérubens, sacráuia*. Eadem distinctione vtitur Verrepæus lib. 4. Gram. Regula 3. Exceptione 1 vbi docet in his compositis acuendam antepenultimam, sed producendam penultimam, si ea longa sit; monet tamen hæc potius ex doctorum quorundam sententia, à se dici, quàm de sua; alioquin consuetudini standum, *ne pro docto, habearis fortasse ridiculus*.

At ego cum Quintiliano, Diomede, & Gellio, nec non cum Iulio Scaligero de causis linguæ latinæ c. 63. Thoma Corræa, Christophoro Sasso, Emmanuele, & Ludouico Cauallo censeo nunquam acuendã esse antepenultimam in compositis hiperdisyllabis, quotiescumque penultima longa fuerit, tum quia ita postulat Latini sermonis vsus ab eo tempore desumptus, quo vigebat Latina Lingua; tum quia, vt non semel diximus, perperam confunderetur accentus pressè sumptus, cum notis distin-

stinctionum, tum deniq; quia si ad compositionem indicandam, accentus acutus retrahendus esset à penultima quamuis longa in antepenultimam idem præstandũ esset in *introibo, compello, expono, dispono, deturbo, euoluo, procêdo, incedo*, & alijs innumerabilibus, quod tamen quis non videat esse ridiculum barbarismum in pronunciando? Quamquam autem verissimum est, quantitatem syllabæ, & Accentum differre; in Latino tamen sermone longitudo penultimæ in hyperdissyllabis est causa accentus acuti, aut circumflexi, & accentus vteruis est certissimum indicium longitudinis; sicut è contrario carentia vtriusque accentus est manifestissimum indicium breuitatis. Ideoque Nicolai Ferretti opposita ex diametro opinio reijcienda est; putat enim ad indicandam compositionem acuendam esse penultimam, licet breuis sit, in *eatenus, quatenus, eiusmodi, beneplacens, suauerubens, fideiubet, graueolens, iamdiú. quamdiu, tandiu, interdiu, nihilominus, paulominus, propemodum, semideus, suaueolens, triumuiri, verumtamen, vicecomes, vsucapit, vsuuenit*. Nisi enim hæc disiunctim proferantur antepenultimam acuunt, non penultimam, sed sæpe non potest disiungi, nisi ridicula cacophonia, vt nec in *siquidem*, quando stat pro etenim, & affirmatiuum est, cum limitatiuum, aut suspensiuum est.

IV. Altera tamen superest quæstio de hyperdissyllabis penultimam breuem habentibus, an in aliquo alio casu à compositione distincto sit acuenda, quod quidem tribus in casibus putant 1. in Vocatiuis vltimas duas in vnã contrahentibus, vt in *Æmili, Basili, Domiti, Mercuri, Ouidi, Pompili, Sulpici, Seruili, Tarquini, Valeri, Virgili*; Nam etsi Nigidius Ciceronis tempore docuisset in *Valeri* acuendam esse primam; Gellius tamen id referens lib. 13. cap. 24. ait: *Si quis nunc Valerium appellans in vocandi casu, secundum id præceptum Nigidij acuerit primam, non aberit quin rideatur*. Floruit autem Gellius Adriani temporibus. Priscianus quoque lib. 7. cum dixisset. *Iuniores gaudentes breuitate per extremæ syllabæ abscissionem, protulerunt pro Virgilie, Virgili, & pro Mercurie, Mercuri, vt Horatius in primo Carminum*.

Mercuri facunde nepos Atlantis,

& *Nulli flebilior quam tibi Virgili*.

Addit; *Vnde accentus perfecti vocatiui in his seruatur, si enim non esset abscissio, debuerunt huiusmodi vocatiui, qui in I, desinentes penultimam correptam habent, antepenultimam acuere, vt Virgili, Mercuri, quod minimè licet*; Huic verò

 opi-

opinioni Ioannes à Planis in dictionario poetico Aldus Manutius subscribunt cum Vossio lib. 2. cap. 10. ob rationem à Prisciano allatam. Subscribit & cum Despauterio Verrepæus lib. 4. Reg. 3. Excep. 3. nec reluctatur Emmanuel in postrema Appendice Prosodiæ, sed hi propter vsum, qui procedente tempore accentus immutandi vim obtinet, idcircò enim penultimam quantumuis breuem acuimus in vocatiuis *Ambrosi, Geruasi, Gregori, Protasi.* Sed in his quatuor manifesta est consuetudo etiam doctissimorum virorum, & vniuersalissima; At de reliquis vocatiuis huiusmodi nondum præualuit consuetudo, saltem apud nos; quare in dubio cum Corræa pronunciauerim potius, & cum Cicerone, & Nigidio, & antepenultimam acuerim, ne sine necessitate ansam dem imperitis producendi penultimam, si eam acuero, neue Latini sermonis antiquam Regulam violem; imò addit Antonius Nebrissensis cap. de Accent. *Ego tantum Nigidio tribuo, vt libentiùs velim cum eo errare, quàm cum omnibus Grammaticis verum dicere.*

2. Casus est de Verbis compositis à facio in secunda, ac tertia persona, vt de *calefacis, tepefacis,* &c. Nam Priscianus acuendam ait penultimam, & retinendum accentum in illa Vocali, in qua illum habuit prima persona *calefacio, tepefacio.* Vossius pariter lib. 2. c. 10. ait: Veteres Romanos penultimam in his acuisse simul, & corripuisse, quod tamen non aliunde probat, quàm ab auctoritate Prisciani barbaro sæculo florentis; idem à plerisque fieri docet Verrepæus lib. 4. Reg. 3. Excep. 2. Ego verò quandiù necessitas manifestissimæ consuetudinis oppositum non euicerit, seruabo Regulam antiquæ latinitatis, nec penultimam breuem in hyperdisyllabis acuto accentu pronunciabo. Similiter Thomas Corræa antepenultimam acuit in *calefac, frigefac, rarefac*, quia licet in versu penultima sit anceps, in prosa tamen breuis est.

3. Casus est de obliquis casibus *Annibalis, Asdrubalis, Hamilcaris*, quorum penultimam Valerius probus insignis Grammaticus circumflectebat, vt testatur Gellius lib. 4. cap. 7. Verum ideò sic opinabatur, quia putabat longam esse, nam Epistola ad Marcellum testes adducebat Ennium, & Plautum, aliosque Poetas veteres, exempli gratia sit illud Ennij Iambicum in Scipione.

Qui propter Annibalis copias considerant.

Non videtur enim consistere carmen, nisi penultima in

Anni-

Annibalis sit producta. Atqui vt de Iambicis Comicis diximus; satis constat ea recipere loco spondei anapæstum, & Creticum, quare, si *copias* per synerésim dissyllabum facias, & *nibalis* anapestum, constabit versus.

V. Maior difficultas est de Encliticis *que, ne, ve*, quando adiunguntur polysyllabis vltimam breuem habentibus; an scilicet acutus accentus, ab antepenultima promouendus sit in penultimam, seu accentus ipsarum Encliticarum reijciendus in proximè præcedentem; quod perinde est. Affirmant enim vniuersim Seruius 1. Æneid. dicens: *Pronunciationis causa, contra vsum Latinum, syllabis vltimis, quibus particula adiunguntur, accentus tribuitur; vt Musáque, illéne, cuique*; & Capella lib. 3. cap. de Fastigio; *mutant accentus adiunctis vocibus que, ve, ne*, & affert exemplum duplex ex Actio in Pelopidis; nempe Hexametrorum fines.

Latiúmque augescere vultis,
Stimulóue meum cor.

Et addit *Nunquam migrabit acutus sonus de primis syllabis in postremas præter particulas coniunctiuas, quarum hoc proprium est, acuere partes extremas vocum, quibus adiunguntur*. Idem censent Verrepæus lib. 4. Reg. 3. Excep. 5. dans exempla in *homóque, bestiáue*, & Vossius lib. 2. cap. 9. nec obstare discrimen à longis, nam Veteres ita pronunciasse hæc, vt tamen quantitatis rationem haberent, ac præterea si penultima natura longa sit, cum ipsis *que, ne, ve* sint vltimæ, & breues, tunc penultimam circumflectendam, vt in ablatiuis, *Terrâque, Musâue*; at si breuis, acuendam, & sic seruari sufficiens discrimen.

Oppositam sententiam mordicus tenent Paulus Melissus in Epistola ad Henricum Stephanum editâ à Goldasto, & Thomas Corræa in Prosodia c. de legibus Accentuum; aiuntq; si penultimâ sit breuis, accentum acutum in antepenultimâ adhibendũ, vt in *ármaque, pléraque, ítaque, ítane? ástraue, vtraque*; sic in illis hemistichijs, *Lauínaque venit littora*; *méllaque decussit folijs*, dummodò particulæ illę coeuntes vnam dictionem efficiant, quando enim sunt hypertrisyllaba, & antepenultima quoque breuis est, vt in *criminaue, sideraue*, & in Virgilianis illis hemistichijs, *liminaque*, *laurusque dei*, & *poculaque incertis*, & *tribulaque, trabeaque*. Dubitat Corræa, num coeant, nam si coeant, & acutum in penultima, vel in quarta à fine colloces, contra Regulam inquit, facias Latini sermonis, qui nec acutũ, nec circumflexum ante antepenultimam, nec eosdem in penultima

breui hyperdisyllaborum patitur. Nihil autem dicit de illis, qui in tali casu acutum ponerent in antepenultima, sic *criminaue, sideraue, populaque, tribulaque*. Sed certè qui sic pronunciaret, exsibilaretur, propter consuetudinem manifestam in contrarium doctorum virorum, qui in his pluralis numeri, aut collocant accentum acutum, in quarta à fine, sed particulas *que, ne, ve*, fermè disiunctim pronunciant, vel si coniunctim, tunc acuunt quidem penultimam, dicentes, *liminaque, poculaque, tribulaque*: nimirum quia non est periculum confundendi hos casus cum ablatiuis longis, & ita seruatur indicium quantitatis non obstante accentu. Esto Prudentius produxerit penultimam in *criminaque* delusus ab accentu.

At siue sint trisyllaba tantum, siue hypertrisyllaba; si periculum sit confundendi casus, & errandi in quantitate ob accentum, ego sanè penultimam breuem nunquam acuam, sed antepenultimam, vt in casibus hisce rectis, vel Vocatiuis *Musaque, Térraque, tántane, Catilinaque*, dummodo hypertrisyllaba antepenultimam longam habeant; nam si breuem, vt *Caniculaque, nutriculaque*, seorsim potius Enclyticas pronunciauerim, & accentum in secunda collocauerim. Neque enim nobis notum satis est discrimen acuti, & circumflexi in pronunciando, vt proinde possimus periculum vitare confundendi casus rectos, aut vocatiuos cum ablatiuis; idemque præstiterim in *posteaquam, anteaquam*. Demum si penultima sit communis, Enclyticarum vi eam acuendam, puto vt in *mihíq; tibíne, sibíue, silebq; trigintaque, seróque, vltróne, citróue*, multoque magis si longa sit positione, acuam, si natura, inflectam, vt *hominésne, ferane, terrâque, matrique*. Errat porrò hic Despauterius existimans *denique, vbique, vndique* componi ex Enclytica *que*.

VI. Regulæ omnes, & præcepta in Appendicibus insinuata, semper debent cedere consuetudini, sed peritorum, & manifestæ, & vniuersali saltem in ea regione, in qua degitur, alioquin abusus erit, ob quem non est recedendum à lege olim recepta. Recte enim Quintilianus lib. 1. cap. 6. *Consuetudinem vocamus, sicuti in vita bonorum, sic in sermone eruditorum*; & ante illum Cicero in Bruto: *Quod vitiosè multi faciunt, consuetudinis vim obtinere non debet*. Et Gretserus noster. *Aliud est consuetudo, quam non damnamus; aliud abusus, qui iusta reprehensione non caret*. Consuetudo, inquam, illa, quam

Gellius lib. 5. cap. 10. *Rerum Reginam vocat*, *& quæ cogit etiam doctos viros se illi acommodare*, iuxta illud Ciceronis, *in loquendo vsum populo concessi*, *scientiam mihi reseruaui*; & Horatij in Arte.

Si volet vsus.

Quem penes arbitrium est, & ius, & forma loquendi.

Periti autem Latini sermonis fuere vtiq; Romani tum temporis, quando viuebat natiua illa lingua, & quando etiam vulgus de quantitate syllabarum iudicabat, vt docet Cicero in Orator. dicens: *In versu quidem theatra exclamant*, *si fueris vna syllaba breuior*, *aut longior.* Nunc autem periti ad consuetudinem introducendam, aut confirmandam idonei sunt, qui latinitatis periti sunt, & non aliarum tantum artium, vel scientiarum, puta Medicinæ, aut Theologiæ, aut vtriusque Iuris. Non enim tanquam breuem pronunciauerim primam in *Arphaxat*, *Eleazar*, *exsiccat*, *introibo*, *dormitat*, *abligurit*, *tametsi*, aut tanquam longam acuerim, vel inflexerim penultimam in *circumdatus*, *epicyclus*, *idololatra*, *semiduplex*, *initus*, *supernatat*, *pessundare*, *venundari*, quia Sacerdotes quidam, Medici, aut Philosophi, Latinâ Linguâ semimbuti, sic pronunciant, nec quia aliquem Ludimagistrum Prosodiæ reconditioris haud ita peritum sic à pueris pronunciantem audiuerim. Alioquin si cuiuis consuetudini cedendum, illud Quintiliani lib. 1. cap. 5. ingemuerim potius, quam ingeminauerim, *Hæc à præcepto nostro non recedent*; *aut si consuetudo vicerit*, *vetus lex sermonis abolebitur.*

Indicium certè abusûs est, si neque vulgus passim ita pronunciet, vt non sine communi offensione contraniti possis, nec docti alioquin viri examinarint sufficientes rationes pro vtraque parte, sed suarum tantummodo aurium iudicio, & sua assuetudine id metientes; aliorum, qui oppositum iustis de causis sentiant, rationes aut ignorent, aut obstinatè dissimulent, nec tamen reuincere valeant.



Caput III. De Accentu, in Dictionibus merè Latinis ſcribendis.

Et de Notis diſcretiuis ſignificationis, aut quantitatis.

I. REGVLA. Accentus preſsè ſumpti pro notis Tonorum, ſeu Tenorum, etſi olim rectè omiſſi in ſcribendo, poſtea tamen rectè introducti ſunt, & melius vſurpantur, ſaltem in hyperdiſſyllabis dictionibus, quam omittuntur.

Omiſſos fuiſſe Accentus hoſce in ſcribẽdo à Latinis, quando florebat Latina Lingua, docẽt Simon Verrepçus lib. 5. Gram. cap. 8. Lipſius de Pronunciatione Linguæ Latinæ cap. 19. Angelus Politianus in Miſcellaneis c. 58. & Gerardus Voſſius lib. 2. Artis Gramm. c. 8. conſtat id ex lapidibus antiquis, quo enim vetuſtiores, eo magis carent accentibus huiuſmodi. Eſto aliqui non careant notulis quantitatis acuti accentus figuram imitantibus, ad indicandam ſyllabæ longitudinem, adeo, vt in vna, eademq; dictione binos huiuſmodi apices legas, vt in STA'TIO', PATRO'NO', PEDA'NIO', CLE'ME'NS, vel idem apex ſit ante antepenultimam, vt in CV'RIO'NE; quod ſignum eſt, eos non eſſe accentus preſsè ſumptos. Neq; latina dictio binos acutos, aut ante antepenultimam admittit acutum. Dixi autem rectè tunc id factum, quia natiua illa lingua cum lacte hauſta vulgo adeò vſitata erat, vt non eſſet opus hiſce notis ad ſyllabam attollendam, vel deprimendam, acuendam, vel inflectendam.

Poſtea tamen deficiente latini ſermonis vſu, nec rectam eius pronunciationem, niſi ex emortuis voluminibus, tanquàm è ruderibus ſcrutari valentibus, rectè introducti ſunt huiuſmodi accentus, præſertim in ſacris codicibus ex quibus quotidie recitantur pſalmi, lectiones, Euangelia, & hymni, antiphonæ, & reliquæ ſacræ preces. Dixi porrò id rectè factum ſaltem in Hyperdiſſyllabis. Nam cum nobis ignotum ſit in pronunciando diſcrimen accentus acuti, & circumflexi, & in circumflexo prædominetur acutus; ex altera verò parte nulla vox latina, ne monoſyllaba quidem careat vtroque horum accentuum, & diſyllaba neutrum in fine admittat, facilè abſq; vllius accentus ſcriptione ſcitur, & monoſyl-

ſyllaba, & diſyllaborum priorē non eſſe deprimendam, ſed accentu attollendam. At de hyperdiſyllabis dubitari poteſt: attollenda ne ſit penultima, an eâ depreſsâ, ſit attollenda antepenultima, ideoque perutiliter introducti ſunt accentus ſaltem in ſacris libris, qui pronunciantur elata voce, præſertim in Miſſalibus, Breuiarijs, Diurnijs, Antiphonarijs, quæ per ſe ad pronunciationem elatam, & publicam inſtituta ſunt. Eſto in reliquis libris, ac ſcriptionibus, lectioni per ſe, non pronunciationi deſtinatis, accentuum horum notæ plerumque negligi ſoleant.

II. REG. Si accentus preſſe ſumpti adhibeantur, aut ſeruandæ eædem Regulæ in ſcribendo, quæ in pronuntiando, tam in monoſyllabis, quam in polyſyllabis: aut ſaltem in hyperdiſyllabis, per accentum ſaltem acutum, diſtinguenda eſt penultima longa à breui.

Prior quidem ratio eruditior eſſet, & deſeruiret non ſolum quantitati quoque multarum ſyllabarum, pernoſcendæ: ſed etiam diſtinguendis monoſyllabis, aut penultimis naturâ ſua longis ope circumflexi accētus, ab alijs, quæ non ſunt longæ, aut non naturâ ſuâ. Poſterior autem ratio eſt id, quod ad minimum accedit. Mediam tamen viam in ſacris libris Typographi tenent; nam nec monoſyllaba, nec diſyllaba accentibus inſigniunt; in hyperdiſyllabis autem vtuntur modo acuto, modo circumflexo, neutrum quidem breui penultimæ adnotantes, nec circumflexum ante penultimam, ſed tamen in eo peccant multi, quod circumflexum ponunt in penultimâ longâ, etiam quando vltima eſt longa, vt in *mandâtis, declînant, adêrunt, pronunciâui, sermônes*, item quod ſyllabis à maiuſcula littera initis accentum acutum ſubtrahunt, vt *Angeli, Iſrael*, & vbi diphthongus eſt, nec acutum, nec circumflexum ponunt, vt in *ſæculum, adhæſit, refrænans*, cum tamen acuant primam in *laudent*, denique vbi eſt ypſilon, non ponunt accentum, vt in *Cymbalis, tympano*, quorum prima deberet acui. Conſulenda eſt igitur præcedentis capitis Reg. 4. in Iambicis quoque illis:

Huius celebrant annua, &
Nox & Tenebræ, & lumina.

Accentus deberent poni non in prima, ſed in ſecunda ſyllaba, ſic *celébrat, tenébræ*.

III. REG. Accentus latè ſumpti pro notis diſtinctionum in dictionibus æquiuocis, ſic adnotari conſueuerunt, vt accentus grauis nota ponatur in vltima ſyllaba

 aduer-

aduerbiorum, aut præpositionum, quæ à nominibus, aut verbis distinguenda sunt, vt in *doctè, vnà, aliàs, ponè, serò, profectò, circùm*, idemque dic de *cùm* aduerbio discriminando à *cum* præpositione. Accentus autem circumflexi nota ponitur tum in ablatiuis in a, vt in *Terrâ, aquâ, eâdem*; tum in genitiuis singularibus nominum quartæ, vt in *fructûs, senatûs*, vt distinguantur à recto casu; tum in genitiuis pluralibus contractis, vt in *Diuûm, Cælicolûm, Graiugenûm, Italûm*, pro *Diuorum, Cælicolorum, Graiugenarum, Italorum*; tum denique in genitiuis secundæ in I contractis, vt in *Virgilî, Consilî, Pompeî*, pro *Virgilij, Consilij, Pompeij*, quamuis ea contractio per I, quoque maiusculum indicetur. Quod enim Vossius in aduerbijs vltimā producentibus requirit in eâdem circumflexi notam vt in *bellê, rarô*, non est receptum, imò nec ab illo vsitatum, vt patebit percurrenti eius libros. Concedo tamen illi, imò & Terentio Scauro, vtile fore, si prior disyllaborum, quando longa est, & posterior breuis, signetur accētu circumflexo in illis dictionibus, quæ duplicem significationem habent, & quoad vnam illarum breuem habeat priorem, & acutum postulet; sic enim discretioni, tum significationis, tum quantitatis deseruiret, vt in *lêgit* præterito, ac *légit* præsens; *âret* ab *areo*, & *áret* ab *aro*; *frêta* confisa, & *freta* maria; *mâlus* substant. & *malus* adiect. *nâta* à nascor, & *náta* à nato natas, *pâlus* pali, & *pálus* paludis; *pâret* à *pâreo*, & *paret* à *paro*; *plâcet* à *placo*, & *plácet* à placeo; *pôtis* à poto, & *pótis* à possum; *rêmus*, & *Remus*, *sêrum* adiect. & *serum* seri. Sed quia in vsu non est, nec in alijs multis æquiuocis hoc discrimen seruatur, nondum præcepti vim, sed solùm consilij obtinuit.

IV. REG. Accentus latissimè sumpti pro notis discretiuis syllabicæ quantitatis, non fuere Priscis adhibiti, quamuis postea vtiliter inuenti. Vulgo enim nota erat syllabarum quantitas. Quod testatur Cicero in Oratore, dicens: *In versu quidem theatra tota reclamant, si fuit vna syllaba aut breuior, aut longior. Nec verò multitudo pedes nouit, nec vllos numeros tenet, nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit; & tamen omnium longitudinum, & breuitatum in sonis, sicut acutarum, grauiumque vocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocauit.* Idem in paradoxis inquit. *Histrio si paulò se mouit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba vna breuior, aut longior, exsibilatur, & exploditur.* Cæterum pro notis quantitatis Prisci vsque ad Actium,

&

& vltra, vt docet Quintilianus lib. 1. cap. 4. & 7. geminabant vocales longas, præſertim quando in æquiuoca dictione opus erat diſcretione, ſcribebantque *malus*, adiectiuè, ſed *maalus* ſubſtantiuè; *venit* præſens, ſed *veenit* præteritū; & *populus* multitudo, ſed *poopulus* arbor. Quod & Angelus Politianus Miſcellan. cap. 43. in veterum monumentis adnotauit, & in inſcriptionibus à Grutero, & Smetio collectis obſeruare licet, in quibus leguntur *naata*, *vaarus*, *marijnas*, *paaſtores*, *ree*, *ſeedes*, *ſanctiſſimijs*, *Thraacum*, *caarus*; quam conſuetudinem Mario Victorino teſte lib. 1. cap. de orthogr. ſeruarunt, Næuius, & Liuius Andronicus, excepto I, longo, pro illo enim adhibebant EI; vt in *queis* pro quibus; *ſancteis* pro ſanctis. Eam tamen conſuetudinem geminandi vocales non probat Terentius Scaurus, inquit enim: *Plurimum igitur per adiectionem illa videtur eſſe vitioſa, quod Accius geminatis vocalibus ſcribi naturâ longis voluit: cum alioqui adiecto, vel ſublato apice, longitudinis, & breuitatis nota poſſet oſtendi*; vbi legendum eſt *voluit*, non autem *noluit*; quidquid ſenſerit Lipſius cap. 5. de recta pronunciatione linguæ lat. Audi enim Velium longum ſic docentem: *Nam nec Accium ſecuti ſumus ſemper vocales geminantem, vbicunque producitur ſyllaba, quoniam expedita debet eſſe conditio ſcribendi*. Quintilianus quoque notas haſce neceſſarias putauit, vbi periculum ſit errandi, ſed apicibus contentus fuit; lib. enim 1. cap. de Orthogr. ſic ſcribit: *Longis ſyllabis omnibus apponere apicem ineptiſſimum eſſe: quia plurima naturâ ipsâ verbi, quod ſcribitur. Sed interim neceſſarium cum eadem littera alium, atque alium intellectum, prout producta, vel correpta eſt, facit: vt malus vtrum arborem ſignifi et, an hominem non bonum, apice diſtinguitur. Palus aliud priore ſyllaba longa, aliud breui ſignificat, & cum eadem littera nominatiuo caſu breuis, ablatiuo longa eſt; vtrum ſequamur, plerumque hac nota monendi ſumus*; cui concinit Terentius Scaurus: *Apices ibi poni debent, vbi eiſdem litteris alia, atque alia res deſignatur, vt vénit, & vénit; âret, & aret; légit, & lêgit: cæteraque his ſimilia. Super I, tamen litteram apex non ponitur, melius in PILA, I, longum producitur*; ideſt melius deſignabitur eius productio ſi ad diſtinguendam pilam columnam, à pila globo, ſcribatur per I, maiuſculum.

V. Ex dictis à Quintiliano, & Scauro colligitur, Apicem, quo deſignabatur productio ſyllabæ natura ſua lōgæ, ſiue in penultima, ſiue in fine ablatiuorum &c. fuiſ-

se similem accentui circumflexo. Esto alij in monumentis antiquis vsi sint nota accentus acuti, & quidem in omnibus longis, vt vidimus Reg. I. in *Státió*, *Patrónó*, *Pedánió*, *Cleméns*, *Curioné*. Alij postea pro longitudinis nota vtebantur linea longa, & dimidio pro breuitatis nota, sed quia procliue erat in scribendo vnam pro altera ponere, pro nota breuitatis substituere notam circumflexo contrariam, nempe minusculum ypsilon, idest v, qua de re eruditè Scaliger lib. 2. de causis linguæ latinę cap. 55. Memineris tamen accentus circumflexi notam, quando est in vltima syllaba, non esse accentum pressè sumptum, idest indicium attollendæ vocis.

Cap. IV. De Accentuum sede, in Dictionibus Græcolatinis Pronunciandis.

I. REGVLA. Vocabula planè Græca, & sola characterum figura latina, Græco accentu pronuncianda & scribēda sunt, vt παραλιπομένων, in penultima quamuis breui acuenda, etiam si latinis litteris scribatur *Paralipoménon*. Ita prudenter Emmanuel de Prosodia in fine; sunt enim adhuc iuris Græcanici, quare non est attendenda tunc quantitas penultimæ; ideoq; acuenda antepenultima in *Lithóstrotus*, & Eléison, etiam si penultima longa sit, quia Græcè λιθόστρωτος, ἐλέησον, nec vltimis syllabis negandus accētus circumflexus, si eum Græcè possideant, vt in dictione *Periarchôn*, Græcè περιαρχῶν, & in aduerbijs *antonomasticôs*, *hyperbolôs*, *Ironicôs*, Græcè enim desinunt in ῶς, inflexum. Inter simpliciter Græca sunt musicarum chordarum nomina, itaq; acuēda penultima in *diatessáron*, *diapâsson*, *diazeugménon*.

II. REG. Vocabula non scriptura tantummodò, sed etiam significatione ex Græco in Latinum traducta, seu Græcolatina simpliciter, si accentum habeant in ea sede, in qua spectata quantitate, & ordine syllabarum, haberent, si essent merè Latina; vtique accentu Græco pronuncianda sunt, quia qui secus faceret, neque Græco, neque Latino ritu pronunciaret. Idcircò circumflectenda est penultima in *Debbôra*, *Sepphôra*, quia apud 70. Interpretes desinunt in ῶρα, & in *Cyrînus*, *Phauorînus*, *Cratînus*, *Gemînus* viri proprium, quia penultimam longam habent, & Græcè desinunt in ῖνος, inflectenda item in *Bacchius* pes, *Darius*, *Choreus*, *Spondeus*, quia Græcè habent

bent ει'ος, denique inflectenda in nominibus in αιος terminatis, quia Græcè habeat αι῀ος, vt *Amorrhaêus, Bartholomaêus, Cirenaêus, Matthaêus, Pharisaêus, Sadducaêus, Thadaêus, Trochaêus*, pes.

Acuenda verò est penultima in sequentibus, quia sic acuitur Græcè, vt longa sit, vel propter η. vt in *paranéte, Egémon, Philémon*, vel propter ω, vt in *Heródes, Oródes, Lagópus, Melóte, Salóme*, vel propter αι, vt in *Eudaémon, Palaémon*; vel propter ει, vt in *Heraclítus, Epiphanía, Latría, Sapphíra, Thyatíra*; item in *Thessaloníca, Beroníce*, quia penultima longa est naturâ suâ, & Græcè acuta. Contra verò acuenda antepenultima in sequentibus, quia sic acuitur à Græcis, vt penultima breuis sit, vel propter ε, vt *Aristáenetus, Aretas; Nicáenetus, paráenesis; Thimóteus*, vel propter omicron, vt *Antigonus, Antiochus, Philóponus*, vel aliunde breuis, vt in *Apollónius, Polimítus*.

Quare nullo ex capite excusari possunt, qui non attollunt vltimam in *Debbóra, Sepphóra, Geminus, Darius, Bacchius, Salóme, Sapphíra, Thessaloníca, Thyatira* &c. aut in obliquis casibus Vrbium *Alexandriæ, Antiochiæ, Philadelphiæ, Laodiciæ*; Sic enim habent in penultima ει, vt ibidem acuantur, esto in recto casu acuant antepenultimam. Neque item vllum patrocinium acuentibus penultimam in *Aristanetus, Nicanetus, paranesis*, cum Græcè & breuis sit, & careat accentu, sicut & obliqua Hectoris, Nestoris; quamuis hæc penultimam acuerent Plauti tempore apud Latinos, vt assimularent *Pastoris, Rectoris*. Sed hodie consuetudo aliter postulat.

Cap. V. De Vocabulis Græcolatinis Accentu à quantitate discordantibus.

REferam prius opiniones præcipuas de horum pronuntiatione, deinde quid statuēdum mihi videatur, subijciam. Quintilianus lib. 1. cap. 5. occasione nominis Atreus, quod Græcè est ἀτρεύς, ait *Atreus*, quem *nobis viuentibus*, nempe Augusti tempore, *doctissimi senes acuta prima dicere solebant, vt necessariò grauis secunda esset, si quis nunc vltima graui pro acuta pronunciet, barbarismum fecerit*; Idem tamen ibidem id absolutè sensit. *Mihi autem placet latinam rationem sequi, sed qui Græcā figuram sequi mallet, non latinè quidem, sed citra reprehen-*

sionem

sionem loquitur. Seruius in libello de Accentibus ait, in Græcis quibusdā nominibus Latinos retinuisse Accentum Græcum, & quamuis Latina nomina vltimam non acuant, in primo tamen Bucolicorum, & Georgicorum negat acuendam, more Græco in pluralibus his, *Bucolicá, Georgicá*, & 1. Æneid. in *Simoës*, & 2. Æneid. in *Periphas*; non obstante autem longitudine penultimæ syllabæ docet acuendam cum Græcis antepenultimam in *Epirus*, 1. Georg. in *Trophaéa*, 10. Æneid. in *Cy'clopas*, 12. Æn. quod etiam docet Nicolaus Ferettus de *Díploma*. Martianus Capella lib. 3. cap. de Fastigio inquit: Græca nomina cum in latinum vertuntur nostra Regula pronunciantur, nisi maneant Græca. *Olympus igitur, & Caucasus, sicut latina proferuntur, sed si maneant Græca, & huic Regulæ in peregrinis vocibus accedimus: necesse est tamen in obliquis casibus acutos sonos in medijs syllabis seruent, quoniam apud Græcos quoque non alio accentu hæc enuntiari audimus*. Nebrisensis, Despauterius, Pantaleon, & Emmanuel de Prosodia, docent, si à Græcia in Latium migrarint latinorū norma metienda esse, datq; Emmanuel exemplum nominis Græci εἴδωλον, cuius penultimam inflectendam latinè docet, quia longa est, & pronunciandū Idôlum. Simon Verrepæus l. 4. Grammaticæ Despauterianę Regula de Accentu docet, Græca si latinè varientur, latinum sonum habere, vt *Bæótia*, *Bæótiæ*, alioquin Græcè aliter declinatur, & acuitur sic βοιωτίας; addit verò. *Sunt tamen, quæ poterunt vtoque modo non indecenter efferri, vt Andreas, Idea, penultima graui, antepenultima acuta; Sic quidam Græco tono efferunt Theologia, Philosophia, Eucharistia, Elias, in quibus cedendum quoque vsui, & consuetudini*. Thomas Corræa in suæ Prosodiæ fine titulo de *Accentu in peregrinis vocibus* distinguit, & ait Græcolatina vocabula si nō planè transierint ad formam declinationis latinæ, Græco potius accentu efferenda, vt *Penelópe, Rhodópe, Hecáte, Antiópe, Calliópe*, acuendamque penultimam in illis more Græco, etiam si breuis sit, vt & in accusatiuis Græcolatinis, *Orphéa, Theséa*; sed si declinentur latinè sequendam quantitatem, & antepenultimam acuendam, vt in *Penélopa, Callíopa, Antíopa, O'rpheum, Thésèum*; Sic quia *Antiochía, Alexandría, Laodicéa, Seleucía*, planè latinam habent formam, acuendam penultimam illarum, quia longa est diphthongo ει; esto Græci acuant in casu recto antepenultimam; contra verò acuendā antepenultimam in Astrología, Geometría, Philosophía, Theología, quia penul-

penultima breuis est, quantumuis Græci penultimam in his acuant, nec cuiuis consuetudinis cedendum, sed eruditorum tantũmodo, & qui proprius accesserit ad latini sermones canones, præclarius loqui, atque à deprauata consuetudine longius recedere, neq; Ecclesiam, sed imperitos in Ecclesiæ barbarismos inuexisse, quos qui sequitur barbarè loqui, nec se Ecclesiæ auctoritate tueri debere. Guilielmus Baillius libello de Accentibus Græcorum carpit illorum inconstantiam, qui cum in *Alexandria, Thalia, ellipsis, theatrum*, & similibus non seruent accentum Græcum, sed acuant penultimam, quia longa est, Græcum tamen accentum ponant in penultima horum *Philosophia, phantasia, prosodia*, licet sit breuis, & in antepenultima *anaclasis, diatyposis*, vt faciunt Græci, licet penultima sit longa. Sed Vossius huius sententiam referens lib. 2. cap. 9. ait disparem rationem esse, quia *Philosophia, phantasia, diatyposis*, & similia maneant pura puta Græca: At *Alexandria, Thalia* mutant ει. in I, longum, & *theatrum* per ON, assumit latinè VM; Itaque Capellæ subscribens, non improbat tamen, si quis Latinorum canones sequens, acuat antepenultimam in *Philosophia, Etymologia*, &c. Venio ad Franciscum Vergaram, qui lib. 4. Grammaticæ cap. 7. in Scholijs his verbis suam opinionem declarat. *In vocabulis Græcis, quæ in Latinum vsum veniunt, quale est* κατηγόρημα *penultima longâ, & antepenultimâ acutâ;* & φιλοσοφία, *penultima breui, eademque acutâ; illud attendas, ne Græca Latino tono proferas; nec Latina Græcanico tono. Vbi tamen casus erit communis, etsi ratio, & præcepta Grammaticorum tonum requirunt Latinum, alteruter tamen locari poterit. Rectius igitur categorema penultimâ circumflexa, & philosophia antepenultimâ acutâ iuxta Latinam normam proferentur. Qui vero categorema antepenultimâ acutâ iuxta Græcanicum exemplar protulerit, siquidem casus communis id patitur, tolerabiliter proferet. Item qui Philosophia penultimâ acutâ proferet, Græcè proferet, nec omninò malè, qui verò Philosophia antepenultimâ acutâ Latinè, multoque melius. At dicturus in Genitiuo plurali categorematon, & philosophias in genitiuo singulari iuxta declinationem Græcã acuet antepenultimam.* Gretserus lib. 3. Institut. linguæ Græcæ cap. 35. his duobus Regulis, quas fusius probat, suam sententiam claudit. *Græcolatina vocabula rectè pronunciari, siue accentus, siue quantitas obseruetur. Hac in re tamen seruiendum esse locis in quo tu es, & sæculi, quo viuis, mori, & consuetudini*, Quin-
tianus

tianus Stoa Epographia 2. irridet eos, qui pronunciant acutè penultimam in *Harmonia*, & *Symphonia*, & antepenultimam in *antiphona*, *Michael*, *Raphael*. Nouissimè Ludouicus Cauallus in Ianua Musarum cap. 14. si verba non sint planè Græca præcipit, vt sequaris quantitatem, & Latino ritu pronuncies.

Ego omnibus pensitatis duas quàm simplicissimas Regulas propono.

III. REG. Græcolatina vocabula, eo modo pronuncianda sunt, quo non imperitorum, sed peritorum vtriusque linguæ consuetudo iam certa, & manifesta obtinuit. Quare antepenultima est acuenda in *antiphona*, *Boreas*, *Blasphemia*, *historia*, *Ecclesia*, *Samaria*, quamuis Græcè penultima longa sit in *antiphona*, & *Samaria*; acuta verò in *Boreas*, *Blasphemia*, *historia*, *Ecclesia*, Grecè enim est ἀντιφωνή, Σαμάρεια, ἐκκλησία, &c. contra quāuis breuis sit, quis non hodiè acuit penultimam cum Græcis in *Andréas*, *idéa*, *Matthías*, *Eucharistía*.

IV. REG. Græcolatina Vocabula, in quibus accentus Græcus discrepat à quantitate penultimæ, licet vbi consuetudo non obstat, vtrouis modo sine reprehensione pronunciari possint, videlicet sequendo vel Græcanicum accentum, vel quantitatem penultimæ syllabæ; Melius tamen pronunciantur iuxta quantitatis latinæ leges. Nam cum origine Græca sint, cur non liceat Græcum accentum sequi? etiamsi terminationem non habeant omninò Græcam; cum item Latina iam sint non solum scriptura, sed etiam significatu, & plerumque etiam terminatione, cur ita non fas sit Latino ritu sequi quantitatem penultimæ in ea pronuncianda?

Melius tamen, si latinos canones sequamur, & cum penultima longa est, illam vel acuamus, vel circumflectamus; cum breuis antepenultimam acuamus, statuo. 1. Auctoritate Quintiliani, quem sequuntur plures, Nebrissensis, Despauterij, Pantaleonis, Emmanuelis, & Ludouici Caualli, de quibus supra, quia Quintilianus tempore Augusti, Tiberijq; florens optimè nouit, quid Romanus populus in his vocabulis seruaret, nec approbauit Grammaticus nescio quos barbarismi condemnantes, si quis non acuisset vltimam in *Atreus*. 2. Quia Regula simplicior euadit, & est praxi accomodatior, illa verò distinctio terminationū, & casuum, de qua *Capella*, *Corraa*, *Verrepæus*, *Vossius*, *Vergara*, nimis ardua est, & recondita, multiq; Græcæ linguæ non tam profundè periti, in dubijs consulentes Lexica, non attendunt, an

in

In casibus obliquis varient accẽtum; at Regulæ pronunciationis, vt & scriptionis debent esse quam expeditissimæ, sicut Velius Longus dixit, vt retuli cap. præcedenti; Idcirco enim Accium geminantem litteras in syllabis longis, ipse, & Scaurus, & reliqui omnes postea damnarunt, soloque apice contenti fuerunt: non sunt igitur Latinè loquentibus, & Latinè assuetis multiplicanda onera, & tricæ pronunciantionis absque necessitate, nec parũ erit, si ex Græcis vocalibus, aut diphthongis norint penultimæ quantitatem distinguere. 3. Sicut Græci mutuantes nomina Latina, & facientes ea Latinogræca, neglecta lege Latini sermonis accentus alibi ponunt sæpe, ac ponendi, si Latinè efferendi essent, scribuntque pro Rómulo ῥωμύλος, pro Itália ἰταλία, pro Claudiáno κλαυδίανος; normam, & analogiam Græcam seruantes, cur Latini non præferant suos canones Græcis, & suo potius iure, quàm alieno vtãtur in vocabulis ex Græcia in Latinum traductis, id enim, & in moneta seruabant, & drachmas in denarios conflantes imprimebant illis suorum numismatum characteres, & emblemata, nec signabant illos notis Græcis, sunt autem vocabula velut moneta, qua comercium cum alijs animi nostri sensuũ transigimus. 4. Demum hæc Regula longè minus exposita est periculo errandi in quantitate syllabarum, & magis deseruit communi illi Regulæ discernendi ex accentu quantitatem penultimæ, fatetur enim Gretserus, & nos sæpe aduertimus, accentum Græcolatinis vocabulis decepisse Poetas aliquos, & ansam in quantitate peccandi obtulisse. Sic quia Græcè scribitur, & pronunciatur ἀνίκητος, & εἴδωλον, quamuis penultima sit longa, tamen Tertulianus contra Marcionem:

Idola vana sequi, turbam sibi fingere Diuum,
Atque pro suscepit Anicetus ordine sortem.

Sic Sidonius accentum Græcum penultimæ secutus, produxit eam in εὐριπίδης, & corripuit in μάθησιν, contra quàm oportuit:

Orchestram quatit alter Euripidis. Phalæc.
Percurrit Mathesim, numeris interrogat vmbras.

Ausonius quoque accentu Græco delusus in nomine τρίγωνος, & τετράγωνος, penultimam malè corripuit, dicens:

Per totidem partes trigonorum Regula currit.
Fulgur tetragono aspectu vitale coruscat.

Imò apud Plautum dactyli sunt *Phedromus*, & *Philippus*; quia Græcè sunt φαίδρωμος, & φίλιππος, quibus tamen locis

locis aliqui hæc nomina Græcè ſcribunt. Sic Vincentius Opſopæus produxit penultimã in Origenes, quia Græce acuitur à Suida ſic Ὠριγένης.

Vt autem magis appareat quam periculoſum ſit pronunciare penultimam acutam, quando eſt breuis, aut non acuere, nec flectere, quando eſt longa, præſertim poſitione, placet ſubijcere aliquot Græcolatina Vocabula, in quibus diſcordia Græci accentus à quantitate penultimæ abſonam Latinis (pauciſſimis vi conſuetudinis exceptis) pronunciationem faceret.

Breuis penultima, ſed Græcè acuta in

Æſchilus	αἰσχύλος	Hermocrates	ἑρμοκράτης
Anacreon	ἀνακρέων	Hiſtoria	ἱστορία
Ariſtoteles	ἀριστοτέλης	Lyſias	λυσίας
Boreas	βορέας	Maria	μαρία
Blaſphemia	βλασφημία	Naumachia	ναυμαχία
Candace	κανδάκη	Pauſanias	παυσανίας
Andreas	ἀνδρέας	Barnabas	βαρνάβας
Philoſophia	φιλοσοφία	Corydon	κορύδων
Pytheas	πυθέας	Penelope	πηνελόπη
Origenes	Ὠριγένης	Demeas	δημέας
Calliope	καλλιόπη	Simonides	σιμωνίδης
Calliſthenes	καλλισθένης	Socrates	σωκράτης
Oligarchia	ὀλιγαρχία	Protagoras	πρωταγόρας
Rhodope	ῥοδόπη	Diagoras	διαγόρας
Chæreas	χαιρέας	Xenagoras	ξεναγόρας
Diogenes	διογένης	Antiſthenes	ἀντισθένης
Demoſthenes	δημοσθένης	Carpocrates	καρποκράτης
Eratoſtenes	ἐρατοσθένης	Iſocrates	ἰσοκράτης
Elias	ἠλίας	Idea	ἰδέα
Syria	συρία	Ariſtophanes	ἀριστοφάνης
Euchariſtia	εὐχαριστία	Matthias	ματθίας
Euripides	εὐριπίδης	Nomotheta	νομοθέτης
Gorgias	γοργίας	Steropes	στερόπης
Harmonia	ἁρμονία	Thraſeas	θρασέας.

Longa penultima ſine Accentu apud Græcos.

Ariſtarchus	ἀρίσταρχος	Alexandria	ἀλεξάνδρεια
Ariſtippus	ἀρίστιππος	Alexander	ἀλέξανδρος
Apollodorus	ἀπολλόδωρος	Agapetus	ἀγάπητος
Athenodorus	ἀθηνόδωρος	Anapæſtus	ἀνάπαιστος
Artemidorus	ἀρτεμίδωρος	Ælurus	αἴλουρος

An-

Antiochia	ἀντιόχεια	Axioma	ἀξίωμα
Æsopus	αἴσωπος	Posidippus	ποσίδιππος
Blasphemus	βλάσφημος	Peristroma	περίστρωμα
Cephisodorus	κηφισόδωρος	Peripheria	περιφέρεια
Catalepsis	κατάληψις	Cathegorema	κατηγόρημα
Dicolos	δίκωλος	Peripetia	περιπέτεια
Demogetus	δημόγητος	Phrenesis	φρένησις
Ellipsis	ἔλλειψις	Samaria	σαμάρεια
Eremus	ἔρημος	Seleucus	σέλευκος
Diatyposis	διατύπωσις	Seleucia	σελεύκεια
Hyssopum	ὕσσωπον	Philadelphia	φιλαδέλφεια
Hipparchus	ἵππαρχος	Tricolos	τρίκωλος
Theorema	θεώρημα	Trophæum	τρόφαιον
Homerus	ὅμηρος	Problema	πρόβλημα
Iphigenia	ἰφιγένεια	Epiphonema	ἐπιφώνημα
Idolum	εἴδωλον	Thimiama	θυμίαμα
Heraclitus	ἡράκλειτος	Theophrastus	θεόφραστος
Mathesis	μάθησις	Metamorphosis	μεταμόρφωσις
Aristobulus	ἀριστόβουλος	Meteora	μετέωρα
Acroama	ἀκρόαμα	Molossus	μόλοσσος
Arcesilaus	ἀρκεσίλαος	Menelaus	μενέλαος
Nicomedia	νικομήδεια	Metrodorus	μητρόδωρος
Nicolaus	νικόλαος	Theopompus	θεόπομπος
Orthodoxus	ὀρθόδοξος	Theatrum	θέατρον
Protesilaus	πρωτεσίλαος	Theodorus	θεόδωρος
Paracletus	παρακλητὸς	Thyatira	θυάτειρα
Paradisus	παράδεισος	Trigonum	τρίγωνον
Plutarchus	πλούταρχος	Tetragonum	τετράγωνον
Philippus	φίλιππος		

Cap. VI. De Accentu in Vocalibus Græcolatinis Scribendis.

I. REGVLA. Si vocabula ſint ſola ſcriptura, non autem ſignificatione Græcolatina, accentu Græco notanda ſunt, & ita acuenda eſt penultima in *Paralipoménon*, & antepenultima in *Eléiſon*.

II. REG. Si vocabula ſint non ſola ſcriptione, ſed etiã ſignificatione Latina, quo accentu pronuncianda ſunt, eodem & ſcribenda; Vide ergo Regulas 2.3. & 4. Cap. 4.

Quæres 1. An Græci olim adhibuerint in ſcribendo accentuum notas. Reſpondeo Ariſtotelis tempore non fuiſſe in vſu, quod colligitur ex lib. 1. cap. 3. Elenchorum, vbi docet ſophiſma fieri poſſe propter accentum, ſi ſcriptura ſpectetur, quia caret accentu, non autem extra ſcrip-

scripturam, ait enim: *Propter accentum autem in ijs, quæ sunt sine scriptura, non facile est dialecticis argumentari, idest sophisticè! in scripturis autem, & poematibus magis,* subjicit exempla ex Homero, ex quibus liquet controversias oriri solitas, eo quod Græci accentuum notas in scriptis non adhibeant: Sed & Angelus Politianus in Miscellaneis cap. 58. testatur, visa sibi in vetustissimo codice sibyllina carmina sine vllis fastigijs, & cap. 80. Callimachi codicem legisse, in quo nullus erat accẽtus, Iosephus quoq; Scaliger in animaduersionibus Eusebianis ad annum MCCCCXXVI. & ex eo Vossius lib. 2. Artis Gramm. cap. 8. aiunt ætate S. Hieronymi, accentus Græcos non fuisse vsitatos in scribendo, ideoq; sanctum Doctorem Zachariæ cap. 14. cum legendo didicisset *ἀγνον*, significare viticem, & castam, dixisse arborem sic vocari, quod casta sit, aliqui aliud est *ἄγνος* vitex, aliud *ἀγνὸς* castus, vt videre est apud Dioscoridem lib. 1. cap. 136. idem S. Doctor verbum *κατάιρω* transtulit in *subvertit*, cum debuerit transferri in *emundauit*, & vsus est *καταιρεῖ*, pro *καταίρει*.

Quæres 2. Quænam sint Regulæ accentuum Græcorum? Respondeo, id ad nos non spectare, qui nec prosodiam, nec orthographiam Græcam tradimus, sed Latinam. Quare consulendi erunt Franciscus Vergara lib. 4. Grammat. Græc. à cap. 3. ad 13. & Iacobus Gretserus lib. 1. Institut. linguæ Græcæ cap. 22. Tantum addo, circumflexum accentum ritè in Græcis adnotatum, esse certum signum syllabæ longæ, nunquam enim locatur nisi supersyllabâ naturâ suâ longâ, vel naturâ simul, & positione, nec vnquàm nisi aut in vltimâ, aut in penultimâ, modo vltima breuis sit, non tamen semper circumflectitur ab illis penultima, etiam si longa sit naturâ, & vltima breuis, multa enim composita retrahunt accentum à penultima in antepenultimam, & tunc euadit acutus, sedes enim accentus grauis prædominantis est sola vltima. Circumflexi sola vltima, & penultima. Acuti, vltima, penultima, & antepenultima. At acutus in nulla earum est indicium longitudinis, aut breuitatis, in quo Græci valdè discrepant à Latinis.

Cap. VII. De Accentu, in Vocabulis Hebraicolatinis Pronunciandis.

PAuciora de his præcepta nactus sum, Alexander quidem dictus dogmatistes dixit, omne nomen Hebrai-

braicum, imo omne peregrinum habere accentum prædominantem in fine, sed eum Antonius Nebrissensis opusculo de nominibus Græcis, & Hæbraicis refutauit, & ex eo Despauterius lib. 4. & Simon Verrepæus lib 4. vbi de Accentu Except. 5. ait: *Peregrinis verò, seu Hebræis Græci acutum in fine ferè tribuerunt: vt Mariám, Abrahám, Iosépb. At quoties hæc more suo declinant, suum illis annotant, quod Latini imitantur; vt Iosêphus, Iacôbus, Noêmus, Michaêlus, accentu circumflexo in penultima. Porrò si ignoretur proprius peregrinæ vocis tonus, tutissimum fuerit iuxta Latinorum accentum illam enunciare*. Thomas Corræa cap. vlt. Prosodiæ sic statuit. *Peregrina, vt Hebræa, & Græca nunquam habent accentum in quarta à fine. Hæc si non reuocentur ad latinam formam, non sunt accentu Latino proferenda, sed Hebraico, Iacób, Israél, Ephraím, Ephratá, quia loquuntur sic Hebræi, vel Græci*, vt &c.

Emmanuel in fine Prosodiæ sic præcipit. *Quæ Hebræa omninò sunt, neque latinitate donata, Hebræo tono pronunciantur, vt Amôn, Cherubím, Seraphím, quæ acuta extremá, vt pleraque alia efferuntur*. Subdit tamen exceptionem aliquorum hominum, quæ penultimam Hebraicè acuunt, vt *Abel, Abigáil, Báal, Edén, Ephráta, Gómer, Isbóset, Pháse, Sibólet*, & quæ in *zer, sedech, melech, ai*, desinunt, vt *Eliezer, Melchisedech, Abimelech, Sarai, Sinai*, aitque alia esse huius classis. Sed quæ in *ai* sæpe diphthongo Hebraica terminantur. Demum P. Ludouicus Cauallus in sua Prosodia cap. 14. à Regula Emmanuelis excipit Iosedéch vltimam acutam habentem, deinde ex Biblijs à Sancte Pagnino editis colligit, nomina, quæ penultimam acuunt, vt reliqua in catalogo illo nō comprehensa, pronuncientur vltimâ acutâ, Hebræo scilicet more. His delibatis sequentes canones statuo.

I. REGVLA. Vocabula sola scriptione Latina, sed significatione, nedum, forma, & terminatione planè Hebraica Hebraico accentu, vel Græco, si Græcè translata sint, melius proferuntur. Nondum enim sunt Latini iuris. Atque ita vltima melius acuitur cum Hebræis, Græcisq; in *Elcím, Epód, Epphetá, Caát, Gazer, Ieouá, Merár, Oephî, Phaltí, Rabbí, Sabaôth, Sychêm*. Et in illis Domini verbis, Matt. 27. *Elí Elí lammá Sabactanî*, Græcè enim ad Hæbraicam normam est, ἠλὶ ἐλὶ λαμμὰ σαβαχθανὶ, vel Mar. 15. ἐλωὶ ἐλωὶ λαμμᾶ σαβαχθανὶ, inter hæc Emmanuel numerat *amén, Seraphím, Cherubím*, sed vsus alicubi oppositum obtinuit.

II.

II. REG. Vocabula Hebraicolatina, quæ non sola scriptione, sed significatione Latina euaserunt, etiam si non omnia Latinè terminentur, aut declinẽtur, possunt pronunciari accentu Hebraico, vel Græco, vel Latino; melius tamẽ Latino more pronunciãtur, quando accentus penultimæ Hebraicus, aut Græcus discordat à quantitate penultimæ. Prior pars inde suadetur, quia Græca translatio solet in accentu, & quantitate sequi Hebraicum accentum, & quantitatem vocalium, aut diphthongorum, quare cum reduci possint ad suam radicem, & originem non ineruditè pronunciantur accẽtu Hebraico, aut Græco, si quis eam rationem calleat. Cùm verò etiam latinitate donata sint, nec ideò non sint Latina, quia indeclinabilia sint, siquidem latinitati non repugnat nomen ἄπτωτον, seu indeclinabile, vtique forma Latina pronunciari possunt, idest sine accentu in vltima, & attollendo penultimam, si longa sit, vel si breuis, antepenultimam. Imò hoc melius esse, euincunt omnes rationes adductæ pro Reg. 4. c. 4. vbi diximus idẽ de Græcolatinis, & præcipuè ne accentus à quantitate dissidens det ansam errandi in quantitate, sunt enim non pauca Hebraicolatina, quæ Hebraicum, Græcumq; accentum habent in penultima quantumuis breui, vt *Abimelech, Melchisédech, Azarías, Ezechías, Zacharías, Achitóphel, Nabuchodonósor*, aliqua verò quamuis penultima longa sit, in ea tamen non habent accentum, sed in antepenultima, vt Gómorrha, Iáirus, O'sanna. Hoc tamen periculum cessat in illis vocabulis, quorum accentus est in vltimâ.

Hinc tamen colliges nullo (nisi forte consuetudinis, sed certæ, & peritorum quoque) obtentu excusari posse, qui aliter pronunciant vocabula illa, in quibus accentus Hebræus, & Græcus conspirat, cum penultimæ quantitate, cuiusmodi sunt *Eleazar, Eliezer, Bethsûra, Deblôra, Sepphóra, Cethura, Olophernes, Phenénna, Sebibóleth, Balthassar, Sunamitis, Thesbítes*, quæ accentum habent in penultima longa. Secus est in *Beelphegor, Sodoma*. Non attexo Catalogum Hebraicorum nominum, hæc enim abundè peti posunt ex Indice nostro.

Cap. VIII. De accentu in Scribendis Nominibus Hebraicolatinis.

QVamuis vsus iam obtinuerit, vt extra sacros libros, qui in Ecclesia cani solent, in reliquis accentus

non

non soleant notari, melius tamen adnotarentur, ne liberum esset vnicuique pro libito tam variè pronunciare nomina Hebraicolatina. Etsi enim Hebræi olim natiuam linguam ab infantia cum lacte sugentes; hoc adminiculo non indigebant, postea tamen sub Honorij Imperatoris tempore deficiente lingua Hebraica, & inuenti sunt accentus, & puncta vocalia à magistris quibusdam Iudæis, primum in Mœsia, & Paphlagonia, vel apud Tiberiadem Palæstinæ anno ab euersione templi 476. vt docet Helias Leuita in præfatione Massoreth, deinde alibi, quos Magistros *Masoreth*, seu Masorethas vocabant; vt rudibus linguæ Hebraicæ consulerent; Quamuis accentuum distinctio accuratior facta sit processu temporis, donec vltimam manum adiecit Ben-Ascher; is enim vt testatur Maimonides in Misna, idest, in legis libro cap. 8. multos annos impendit in bibliorum codice congruis accentibus describendo; floruit autem Ben-Ascher, sicut & Ben-Nepthali circa annum Christi 1040. & post Rabbi Sandiam primum Hebræorum Grammaticum, vt asserit Vossius lib. 2. cap. 8.

Cap. IX. De Differentia inter Accentum, & Quantitatem Syllabæ.

Et de Comparatione Prosodiæ Græcæ, Latinæque.

I. QVoniam Latinus sermo, cui longè magis, quàm Græco, Hebraicoue assueuimus, cum penultima longa coniungit accentum acutum, vel inflexum; & si breuis sit, illam non acuit, nec inflectit; & item quia in Regulis Generalibus Prosodiæ docemur à pueris venari quantitatem penultimæ ex accentu; hinc factum est, vt non pauci Accentum cum quantitate confundant, quasi per se institutus sit ad illam discernendam, eamque perpetuò & vbique comitetur; Atqui hoc per quàm falsum est, & contra hunc Errorem clamant passim optimi quique Grammatici in suis prosodijs, Nebrissensis, Despauterius lib. 4. Verrepæus lib. 5. cap. 2. & 3. Emmanuel præcepto 1. Append. 2. & vltima pagina. Gretserus lib. 3 cap. 47. & 35. Vossius lib. 2. cap. 10 & 12. & alij. Primo enim Hebræi, & Græci crebrò penultimæ breui accentum tamen acutum superimponunt, & penultimam longam frequēter nec acuunt, nec

ci

circumflectunt, vt patet ex dictis c. 3. & 5. imò Vossius putat antiquos Latinos penultimam quidem produxisse in *aliquando*, & *exaduersum*, & tamen acuisse antepenultimam. 2. Nulla dictio Latina plures accẽtus attollentes habet, sed vnicum, & tamen capax est plurium syllabarum longarum, vt *Romanorum*. 3. Excepta penultima apud Latinos, omnes aliæ syllabę quantumuis longæ capaces sunt accentus grauis, imò omnes ante antepenultimam, vt *implacabiliter* tres primas longas habet absq; alio accentu, quàm syllabico, & graui. 4. Antepenultima quamuis breuis capax est accentus acuti, imò necessario acutum habet, quoties penultima breuis est in latinis dictionibus, vt in *facilis*, *difficilis*, *abstinuit*.

II. Sed quia aliquibus durum hoc dissidium Accentuum à quantitate videtur, Italis præsertim, qui suis in versibus aliam mensuram nesciunt, quàm accentũ; differentiæ huius subtilitas hoc loco explicanda est. Quintuplex igitur quantitas in syllaba pronuncianda considerari potest, nempe 1. Temporis, quod in proferenda illa impenditur; 2. Temporis, quod intercedit ab eius prolatione ad propagationem soni audibilis, vel Echo. 3. Temporis, quo iam prolata durat sonus eius in aere. 4. Spatij, seu interualli in aere, ad quod se extendit eius sonus. 5. Intensionis, aut remissionis pro maiore, minoreue conatu in imprimendo impetum organis, quibus vtimur ad pronunciandum, quas quantitates non pauci in vnam, duasue ad summum confundere, & alij doctrinam hanc κανονικὴν vocantes, cum Varrone apud Frontinum lib. de limitibus agrorum, sub Geometria collocarunt, eo quod Geometria metiatur quantitatem continuam, Canonica autem syllabarum longitudinem, & altitudinem; Alij cum Hippaso Metapontino, & Martiano Capella lib. 9. cap. 5. Metricam, & hanc ad Musicam reuocarunt, sed ipsa Musica tandem est subalterna partim Geometriæ, partim Aritmeticæ.

III. Tempus itaque, quod in syllaba pronuncianda impenditur, aut vnicum est, & tunc syllaba dicitur μονόχρονος, idest vnius temporis, & breuis, illique respondet in musicis notis illa, quæ appellatur *Breuis*, & commensurata simplici manus percussioni, & valet Italicè *vna battuta*. Aut duplex tempus requirit, & dicitur δίχρονος, & longa, & valet Italicè *due battute*; ideòque Prisci Romani vsque ad Accium in syllabâ longâ geminabant vocalem, dicentes præteritum *veenit*, *maater*, *ftaabo*, *Thraacus*, *Paastores*, & *maalus* arbor. *Musaa* in abla-

ablatiuo, vt supra ex Quintiliano lib. 1. cap. 4. & 7. & Politiano cap. 43. Miscelli constat.

Tempus autem quo syllaba iam prolata citius, aut serius, audibilis per se est, aut durat in sono, vel specie soni per aerem propagati diutius, sicut & spatium aeris, quod occupat, pendet vel à morá maiore, minoreue, qua prolata fuit; vel à conatu intensiore, aut remissiore, quo pronunciatur; quo enim plus immoramur syllabæ enunciandæ, eo pluribus vicibus eadem velut repetita denuo generatur, aut genita conseruatur; item quo maiore impulsu vox emittitur tanquam sagitta ab intensiore neruo emissa, & sonus intensior, ac durabilior fit, & eius species audibilis citius, vel longius interuallum pertransit, & à longiùs distantibus auditur, atque Echo magis sonoram efficit.

Intensio denique est cum per ἄρσιν, idest eleuationem acuitur, aut circumflectitur. Remissio autem cum per θέσιν, idest depositionem deprimitur, & tanquam grauis cadere finitur ipsa remissione, ac languore pronunciandi. Non loquimur autem hic de illis speciebus acuti, & grauis, quæ non quantitate, sed à qualitate vocis petuntur, & secundùm quas musicorum aliqui dicuntur cantando exprimere cantum, seu supremum sonum, aliqui infernum, seu barytonum; aliqui medium inter hos Tenorem: aut chordarum aliæ acutam, aliæ grauem vocem edunt quouis modo tēdantur: nec de illis speciebus, quę à diuersis gradibus modulationis eiusdem vocis oriuntur, & secundùm quam idem musicus in scala musica per notas, *vt, re, mi, fa, sol, la*, ascendit, aut descendit; vel eadem chorda magis, minusue tensa diuerso modo intra sui speciem sonat; sed de illa specie acuminis, aut remissionis, quæ oritur præcisè ex vi, & impulsu adhibito in imprimendo impetum, ac motum, quo sonus efficitur: quo modo chorda eadem tensione retenta potest tamen tangi digito, aut plectro, vel leuissimè, vt vix sonum gignat, & validiore, vt sonum insignem efficiat, & idem aes sonorum eodem malleo sic percuti, vt modo intensum, ac valdè sensibilem tinnitum, modò remissum, ac vix perceptibilem reddat. Quamuis enim differentiæ prædictæ, ac species magnam inter se affinitatem habeant, & impetus intensior acutiorem quoq; quoad qualitatem sonum; remissior, grauiorem, seu obtusiorem efficere consueuerit; subtilius tamen considerataæ non sunt omnino eædem.

His præmissis dico, non esse necessario connexa inter

se longitudinem syllabæ, & acumen accentus; siue longitudo spectetur ex tempore, quod illi cudendæ impenditur, siue ex tempore, quod requiritur, vt ea prolata audiatur, vel resonetur. Potest enim eadem quantitate temporis, adhiberi maior, aut minor, aut nullus ferè conatus in impetu, ac sono imprimēdo, imò breuiori temporis morula maior conatus adhibitus, acutiorē sonum efficere, & velociorem, hoc est, qui minori temporis interstitio audiatur ab æquè distantibus, quàm sonus remissè, & graui accentu segniter prolatus. Et vice versa potest tarda esse prolatio syllabæ, atque adeo longioris moræ, tum in ipsius formatione, tum in ipsius perceptibilitate, & tamen esse grauis, & sine acumine. Quod acutissimè aduertit Iacobus Mazzonus in defensione Dantis lib. 2. cap. 31. qui pro se adducit Platonem, Aristotelem, Boetium, ac Suidam. Aristoteles enim in problematibus particula 11. multis in probl. & particulę 19. probl. 21. à 37. docet, *grauem sonum plus temporis obtinere, quam acutum*; & acutum velociorem esse, citiusq; desinere. Plato autem in Timæo apud Plutarchum q. 6. Platonica dixit de Phtongis, ὀ'ξυς μὲν γὰρ ὁ ταχὺς γίνεται βαρὸς δὲ ὁ βραδὺς, videlicet. *Etenim sonus acutus velociter fit, grauis autem tardè*. Et Boetius lib. 1. Musicæ cap. 3. *Si tardior fuerit, ac rarior motus, graues necesse est sonos effici ipsa tarditate, aut raritate pellendi. Sin verò motus sint celeres, ac spissi, acutos reddi necesse est sonos*. Addit verò exemplum de neruo intensiore, ac celerius vibrationes plures repetente, & de laxiore, *qui tardos pulsus affert, ac rarus est, nec diutius tremit*. Denique Suidas verbo ὀ'ξύ ait: *sonum acutum esse, qui citò penetrat ad sensum, citoque desinit*.

Porro dissidere inter se videntur hinc Aristoteles, & Suidas dicentes, acutum sonum citius desinere, Boetius autem acutum sonum chordę intensioris diutius tremere. Sed Aristoteles, & Suidas loquuntur de tempore, tum quo acutus sonus gignitur, tū quo penetrat aerem, & ferit aures, hoc enim minus est, quam tempus, quo sonus grauis gignitur, loquendo de qualitate soni requirentis crassiora instrumenta, & plus aeris intra os, vel organa colligendi, aut quo fungitur officio percutiendi aurem audientium. Boetius autem de duratione soni in aere vel per se, vel ob crebriores vibrationum iteraratarum percussiones aeris. Plato quoque apud Plutarchum supra dixit, *acutum celerius ad aures peruenire*.

IV. Dico si longitudo syllabæ sumatur non à tempo-

re,

re, quod illi formandę impenditur, nec à tempore, quod intercedit, vt sonus eius, aut soni imago ad aures perueniat, sed à duratione, qua sonus syllabæ iam prolatæ, aut ipsius species audibilis perseuerat, vel à longitudine interualli, ac spatij, quod eodem tempore percurrit in aere, vel in aqua. Dico, inquam, syllabam acuto accentu prolatam longiorem esse, quàm graui, vt experimento patet. Quo enim intensior est impetus impressus aeri intra os, vel organa musica collecto, eo plures gradus habet sonus, eoq; diutius perdurat, & longius peruadit, ita vt audiatur à longius distantibus, & altius phantasiæ, ac memoriæ infigatur, non secus, ac sagitta intensiore neruo emissa, longius fertur, & diutius impetum conseruat; remissiore verò breuius spatium occupat, citiusq; deorsum decidit. Hanc longitudinem considerauit Aristoteles dum particula 11. Probl. 6. & 47. dixit: *acutiorem vocem longius audiri, & longius ferri, quia vehementior est*. Ex quo Petrus de Apono in partic. 29. Probl. 32. explicauit duplici similitudine, ait enim: *Difficile est mox cessare à cantibus acutis, eo quod tenti sunt valde, ceu equum extensum velocissimè currentem molestum confestim sistere, atque similiter nauim velocissimè impulsam.*

Finis Partis Octauæ.

SEQVITVR

PARS NONA

Continens Poetarum Versus, quibus confirmantur tum quæ hactenus dicta sunt in Regulis de Syllabarum quantitate; tum Syllabarum quantitas in Indice Magno, seu parte decima exprimenda.

Liuius Andronicus.

Balteus, & reuocet volucres in pectore ſinus.
Dirige odoriſequos ad nota cubilia canes.
Cum ſocios noſtros mandiſſet impiu' Cyclops
Mulier quiſquis es, te volumus &c.

Q. Ennius in Annalibus.

Te Quirine Pater veneror, Horamque Quirini.
Hocce loquutu' vocat quicum bene ſæpe libenter.
Conſilio indu foro lato, magnoque Senatu.
Doctu', fideli', ſuauis homo, facundu', ſuoque
Contentus, ſcituſq; beatu' ſecunda loquens in
Tempore commodus, & verborum vir paucorum
Spernitur orator bonus; horridu' miles amatur.
Iamque ferè puluis ad cælum vaſta videtur
Additur orator Corneliu' ſuauiloquenti.
Inſignita forent tum millia militum octo.
Oſtendat nobis ſi viuimu', ſiue morimur.
Occumbunt multi lethum ferroque lapique
Exin per rerra poſtquam celeriſſimu' rumor.
Annuit ſe ſe mecum decernere ferro.
Siquid me fuerit humanitus, vt teneatis
Spero, ſi ſperes quidquam prodeſſe potis ſunt
Indu mari magno fluctus ſe attollere tentant
It eques, & plauſu caua concutit vngula terram
Certabant vrbem Romamne, Romamne vocarent.
Omnis cura viris, vter eſſet Induperator
Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis
Eorundem libertati me parcere certum eſt.
Egregiè cordatus homo Catus Æliu' Sextus
Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis?
At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.
Certare abnueo: metuo legionibu' labem.
Pandite ſulti? genas, & corde relinquite ſomnum.
Armipotentes ſunt mage, quàm ſapientipotentes
Ilia dia nepos, quas ærumnas tetuliſti?
Virgine', nam ſibi quiſque domi Romanus habet ſas.
Pœni ſunt ſoliti ſos ſacrificare puellos
Auerſabuntur ſemper vos, voſtraque volta.
Tantidem, quaſi fœta canis, ſine dentibu' latrat
Denique totondit agros lætos, atque oppida cœpit
Reddidit, vt ſummo Regi famul' optimus eſſet,
Et ſemel effugiet ſperes ita funditu' noſtras
Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Ioui', Neptunus, Vulcanus, Apol lo.
Oua parire ſolet genu' pennis condecoratum

Nos

Nos sumu' Romani, qui fuuimus ante Rudini
Vulturis in syluis miserum mandibat homonem
Fortes Romani siti' quanquam cælu' profundus
Omnibus endo locis ingens apparet imago
Hæc effatus ibus: latrones dicta capessunt.
Constitit inde loci propter sos dia Dearum
Interea fugit albu' iubar Hyperioni: cursum
Et simul erubuit ceu lacte, & purpura mista.
Ni metus vlla tenet, ritè in virtute quiescunt.
Ingens cura mis est concordibus æquiparari.
Dicere quod minimũ est, neq; vt aiunt, mu facere audet
Incedit veles vulgo sicilibu' latis.
Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit
Quos vbi Rex paullos spexit de montibu' celsis
Concaua sub monti latè specus intu' manebat.
Labitur vncta trabes remis rostrata per altum.
Saturnus, quem cælu' genuit, ab æthere lapsus.
Transfigit saxo, cere comminuit brum.

Ennius in versibus Iambicis.

De Sole sumptus ignis isque mentis est.
Terra corpus est; at ignis mentis est.
Quid tumulti est? nomen quis vsurpat meum?

Marc. Pacuuius in Iambicis.

Tu curui fontes pascere armentas soles:
Plures calamitas annos aruas caluitur.
Si qua potestur inuestigari via.
Sagittis, plumbo, saxis grandinat, niuit.
Linguæ bisulcis actu crispo fulgere.

Cn. Næuius in Iambicis.

Cui cepe edendo heu oculus alter profluit.
Alterplices bicoloreæ radiculæ.
An nata est sponte prægnans? vel ai, vel nega.
Odi summussos: proinde apertè dice quid siet.
Ephialtes, Mimas, bicorpores Terras filij.

Plautus in Amphitryone. Iambici.

Vt vos in vostris voltis mercimonijs.
Nec Iugulæ, neq; Vesperugo, neq; Virgiliæ occidunt.
Inimicos semper osa sum obtuerier.

Plautus in Asinaria.

Viginti iam vsu'st filio argenti minis.
In tonstrinam iusseram venire; is nullus venit.
Riuinus amens, ob præreptam mulierem.
Deam sibi inuocet quam libebit propitiam.

Plautus in Aulularia.

Vtinam me diui adassint ad suspendium.

Testudineum istum tibi grandibo gradum:
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras.
Seruos fideles liberalitas facit.
Etiamne obturat inferiorem gutturem?
Qui ossa, ac pellis totus est, ita macer.
Resecroque mater, quæ prius obsecraueram.
Perij mea nutrix: obsecro vterum dolet.

Plautus in Bacchidib.

Plotus qui Latinissat, vocat Bacchides.
Scelestiorem nullum illuxere alterum.

Plautus in Captiuis. Iambici.

Nam hoc: pene iniquum est Comico choragio.
Operta quæ fuere aperta sunt: patent præstigiæ.
Neminis me miseret; nam mei miseret neminem.
Ita mihi stolido sursum versũ os subleuere offucijs.

Plautus in Casina. Iambici.

Reuertor ad illam puellam expositiciam
Vobis inuitis atque amborum ingratijs.
Non ego isthuc verbum emissem titiuilitio.
Vin? lingulacas? quid opust, quando vxor domi
Ea lingulaca est nobis: nam nunquam tacet.
Qui amat tamen etsi esurit, nullus esurit.
Ita nunc pudeo: ita nunc misellus paueo
Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.
Sed eccũ egreditur Senati columen, præsidiũ popli.

Plautus in Cistellaria. Iambici.

Is Amore proiecticiam illam deperit.
Virtute vera quod fecistis antehac.

Plautus in Epidico. Iambici.

Sed quis est hæc muliercula, & ille trauistellus qui (venit?
Quam ostendam fidicina aliquam conducticiam.
Produci intus iubes? hæc ergo est fidicina.

Plautus in Menechmo. Iambici.

Nam rus vt ibat forte, vt multum pluuerat
Cui certissimum est mepte potius fieri seruum.

Plautus in Mercatore. Iambici.

Acherontius senex, vietus, decrepitus.
Satin' tu sana es obsecro? quid eiulas?
Huc secundus est ventus, cape modo versoriam
Hic fauonius serenust, istic Auster imbricus.

Plautus in Milite Glorioso. Iambici.

Amussitata sua sibi ingenua indoles.
Ego mora atque stulta, quæ cum insano fabulem.

Plautus in Mostellaria. Iambici.

Bene hercle factum, heus iam appetit meridies.

Non

Non potuit venire orator ad me magis impetrabilis.
Ambo postes ex infimo tarmes secat.
Dominus indiligens reddere aliàs neuolt.

Plautus in Persa. Iambici.

Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos
Tax tax tergo meo erit, non curo præmia.

Plautus in Pseudolo. Iambici.

Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum.
Nam ego cicilendrum quando in patina sescidi.
Nam nisi penus annuus suppetat mihi.
Nihil nisi laserculos, sesamum, papauerem.
Promus condus sum, procurator peni.
Quotumo die ex Sycione huc peruenistiai?
Bustirape, sociofraude, parricida furcifer.
Mei'st te rogandi, & tis respondendi mihi.

Plautus in Pœnulo. Iambici.

Oratum iere Deam, vt sibi esset propitia.
Abduce intro: nos hasce hic præstolabimur.
Profectò vteris, vt voles, operam meam.

Plautus in Rudente. Iambici.

Vt afflictantur misere? euge, euge perbene.
Piscatu nouo me compotiuit vberi.
Simul sedent eiecti; nauis confracta est ibus.
Si erga parentem me impiaui vel Deos.
Quæ in his locis nescijs, nescia spe sumus.
Istic mane dum ego hanc rudentem complico
Virile sexus nullum vnquam habui.

Plautus in Vidularia. Iamb.

Malim moriri meos, quàm mendicarier.

Plautus in Sticho. Iambici.

Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam.
Logos ridiculos vendo: agite licemini.
Probiores arbitrabunt, si probis narraueris.

Plautus in Trinummo. Iambici.

Trapezitæ mille drachmarum Olympicum.
Quasi adolescente à patre ex Seleucia.
Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia.

Plautus in Truculento. Iambici.

Melius te minis certare mecum, quam minacijs.

Plautus in fragmentis, vel locis non notatis.

Plautus in Curculione. Iamb.

Statius Cæcilius. Iambici.

Meritissimò me eieci ex hac decuria.
Filius ad me incedit satis hilari schema.

Lucius Afranius. Iambici.

Scurrilitate ac ne potatu nobilis.
Quod saluus venis, meliusq; est tibi gratulor Dijs.
Remeligo missa huc, quæ nauis cursum cohibeam.
Meo vt obsequar amori obedibo libens.

Sempronius Gracchus.

Prȩfractè oblatam, stultum est medi spernere cinã;

Terentius in Andria. Iambici.

Nam in prologis scribundis operam abutitur.
Amantium iræ, amoris integratio est.
Obsequium amicos, veritas odium parit.

Terentius in Eunucho. Iamb.

Menandri Eunuchum postquam Aediles emerunt;
Ego impetrare nequeo hoc abs te biduum.
Rus ibo, ibi hoc me macerabo biduum.
Verbis sæpe in se transmouet; qui habet saltem.
Hic est vietus, vetus, veternosus senex.
Quem præstolare Parmeno hic ante ostium?
Nescioquid absente nobis turbatum est domi.

Terentius in Adelphis. Iambici.

Profectò hoc vere dicunt si absis vspiam.

Terentius in Heautontimorumeno. Iamb. versus.

Hodie acturus sum Heautontimorumenon
Eius anuis causa, quæ erat mortua
Releui dolia omnia, omnes serias.

Terentius in Hecyra. Iambici.

Cadauerosa facie: Dij illum perduint.
Nam gnata, cum compressa est, nosci non quita est.

Terentius in Phormione. Iambici.

Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam.
Priusquam dilapidet nostras triginta minas
Quid ad me ibatis? ridiculum Iverebamini
Hæccine erãt itiones crebræ, & mãsiones diutinæ?
Meditata sunt mihi dudum omnia incommoda.

Q. Trabea Iambici.

Lena delinita argento nutum obseruabit meum
Fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

Cn. Mattius, seu Martius.

Altera pars acie' vitasset fluminis vndas
Columbatimque labra conserunt labris. *Iamb.*
Et maneat specie'simulacrum in morte silentum.

Idem in Oraculo quod est apud Liuium.

Romulidæ si perduelles expellere voltis
Et vomicam gentium quæ longè alienigenarum
Venit: Apollineri voueatis censeo ludos;
Quique Apollineri fiant commune quotannis.

Præ-

Idem in Oraculo quod est apud Liuium.

Prætor bus ludis faciundis ollu' præsto
Qui summum poplo, plebique endo Vrbe dabitius.
Poplos publicitus cum diderit è stipe partem
Conferinant vti priuatim pro seque suisque
At bis quinque viri sacra Græco ritu obeunto.
Hæc si faxitis rectè, gaudebiti' semper
Atque adeò fiet melior Respoblica vostra:
Nam is Dius vostros perduelles stinguet ad vnum
Qui vostros campos placidè nunc, ruraq; pascunt.

C. Lucilius in Satyris.

Non peperit verum postica parte profudit,
Abstemium temulenta fugit Mecænia nomen
Illud ad incitas redit atque internecionem
Sed tamen hoc dicas quid hoc est si neu molestum est
Tum laterali' dolor certissimu' nunciu' mortis.
Tantalu', qui pœnas ob facta nefantia luuit.
Tu milli nummum potes vno quærere centum
Hunc milli passum qui vicerit atque duobus.
Magna penus paruo spatio consumpta peribit.
Vertus quærende rei finem scire modumque.

Furius Antias.

Sanguine diluitur tellus, caua terra lutescit
Increscunt animi, virescit vulnere virtus.

Furius Bibaculus.

Quem tres calculi, & selibra salis. *Endecasyll.*

Sextu Turpillus. Iambici.

At enim scies, quæ olim fuisti nescius
Rhodiensis istuc commigrauit iamdiu.
Hæc mi facultas se obtulit immortalitùs.
An largitatem sumpti oblita est obsecro?
Ego præstolabo ipsi vt citante Opicium
Tamen oculis appetunt cupidè intui.
Et me iam irrides pessume ac sacerrime.

Attius in Annalibus.

Exercent epulis læti, seruosque procurant.

Accius alter, in Iambicis.

Tum iecore opimo farta, & satiata affatim
Commouit animum excelsa adspecti dignitas.
O dirum, hostificumq; diem adspecti horribilem
Ninxerunt cælestum molem ingentem mihi.
Abtorque proram, & supra tortas copulas.

Q. Catulus.

Aufugit mi animus, credo vt solet ad Theotimum.

Valerius Æditus.

Quid faculam præfers Phileros, qua nil opu' nobis?

Vganius.

Hic adoris dat primitias, tibi sanguine libat:
Emicat in nubes nidoribus ardor adoris.
Voluitur in glomeres, & scandit ab æthera fumus.

Luc. Pomponius Bonon.

Nam verè pusus tu, tua amica senexst
Lamen - color - tatrici mutat lacrymis. *Iamb.*

Heluuius Cinna.

Hæc tibi Arateis multum inuigilata lucernis.
Lucida consulgent alti carchesia mali.
Animula, vagula, blandula. *Iamb.*

Porcius Licinius.

Custodes ouium teneræque propaginis agnum.

Cornelius Licinius. Phaleucij.

Dum rus effugis, & laboriosum,
Et talis Curius pereruditus.

T. Lucretius Carus. Libro I.

Significant initium percussæ corda tua vi
Adpellare suemus, & hæc eadem vsurpare.
Æternas quoniam pœnas in morte timendum est
Propagare genus possit, vitamque tueri
Nihil igitur fieri de nihilo posse fatendum est.
Reducit Venus, aut reductum Dædala tellus.
Quando alit ex alio reficit natura, nec vllam.
Nec calidos æstus tuimur, nec frigora quimus
Vsurpare oculis, nec voces cernere suemus
Res possent, namque officium quod corporũ extat.
Nam si tantundem est in lanæ glomere quantum
Corporũ in plumbo est;tantundem pendere par est
Aut igitur motu priuandum est corpora quæque.
Complere spatium: nam primum quæq;necesse est:
Pondus vti saxis, calor ignibu', liquor aquai.
Nunquam relliquo reparari tempore possent.
Quo pacto fiant, & qua vi cunque ferantur
Nihil prodesset calidum densarier ignem
Languidior porrò disiectis, disque sipatis,
Et velis ardoris naturam linquere solam
Scire licet nobis venas, & sanguen, & ossa.
Et neruos alienigenis ex partibus esse.
Nec me animi fallit quàm sint obscura, sed acri
Nam siue est aliquid quod prohibeat, officiatque.

Lucretius Libro II.

Propterea quia quæ decedunt corpora cunque
Corpora peruideas reminiscere totius imum
Cuius vti memoro, rei simulacrum, & imago.

Quin vacuum per inane deorſum cuncta feruntur
Non ne vides etiam patefactis tempore puncto.
Et deuicta, quaſi cogantur ferre, patique
Conditione & erunt, & creſcent, inque valebunt.
Littoris incurui bibulam lauit æquor arenam.
Et quamuis ſubito per colum vina videmus.
Sed quod amara vides eadem, quæ fluuida conſtant.
Eſt ratio ſecernundi ſeorſumque videndi.
Non poſſunt: fac enim minimis è partibus eſſe.
Addendum partes alias erit; inde ſequatur
Et cygnea mele, Phœbeaque Dædala chordis
Eſſe Deum matrem, dum ne ſit re tamen apſe.
Reddita ſunt cum odore in primis pleraque dona
Nec quæ nigra cluent de nigris ſed varijs de
Et ſonitu ſterila, & ſucco ieiuna feruntur.
Et tamen hæc cum ſint quaſi putrefacta per ignes.
Cernere iam nequeas, motus quoq; ſurpere debent.
Et capiant ſenſus, & puncto tempore reddant.
Nam tibi vehementer noua res molitur ad aures.
Nulla eſt finis vti docui, res ipſaque per ſe.
Tandem coierint, ea quæ coniuncta repente
Nec facilè in venas cibus omnis diditur eij.

Lucretius Libro III.

Prodiderunt vitare Acheruſia templa ferentes
Tranſtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat
Caligare oculos, ſonere aures, ſuccidere artus,
Ne calor, ac ventus ſeorſum, ſeorſumque poteſtas,
Nec nebulam noctu, nec aranei tenuia fila.
Nec ſupra caput eiuſdem cecidiſſe vietam.
Nec repentis itum cuiuſuis cunque animantis
Exos, & exanguis tumidos, perfluctuat artus
Præter enim quā quod morbi eſt cū corpus egrotat
Inter enim iecta eſt vitai pauſa, vagæque
Aut flammis interfiat, maliſue ferarum
Mittat & hoc alicui noſtrum ſic increpet ipſa.
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.
Occiderunt magnis qui gentibus imperitarunt.
Oſſa dedit terræ prinde, ac famul infimus eſſet
Sed dum abeſt quod auemus, id exuperare videtur.

Lucretius Libro IV.

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Nec mora, nec requies interdatur vlla fluendi.
Aeribus binis quoniam res confit vtroque
Atque patefecit, quas ante obſederat ater
Seorſus item ſapor oris habet vim, ſeorſus odores.

Et quod ali'j cibus est, alijs fuat acre venenum.
Cœtera de genere hoc eadem ratione feruntur.
Nã si abest quod ames, præsto simulacra tamen sũt.

Lucretius Libro V.

Quidue tripectora tergemini vis Geryonai.
Nec iacere indu manus, via qua munita fidei.
Gratia nostra queat largirier emolumenti
Deciderunt quoque, & in tales venere meatus
Assiduusque geli casus mortalibus aufert
Cœpere, & radios inter quasi rumpere lucis
Instant nec loca lux inter quasi rupta relinquit
Per terras amnes, atque oppida cooperuisse.
Omnia diluuiare ex alto gurgite ponti
Constiterunt imbres, & flumina vim minuerunt
Inde mare, inde aer, inde æther ignifer ipse
Concussos itere, & labefactos aere multo
Puluerulenta Ceres, & Etesia flabra Aquilonum
Mutat enim mundi naturam totius ætas.
Donec eos vita priuarunt vermina sæua.
Nam cupidè conculcatur, nimis ante metutum
Omnia cedebant armatis nuda, & inerma.

Lucretius Libro VI.

Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ.
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ.
Flammeus est plerumq; colos, & splendidus ipsis.
Collaxat, rareque facit latera omnia vasis.
Omnia discutiat plagis; itinerque sequatur.
Et vis magna geli, magnum duramen aquarum.
Terra supernè tremit magnis concussa ruinis.
Inclinata minant in eandem prodita partem
Nilus in æstate crescit, campisque redundat.
Crescit vbi in campos albas descendere ningues
Principio terram Sol excoquit, & facit are.
Extructas ningues radijs tabescere cogit
Hoc vbi inanitur spatium, multumque vacefit
Vt finem statuit cupedinis atque timoris
Nec tibi sit fraudi quod nos inferne videmus
Semina, seque simul cum eo commiscuit ignis
Conferue facit è paruis, quia facta minutè.
Tecta supernè timent, metuunt infernè cauernas.
Isis & Harpocrates digito qui significat st
Aut ambos mira, aut noli mirare de eodem
Quid quasi non curet tantidem Aristoteles?
Quibus satullem corpora, & famem ventris. *Scazon.*

M. Varro in Iambicis.

M. Varro in Iambicis.

Repente noctis circiter meridiem
Nubes aquali frigido velo leues
Ventique frigido se ab axe eruperant
Phrenitici septentrionum filij
Secum ferentes tegulas, ramos, sirus.
Et auiditatem speribus lactet suis.
Hoc ægritudinem ad medendum inuenerunt.
Cauata vox per anfracta aurium meat.
Vbi confluit amnis vndis mistis altera.
Pupilla lacte candidum cum fluxerit.

Cicero in Aratum, & alibi.

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.
Stinguuntur radij cæca caligine tecti.
Inque Academia vmbrifera nitidoque Lyceo.
Electra, Steropeque simul sanctissima Maia
Quorum luxuries fortunæ censa peredit.

Laurea Tullius, Ciceronis libertus.

Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori.

Publ. Syrus. Iambici.

Comes facundus in via pro vehiculo est
Amare, & sapere vix Deo conceditur
Bona comparat præsidia misericordia.

Dec. Laberius Mimus. Iambici.

Voluerunt multi effugere, parui potuerunt
Hoc voluit clypeum contra puluem proijci.

Domitius Marsus.

Si quos Orbilius ferula, scuticaque cecidit,
Epirota tenellorum nutricula vatum.

Cornelius Gallus.

Conglutinantur aquæ, scopulis se condit hirudo
At postquam teneram rupit verecundia frontem
Spiculaque in syluis tuta vibrabat amor,
Et rerum dominus, nil cupiendo, fui.
Sic cunctis formosus ego, gratusque videbar.
O quam dura premit miseros conditio vitæ.
Pædagogus adit me; illam mœstissima mater
Prostratus pedibus verecundia silentia rupi.
Continuos gemitus ægra senectus habet.

Dionysius Afer.

Vsque ad Leucopetræ vergens candentia saxa.

Dionysius Cato.

Hoc vide ne rursus leuitatis crimine damnes.
Dilige denarij, sed parcè dilige formam,
Et lateat vitium proximitate boni.

Lac niueum, butyrumq; nouū cum melle come
Hic mea me longo succedens prora remulco.
Et sinum vini cessamus fundere Baccho
Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis.

C. Valerius Catullus in versibus Phaleucÿs.

Doctis Iuppiter, & laboriosis
Quare habe tibi quidquid hoc libelli est
Quod zonam soluit diu ligatam
Verum nescio quid febriculosi
Laserpiciferis iacet Cyrenis
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Dentes vel silicem comesse possent.
Mucusque, & mala pituita nasi.
Nec sæui Boreæ, aut Apeliotæ.
Iube ad te veniam meridiatum.
Verum si quid ages statim iubeto
Desissemque truces vibrare iambos
Mœstius lacrymis Symonideis.
Redde putida mœcha codicillos.
Iam cæli furor æquinoctialis
Si linguam clauso tenes in ore
Verbosa gaudet Venus loquela
Nunc in quadriuijs, & angiportis.

Catullus in Iambicis, vel Scazontibus.

Ait fuisse nauium celerrimus
Gemelle Castor, & Gemelle Castoris
Amastri pontica, & Cythore buxifer
Perscripta nec sic, vt sit in palimpsesto. *Scazon.*
Nisi vncta deuorare patrimonia
Inundat extimæ ecce Lusitaniæ
Cuniculosæ Celtiberiæ fili. *Scazon.*

Catullus in Sapphicis.

Nullum amans verè, sed identidem omnium
Ille mi par esse Deo videtur
Qui sedens aduersus identidem te
Tintinant aures, gemina teguntur.

Catullus in Glyconÿs.

Zonula soluunt sinus.
Stare flos Hiacynthinus
Fescenina locutio
Cælites nihilominus.

Catullus in Carmine Nuptiali.

Hymen ô Hymenæe Hymen ades ô Hymenæe.
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus.

Catullus de nuptÿs Peleis & Thetidos.

Quæ

Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor
Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos.
Pharsalon coeunt; Pharsalia tecta frequentant
Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci
Indomito nec dira ferens stipendia tauro.
Nulla fugæ ratio, nulla spes, omnia muta.
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum.
Vellera virgati custodibant calathisci
Liber vt innuptæ potiretur flore nouercæ.
Tempe, quæ syluæ cingunt superim pendentes.

Catullus in Epigrammatis, vel Elegijs.

Conscriptum hoc lacrymis mittit Epistolium
Daulias absumpti fata gemens Ityli.
Non, ita me Diui Vera gemunt iuuerint
At tu non orbum luxti deserta cubile
Pristina vota nouo munere dissoluo
Luce autem cœnæ Tethyi restituor
Condita quin veri pectoris euoluam
Proximus Hydrocoo fulgeat Oarion
Naufragum vt eiectũ spumantibus æquoris vndis
Abscidit: ò misero frater adempte mihi
Coniugis in culpa flagraret quotidiana
Nihili se dicit mulier mea nubere malle
Dicere, & hinsidias Arius insidias
Non ita me Dij ament quidquam referre putaui.

Virgilius Ecloga 1.

Mirabar quod mœsta deos Amarilli vocares
Tityrus hinc aberat: ipsæ te, Tityre pinus
Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

Virgilius Ecloga 2.

Te Coridon ò Alexi, trahit sua quenque voluptas
Amphion Dirceus in Actæo Aracyntho
Nec sum adeò informis; nuper me in littore vidi.

Virgilius Ecloga 3.

Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacintus
Et longum formose vale, vale inquit Iola
Tityre pascentes à flumine reijce capellas,
Ipse, vbi tempus erit, omnes in fonte lauabo.

Virgilius Ecloga 4.

Permistos heroas, & ipse videbitur illis
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.

Virgilius Ecloga 5.

Frigida Daphni boues ad flumina; nulla neq; amnẽ

Daphnin ad astra feremus;amauit nos quoq; Daphnis.

Virgilius Ecloga 6.

Nunc ego, nanq; super tibi erunt qui dicere laudes
Clamassent vt litus Hyla Hyla omne sonaret
Ille latus niueum mollifultus hyacintho
Prima Syracusio dignata est ludere versu
Nec tantum Rhodope miratur,& Ismarus Orphea.

Virgilius Ecloga 7.

Stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ
Versibus ille facit ; aut si non possumus omnes.

Virgilius Ecloga 8.

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error
Credimus ? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ .

Virgilius Ecloga 9.

Desine plura puer, & quod nunc instat, agamus
Agricolæ stringunt frondes : hic Mæri canamus .

Virgilius Ecloga 10.

Vlla moram fecere : neque Aonia Aganippe .
Illum etiam lauri , etiam fleuere myricæ
Omnia vincit amor, & nos cedamus amori .

Virgilius I. Georgicorum .

Teque sibi generum Tethys emat omnibus vndis
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton .
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta
Tribulaque, trabeæque, & iniquo pondere rastri
Libra die, somnique pares vbi fecerit horas .
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur .
Ter sunt conati imponere Pelio Ossan
Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri .
Aestusque pluuiasque, & agentes frigora ventos.
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ .
Fluuiorum Rex Eridanus, camposque per omnes
Laomedonteæ luimus periuria Troiæ .

Virgilius II. Georgicorum .

Muneribus : tibi pampineo grauidus autumno
Flos apprima tenax : animas, & olentia Medi .
Et quisquis color : at sceleratum exquirere frigus
Ergo ritè suum Bacco dicemus honorem
Vi propria nituntur, opis haud indiga nostræ .
Obicibus ruptis , rursumque in seipsa residant .
Hanc Remus & frater : sic fortis Hetruria creuit .

Virgilius III. Georgicorum .

Aetas Lucinam , iustosque pati Hymenæos
Arcebis grauido pecori , armentaque pasces
Inualidus, etiamque tremens , etiam inscius æui

Saxa per, & scopulos, & depressas conualles.
At non quà Scythiæ gentes, Mæoticaque vnda.

Virgilius IV. Georgicorum.

Inque vicem speculantur aquas, & nubila cæli
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque
Atque Ephire, atque Opis, atque Asia Deiopea.
Tristis Aristæus Penei genitoris ad vndam,
Implerunt montes, flerunt Rhodopeiæ Arces.
Atque Getæ, atque Hebrus, atque Actias Orithya
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studijs florentem ignobilis otij.

Virgilius I. *Æneidos.*

Posthabita coluisse Samo: hic illius arma
Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatæ
Accestis scopulos; vox & Cyclopea saxa.
Huic coniux Sichæus erat ditissimus agri
Quos inter medios venit furor: ille Sichæum.
Et vera incessu patuit Dea: ille vbi matrem
Exercet Diana choros, quam mille secutæ
Atria dependent, lychni laquearibus aureis.

Virgilius II. *Æneidos.*

Aedificant sectaque intexunt abiete costas
Nostrorum obruimur, oriturq; miserrima cædes
Ecce trahebatur à templo adytisque Mineruæ
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Et direpta domus, & parui casus Iuli.
Iussa time: neu præceptis parere recusa
Nos pauidi trepidare metu: crinemque flagrantem.

Virgilius III. *Æneidos.*

Nereidum matri, & Neptuno Aegeo
Limanaque, laurusque Dei, totusque moueri
Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra.
Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno
Hectoris Andromache Pyrrhin? coniugia seruas?
Fluminis effossi fluidum lauit inde cruorem.
Si pereo manibus hominum perijsse iuuabit.

Virgilius IV. *Æneidos.*

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat
Pectoribus inhians, fumantia consulit exta
Cretesque, Dryopesq; fremunt, pictique Agathyrsi
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Mene fugis? per ego has lacrymas, dextramq; tuã te
Interiora domus irrumpit limina, & altos.
Lamentis gemituque, & fœmineo vlulatu.
Extinxti te, meque soror, populumque patresque

Troia

Virgilius V. Æneidos.

Troia Crimiso conceptum flumine mater.
Conuulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.
Emicat *Euryalus*, & munere victor amici.
Genua labant vastos quatit æger anhelitus artus.
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos.
Consilia, Elysiumque colo: huc casta Sibylla.
Olli serua datur, operum haud ignara Mineruæ.
Nusquam amittebat, oculosque sub astra ferebat.

Virgilius VI Æneidos.

Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.
Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia.
Dardana qui Paridis direxti tela manusque.
Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta.
Ense ferit sterilemque tibi Proserpina vaccam
Ferreiq; Eumenidum thalami, & discordia demens.
Ipsius à solio Regis, traxitque trementem
Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Nomen & arma locum seruant, te amice nequiui.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt
Ter conatus ibi collo dare brachia circum
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddat.
Hic vir hic est, tibi quem promitti sæpius audis.
Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis.

Virgilius VII. Æneid.

Diues inaccessos vbi Solis filia lucos.
Assuetæ ripis volucres, & fluminis alueo.
Præterea castis adolet dum altaria tedis.
Hæc sacris ædes epulis, hic ariete cæso
Threijciamq; Samum, quę nunc Samothracia fertur.
Dardaniam Siculo prospexit ab vsque pachyno.
Ipse Deum antiquam genitor Calydona Dianam.
Clamat io matres audite vbicunque Latinæ
Stipitibus duris agitur, sudibusue præustis
Ardea Crustumerique, & turrigeræ Antennæ:
Vmbonum crates; alij thoracas ahenos.
Claudia, nunc à quo diffunditur & tribus, & gens,
At leuem clypeum, sublatis cornibus Io.

Virgilius VIII. Æneid.

Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus.
Semihominis Caci facies, quam dira tegebat.
Rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquæ.
Quod fieri ferro, liquidoue potestur electro.
Brótesque, Steropesq; & nudus membra Pyracmon.

Tybri

Tybri pater poſcant acies, & fœdera iungant
Feruere Leucaten, auroque effulgere fluctus
Cum patribus, populoq; penatibus, & magnis Dijs.

Virgilius IX. Æneid.

Sceptra Palatini, ſedemque petijt Euandri.
Rumpe moras omnes, turbataque arripe caſtra.
Iri decus Cæli, quis te mihi nubibus actam.
Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros
Eſt hic, eſt animus lucis contemptor, & iſtum.
Hanc ſine me ſpem ferre tibi: audentior ibo.
Dum trepidant ijt haſta Tago per tempus vtrumque.
Meme, adſum qui feci, in me conuertite ferrum.
Euolat infelix, & fœmineo vlulatu.
Diffidit, & multa porrectum extendit arena.
Terga fatigamus haſta, nec tarda ſenectæ.
Abietibus iuuenes patrijs, & montibus æquos.
Inarime Iouis imperijs impoſta Typhœo.

Virgilius X. Æneid.

Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos, atque Cythera
Incluſum buxo, aut Oricia terebintho.
Mæonia generoſe domo, vbi pinguia culta.
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor.
At tibi Tymbre caput Euandrius abſtulit enſis
Deeſt iam terra fugæ: pelago Troiamne petemus?
Tela manuſque ſinit, hinc Pallas inſtat, & vrget,
Vna eademque via ſanguis, animuſque ſequuntur
Omnipotens genitor tanton' me crimine dignum.
Graius homo infectos liquens profugus hymenęos.
Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus:
Et furijs agitatus amor, & conſcia virtus.
Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras.

Virgilius XI. Æneid.

Seruabat ſenior qui Parrhaſio Euandro.
Oratis? equidem & viuis concedere vellem
Proinde tona eloquio, ſolitum tibi: meq; timoris
Argue tu Drance; tot quando ſtragis aceruos.

Virgilius XII. Æneid.

Pilumno quos ipſa decus dedit Orithyia
Qui candore niues anteirent curſibus auras.
Sancta ad vos anima, atque iſtius inſcia culpæ.
Huc illuc: nec enim leuia, aut ludicra petuntur.

Virgilius in Moreto.
In Copa, aut Ciri.
In Culice, aut Diris.
In Parodia, vel Epigrammatibus.

Moreſque agreſtes expoluit Orpheus. *Iamb.*
Tua in palude depoſiſſe ſarcinas. *Iamb.*
Paterna lora, ploxemumque pectinem. *Iamb.*
Copia me perdit: tu ſuffragare rogatus
Nam veluti ſonitura diu Tritone canoro.

Horatius Lib. I. Carminum. Ode.

O & præſidium, & dulce decus meum. 1. *Aſclep.*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia. 1. *Aſclep.*
Omne cum Proteus pecus egit altos. 2. *Sapph.*
Imperi rebus prece qua fatigent. 2. *Sapph.*
Sic te Diua potens Cypri. 3. *Glycon.*
Ne quicquam Deus abſcidit. 3. *Glycon.*
Audax Iapeti genus. 3. *Glycon.*
Vulcanus ardens vrit officinas 4. *Iamb.*
Simplex munditijs, heu quoties fidem. 5. *Aſclep.*
Quã rem cunq; ferox nauibus aut equis. 6. *Aſclep.*
Nec curſus duplicis per marè Vlyſſei. 6. *Aſclep.*
Culpa deſerere ingeni. (lenem. 6. *Glycon.*
Laudabunt alij clarã Rhodon, aut Mity 7. *Hex.*
Sanguine viperino. 8. *Ariſt.*
Quem ſors dierum cunque dabit lucro. 9. *Alcm.*
Mercuri facunde nepos Atlantis. 10. *Sapph.*
Pompili regnũ memorem, an ſuperbos. 12. *Sapph.*
Tarquini faſces, dubito, an Catonis. 12. *Sapph.*
Impreſſit memorem dente labris notam. 13. *Aſclep.*
Debes ludibrium caue. 14. *Glycon.*
Matroniſque Phrygum claſſis Achillei. 15. *Aſclep.*
Non Dindymene, non adytis quatit. 16. *Alcm.*
Hic in reducta valle Caniculæ. (ſareu. 17. *Alcm.*
Diſcernent auidi: nõ ego te candide Baſ- 18. *Alcaic.*
Vrit grata proteruitas. 19. *Glycon.*
Redderet laudes tibi Vaticani. 20. *Sapph.*
Vos tempe totidem tollite laudibus. 21. *Aſclep.*
Siue facturus per inhoſpitalem. 22. *Sapph.*
Vitas hinnuleo me ſimilis Chloe. 23. *Aſclep.*
Quis deſiderio ſit pudor aut modus. 24. *Aſclep.*
Nulli flebilior, quàm tibi Virgili. 24. *Aſclep.*
Quod ſi Threijcio blanditus Orpheo. 24. *Aſclep.*
Flebis in ſolo leuis angiportu. 25. *Sapph.*
Quid Tyridatem terreat vnicè. 26. *Alcm.*
Natis in vſum lætitiæ ſcyphis. 27. *Alcm.*
Vino, & lucernis Medus acinaces. 27. *Alcm.*
Menſorem cohibent Archita. 28. *Alcm.*
Libros Panæti, Socraticam & domum. 29. *Alcm.*
Et parum comis ſine te Iuuentas. 30. *Sapph.*

Me

Te-

	Te flagrantis atrox hora Caniculæ	13. *Asclep.*
	Iam virum expertæ male ominatis	14. *Sapph.*
	Et te Chlori decet filia rectius	15. *Asclep.*
	Pulso Thyas, vti concita tympano	15. *Asclep.*
815	Contemptæ dominus splendidior rei.	16. *Asclep.*
	Littoribus tenuisse Lyrim	17. *Dactyl.*
	Vina crateræ: vetus ara multo	18. *Sapph.*
	Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa	20. *Sapph.*
	Nec pestilentem sentiet Africum	23. *Alcm.*
820	Si figit adamantinos	24. *Glyc.*
	Ex somnis stupet Euhyas	25. *Glyc.*
	Et militaui non sine gloria	26. *Alcm.*
	Raua decurrens lupa Lanuuino	27. *Sapph.*
	Inclinare meridiem	28. *Glycon.*
825	Ostendit ignem: iam Procyon furit	29. *Alcm.*
	Tu me biremis præsidio scaphæ	29. *Alcm.*
	Dicar quà violens obstrepit Aufidus.	30. *Asclep.*
	Horatius Lib. IV. Carminum.	Ode.
	Nec vincire nouis tempora floribus	1. *Asclep.*
830	Seu per audaces noua dithyrambos	2. *Sapph.*
	Non semel dicemus io triumphe	2. *Sapph.*
	Quem tu Melpomene semel	3. *Glycon.*
	Dulcem quæ strepitum Pieri temperas	3. *Asclep.*
	Donatura Cygni, si libeat, sonum	3. *Asclep.*
835	Dedecorant bene nata culpæ	4. *Dactyl.*
	Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas	5. *Asclep.*
	Nullis polluitur casta domus stupris	5. *Asclep.*
	Longas ò vtinam dux bone ferias	5. *Asclep.*
	Sacra mentito, malè feriatos	6. *Sapph.*
840	Ritè crescentem face noctilucam	6. *Sapph.*
	Quæ dederis animo (nos	7. *Dactyl.*
	Cũ semel occideris,& de te splẽdida Mi-	7. *Hex.*
	Mauortisque puer, si taciturnitas	8. *Asclep.*
	Non, si quid olim lusit Anacreon	9. *Alcmã.*
845	Terret ambustus Phaeton auaras	11. *Sapph.*
	Misce stultitiam consilijs breuem	12. *Asclep.*
	Quæ me surpuerat mihi	13. *Glycon.*
	Sic tauriformis voluitur Aufidus	14. *Alcm.*
	Portus Alexandrea supplex	14.
850	Non qui profundum Danubium bibunt.	15. *Alcm.*
	Horatius Libro Epodon.	Ode.
	Magis relictis, non vt adsit, auxili	1. *Iamb.*
	Aut trudit acres hinc,& hinc multa cane.	2. *Iamb.*
	Vt argonautas præter omnes candidum	3 *Iamb.*
	Siticulosæ Apuliæ	3. *Iamb.*
855	Sectus flagellis hic triumuiralibus	4. *Iamb.*

Ariminensem Foliam. 5. *Iamb.*
Et otiosa credit Neapolis 5. *Iamb.*
Ah, Ah, solutus ambulat veneficæ 5. *Iamb.*
Caue, caue: namq; in malos asperrimus. 6. *Iamb.*
Sacra catenatus viâ. 7. *Iamb.*
Frontem senectus exaret. 8. *Iamb.*
Sol aspicit conopeum 9. *Iamb.*
Et illa non virilis eiulatio. 10. *Iamb.*
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam. 11. *Iamb.*
Stercore fucatus crocodili; iamq; tubando 12.
Niuesq; deducũt Iouẽ, nũc mare, nũc syluę. 13.
Anacreonta Teium 14. *Iamb.*
Nec te Pythagoræ fallant tarcana renati 15.
Nouisque rebus infidelis Allobrox 16. *Iamb.*
Adulteretur, & columba miluio 16. *Iamb.*
Heu peruicacis ad pedes Achillei 17. *Iamb.*
Laboriosi remiges Vlyssei 17. *Iamb.*
Desiderique temperare poculum 17. *Iamb.*

Horatius in Carmine Seculari.

Lenis Ilithya tuere matres. *Sapphic.*

Horatius de Arte Poetica.

Assuitur panus, cum lucus, & ara Dianæ
Regis opus sterilisque diu palus, aptaque remis
Perfidus Ixion; Io vaga, tristis Orestes
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus
Ille bonis faueatque, & consilietur amicis
Et frugi, castusque, verecundusquę coib t
Syllaba longa breui subiecta vocatur Iambus.
Vt gratas inter mensas symphonia discors.
Versibus exponi tragicis res comica non vult.

Horatius Lib. I. Sermonum Satyra 1.

Indormis inhians, & tamquam parcere sacris.
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.
Illuc vnde abij redeo: nemon' vt auarus.

Satyra 2.

Ambubaiarum collegia pharmacopolæ.

Satyra 3.

Sæpe decem seruos, modò Reges, atque Tetrarchas
Balbutit scaurum, prauis fultum malè talis
Semesos pisces, tepidumque ligurierit ius
Omnia magna loquens: modò sit mihi mensa tripes, &

Satyra 4.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetæ
Nulla taberna meos habeat, meque pila libellos
De Capitolini furtis iniecta Petili.

Satyra 5.

Ora manusque tua lauimus Feronia lympha.
Sic mutilus minitaris; at illi fæda cicatrix.
Incipit ex illo montes Appulia notos
Nusquam crepsemus, nisi nos vicina Triuici
Baria mœnia piscosi; dehinc Gnatia lymphis.

Satyra 6.

Tunc Syri Damæ, aut Dionisi filius audes.

Satyra 7.

Vindemiator, & inuictus cui sæpe viator
Cessisset magna compellans voce cucullum.

Satyra 8.

Cum mihi non tantum furesque feræque suetæ
Nam, displosa sonat quantum vesica pepedi.

Satyra 9.

Cum grauius dorso subijt onus, incipit ille
Si me amas, inquit, paulum huc ades, inteream si
Tam nigrum surrexe mihi? fugit improbus ac me.

Satyra 10.

Et Laberi mimos, & pulcra poemata miror
Virgilio annuerunt, gaudentes rure Camœnæ
Sæpe caput scaberet, viuos & roderet vngues.

Horatius Lib. II. Sermonum. Satyra 1.

Cui, male si palpere, recalcitrat vndique tutus
Quin vbi se à vulgo scenæ in secreta remorant
Qui me commorit, melius non tangere clamo.

Lib. II. Satyra 2.

Rusticus, anormis sapiens, crassaque Minerua.
Ne biberis diluta: foris est pronus, & atrum
Lenta feret pituita: vides vt pallidus omnis
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus.

Lib. II. Satyra 3.

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.
Hæredes voluit, quo ad vixit, credidit ingens
Antiquo censu natis diuisse duobus.
Nequis humasse velit Aiacem Atrida vetas cur?
Ni tua custodis auidus iam hæc aufert heres.
In niue Lucana dormis ocreatus, vt aprum
Laudere par impar, equitare in arundine longa
Quiddam magnum addēs, vnum me surpite morti.

Lib. II. Satyra 4.

Potorem cochlea, nam lactuca innatat acri
Nam facie præstant: Venucula conuenit ollis
Tractauit calicem manibus, dum furta ligurit.

Lib. II. Satyra 5.

Reſponde quibus amiſſas reparare queam res.
Pelliculam curare iube: ſis cognitor ipſe
Filia Naſicæ metuentis reddere ſoldum
Neu deſis operæ, neue immoderatus abundes.
Importunus amat laudari, donec ohe iam.
Imperioſa trahit Proſerpina: viue valeque.

Lib. II. Satyra 6.

Scilicet egregij mortalem altique ſilenti.
Vncta ſatis pingui ponetur oluſcula lardo.
Viue memor quam ſis æui breuis: hæc vbi dicta.

Lib. II. Satyra 7.

Imbecillus, iners ſim quiduis; adde propino
Romanoque habitu prodis, ex iudice Dama
Euaſti? credo metues, doctuſque cauebis.
Fortis, & in ſe ipſo totus teres atque rotundus.

Lib. II. Satyra 8.

His miſtum ius eſt oleo, quod prima Venafri.

Horatius Lib. I. Epiſtolar. Epiſt. 1.

Nunc itaque & verſus, & cætera ludicra pono.
Nullius addictus iurare in verba magiſtri
Æquè pauperibus prodeſt locupletibus æquè
Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus.
Nauſeat, ac locuples, quem ducit priua triremis
Præcipuè ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

Lib. I. Epiſt. 2.

Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi.
Si noles ſanus, curres hydropicus, & ni.

Lib. I. Epiſt. 3.

Scripta Palatinus quæcunqne recepit Apollo.

Lib. I. Epiſt. 4.

Dij tibi diuitias dederunt, artemque fruendi.

Lib. I. Epiſt. 5.

Tu quotus eſſe velis reſcribere, & rebus omiſſis,
Atria ſeruantem poſtico falle clientem.

Lib. I. Epiſt. 6.

Quo cupiens pacto, pauor eſt vtrobique moleſtus
Gaude, quòd ſpectant oculi te mille loquentem
Vt cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.

Lib. I. Epiſt. 7.

Durus, ait, Vultei nimis attentuſque videris.

Lib. I. Epiſt. 8.

Quæ nocuere ſequar; fugiam quæ profore credam.

Lib. I. Epiſt. 9.

Quid poſſim videt, ac nouit me validus ipſo.

Epiſt. 10.

Annuimus pariter vetuli, notique columbi.

Lib. I. Epiſt. 11.

Romę laudetur, Samos, & Chios, & Rhodos abſens.

Lib. I. Epiſt. 12.

Verum: ſeu piſces, ſeu porrum, & cepe trucidas.

Lib. I. Epiſt. 13.

Vade, vale, caue ne titubes, mandataque frangas.

Lib. I. Epiſt. 14.

Me conſtare mihi ſcis, & diſcedere triſtem.
Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas.

Lib. I. Epiſt. 15.

Pernicies, & tempeſtas, barathrumque macelli.

Lib. I. Epiſt. 16.

Corna vepres, & pruna ferant, ſi quercus, & ilex.

Lib. I. Epiſt. 17.

Faſtidiret olus, qui me notat, vtrius horum
Verba probes, & facta doce, vel iunior audi
Non cuiuis homini contingit adire Corinthum
Fracto crure planum: licet illi plurima manet.

Lib. I. Epiſt. 18.

Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquam
Nec tua laudabilis ſtudia, aut aliena reprendes.

Lib. I. Epiſt 19.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus
Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua
O imitatores ſeruum pecus, vt mihi ſæpe.
Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Ita truces inimicitias, & funebre bellum.

Lib. I. Epiſt. 20.

Odiſti claues, & grata ſigilla pudico.

Horatius lib. II. Epiſtolarum Epiſt I.

Cætera nequaquam ſimili ratione modoque
Nunc tibicinibus, nunc eſt gauiſa tragœdis
Retulit acceptos regale nomiſma Philippos
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

Lib. II Epiſt. 2.

Verna miniſterijs ad nutus aptus heriles.
I bone, quo virtus tua te vocat, i pede fauſto.
Puræ ſint plateæ, nihil vt meditantibus obſtet
Vehemens, & liquidus, pureque ſimilibus amni
Pullos, oua, cadum temeti: nempe modo iſto.

Ouidius Metamorphoſeon Lib. I.

Nam cælo terras, & terris abſcidit vndas
Iuſſit, & ambitæ circumdare littora terræ

De-

Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Dic Themi, qua generis damnum reparabile nostri.
Sed postquam nymphas pariter incedere vidit.

Ouid. Metamorph. Lib. 2.

Infice tabe tua naturam Cecropis, inquit.
Illud erat tempus, quo te pastoria pellis.

Ouid. Metamorph. Lib. 3.

Interijt at vos pro fama vincite vestra
Ardulus in nubes abijt, & in æquore summo.
Prima fide' vocisque ratæ tentamina sumpsit.

Ouid. Metamorph. Lib. 4.

Salmaci vel iaculum, vel pictas sume pharetras
Temporius cælo, modo serius incidit vndis.

Ouid. Metamorph. Lib. 5.

Bellica Pallas adest, & protegit ægide fratrem,
Et bis io Arethusa, io Arethusa vocauit.

Ouid. Metamorph. Lib. 6.

Atq; ita viue quidem, pinde tamen improba, dixit
Ad mandata Prognes, & agit sua vota sub illa
Accepisse simul, vitam dederitis in vndis.

Ouid. Metamorph. Lib. 7.

Ad iaculi vertebat opem quem dextra vibrabat
Thura liquefaciunt, inducaque cornibus aurum.
Quos vbi viderunt præacutæ cuspidis hastas.
Seruor, vbicunque est, vni mea gaudia seruo.

Ouid. Metamorph. Lib. 8.

Aut Helicem iubeo, strictumque Orionis ensem
Quam Meleager erat, primus vidisse putatur
Cæde recalfecit consorti sanguine telum
Ast ego vicino pauefacta sub æquore mergo
Theseos, & populi, quos diues Achaia cepit
Debuit illius misereri, & ignoscere nobis
Cur quoties alicui chartæ sua vincula dempsi.
Circumiere modum, mensuraque roboris vlnas.

Ouid. Metamorph. Lib. 9.

Tabe liquefactis, tollens ad sidera palmas
Argolis Alcmene, potiturque puerpera voto.
Salculaque, rastrique graues, longique ligones.

Ouid. Metamorph. Lib. 10

Brachiaq; extendens, prendiq; & prendere captans
Grata Deum matri, siquidem Cybeleius Atys.
Est Neptunus auus, pronepos ego regis aquarum.
Ipse suos gemitus folijs inscribit, & Hya.

Ouid. Metamorph. Lib. 11.

En ait, en hic est nostri contemptor, & hastam

Frenato delphine sedens Theti nuda sedebas.
Decidit in pontum, Thetys miserata cadentem
Nereis ingreditur consueta cubilia fluctu
Iuncta palus his est densis obsessa salictis
Est specus in medio natura factus, an arte.

Ouid. Metamorph. Lib. 12.

Abscidit iugulo pectusque humerumq; sinistrum.
Qui clypeo, gladioque, Macedoniaque sarissa
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris.

Ouid. Metamorph. Lib. 13.

Vadit ad artificem diræ Polymnestora cædis
Et primò similis volucri mox vera volucris
Vix ea nostra puto: sed enim quia retulit Aiax.

Ouid. Metamorph. Lib. 14.

Fulmineo perijt imitator fulminis ictu
Ille quidē totam gemebundus obambulat Ætnam.

Ouid. Metamorph. Lib. 15.

Armeniæque tigres, iraeundique leones.
At vetus ilia ætas, cui fecimus Aurea nomen
Vina fugit, gaudetque meris abstemius vadis.
Nec nisi perdideris, alium placate voracis.
Sed miseram parua stipe focilat, vt pu dibundos.

Ouid. Episiola 1. Penelopes.

Hac ibat simois; hæc est sigeia tellus
Quis scit an hæc sæuas insula tigres habet?

Ouid. Epist. 2. Phyllis.

Phylli fac expectes Demophoonta tuum.

Ouid. Epist. 3. Briseis.

Cuique senex Nereus prosocer esse velit.

Ouid. Epist. 4. Phadra.

Arsit & Oenides in Menalia Atalanta.

Ouid. Epist. 5. Oenone.

Me fide conspicuus Troiæ munitor amauit.

Ouid. Epist. 6. Hypsipyle.

Heu vbi pacta fides? vbi connubialia iura?
Quid tibi cum patria nauita Tiphi mea?

Ouid. Epist. 7. Dido.

Certus es ire tamen miseramq; relinquete Dido.
Pronurus & magni Laomedontis ero.

Ouid. Epist. 8. Hermione.

Pyrrhus Achillides, animosus imagine Patris.

Ouid. Epist. 9. Deianira.

Si te vidisset cultor Busiris in isto
Vt Tegeæus aper cupressifero Erymantho
Eurytidos Ioles, atque insani Alcidæ.

Ouid. Epist. 10. Ariadna.

Impia funeribus Cecropi terra suis.

Ouid. Epist. 11. Canace.

Ille Noto, Zephyrisque, & Sitonio Aquiloni.

Ouid. Epist. 12. Medea.

Cur vnquam Colchi Magnetida vidimus Argo?

Ouid. Epist. 13. Laedamia.

Dux Pari Priamide, damno formose tuorum
Tam sis hostis iners; quàm malus hospes eras.

Ouid. Epist. 14. Hypermnestra.

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus vni
Vndique collucent præcinctæ lampades auro.

Ouid. Epist. 15. Paris.

Applicor in terras Oebali nympha tuas.
Coniugij spes est Tyndari facta tui.

Ouid. 16. Helena.

Bella gerant fortes; tu Pari semper ama.

Ouid. Epist. 17. Leander.

Iam nostros curui norunt Delphines amores.

Ouid. Epist. 18. Hero.

Nil nisi Leandri nomen in ore meo est.

Ouid. Epist. 19. Acontius.

Maceror interdum, quòd sim tibi causa doloris.

Ouid. Epist. 20. Cydippe.

Mirabar qua re tibi nomen Acontius esset.
Molle meum leuibus cor est violabile telis
Vt monuit cum voce abijt: ego tertia surgo.

Ouid. 1. Amorum.

Et quà tu biberis; hac ego parte bibam
Hæc si præstiteris vsu mihi cognita longo.
Cum Sole, & Luna semper Aratus erit.

Ouid. 2. Amorum.

In manibusq; Iouem, sed cum Ioue fulmen habebã
Hæc face, & exiguo tempore liber eris.
Nereidesque Deæ, Nereidumque pater.

Ouid. 3. Amorum.

Stat vetus, & multos incidua sylua per annos
Venit adoratos Elegia nexa capillos.
Quos faciant nostra nota flabella manu.

Ouid. 1. de Arte amandi.

Hos fac Armenios; hæc est Danaeia Persis.

Ouid. 2. de Arte am.

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Ouid. 3. de Arte am.

Mille fac esse iocos, turpe est nescire puellam.

Ouid. 1. de Remedio amoris.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit
Quid tibi profuerunt Circe Perseides herbæ?
Durius incedit, fac ambulet, omne papillæ
Deme veneficijs, carminibusque fidem.

Ouid. 2. de Remedio amoris.

Perdat opes Phædra, parces Neptune nepoti.

Ouidius 1. Fastorum.

Da mihi te placidum; dederis in carmina vires
Iamque noui præeunt fasces, noua purpura fulget
Salue festa dies, meliorque reuertere semper.
Far erat, & puri lucida mica salis.
inocciduus It. blbbb.
inodorus, a, um, Pc. bblb.
inoffensus Ic. bllb.
inolens, A. bbl.
inolescere Pd. bblbb. 574.
inolitus Pp. bbbb.
inominatus, *sine omine*, Il. blblb.
inopes A. bbl. 897.
inopia Pp. bbbb.
inopiosus Tc. bbblb.
inopinus, a, um, Pc. bblb. 641.
Inopus, um, R. llb. 2006.
inorus, ore carens, L. blb.
Inous R. llb. 571.
imprimis, *adit*. R. llb. 328.
inquies, etis, K. lbl. *Apuleius*.
inquieto, as, Cc. lblc.
inquietus Cc. lblb.
inquilinus Cc lblb. 2053.
inquilus D. lbb.
inquijt D. lbb.
inquimus D. lbb. 892.
inquinamentum Kc. lbllb.
inquinat D. lbb 2698.
inquinatus Cc. lblb.
inquiro R. llc. 1304.
inquis C. lb. 2111.
inquisitor Sc. lllb. 1865.
inquisitio Sd. lllbc.
inquit C. lb. 531.
inquitis D. lbb.
inquito, *imperatiu*. K. lbc.
insalutatus Cr. lbllb.
insalubris Cc. lblb.
insanabilis Sd. lllbb. 876.
insania Sp. llbb.
insanior Sp. llbb.
insanire Sc. lllb. 529.
insanis, *verbum*, M. lll.
insanit R. llb.
insanitas Si. llbl.
insaniter Sp. llbb.
insaniturus Mc. llllb.
insanus R. llb. 112.
insatiabilis Dd. lbblbb.
insatiabiliter Dcp. lbblbbb. 338.
insatietas Ca. lbbbl.
insatiatus Dc. lbblb.
insatur D. lbb.
insaturabilis Dd. lbbllb.

ins

I O

Ioas.

I P

I R

I S

Isaia

I T

ithaca.

iumen-

iynx,

K

L

lacer-

lanio,

laser-

L I

liqua-

L O

loti-

Iute-

lutescere Ip. blbb. 247.
luter R. llb.
Lutetia Ip. blbb. 2979.
luteus, croninus, D. lbb. 1395.
luteus, cænosus, T. bbb. 1178.
lutum, cænum, P. bb. 1122.
lutus, flos, C. lb. 534.
luto, as, P. bc. 2443.
lutulo, as, T. bbc.
lutulentus Pc. bblb. 897.
lux, cix, longa.
luxti, pro luxisti S. ll. 510.
luxuria Cp. lbbb. 1359.
luxuries Ci. lbbl. 421.
luxurior Cp. lbbb.
luxurio, as, Cp. lbbc. 1334.
luxuriosus Dc. lbblb. 1176.

L Y

Lyaeus L. blb. 1161.
Lycabas A. bbl.
lycabetus, λη, Pc. bblb. 1656.
lycaeus L. blb. 670.
lycambes B bll. 1325.
lycambeus, βηι, Ic. bllb. 2207.
lycantropus, ωπ. Ic. bllb.
lycaon, ων. B bll.
lycaonis, ων, Ip. blbb. 563.
lycaonis, idis, Ip. blbb. vocatiu. Lycaoni Ip. blbb. 1184.
lycaonius It. blbbb. 1033.
lycas I. bl. 1070.
lycastus L blb.
lyce, κη, I. bl.
lycetus L. blb.
lyceum, κηι, L. blb. 2705. 419.
lyceus fl. κηι, L blb.
lychnites B. & M. cll. 2898.
lychnuchus, υχ. L. & R. clb.
lychnus C. & P. cb. prima breuis Aristophani.
lycia T. bbb. 1046.
lycida, vocatiu. A. bbl. 548.
lycimnia Ip. blbb. 679.
lycinia Ip. blbb. 829.
lycinus T. bbb.
lycisca L. blb. 529.
lycius T. bbb. 597.
lycomedes, εμη, Ps. bbll. 1706.
lycomedeus, δει, Pr. bbllb.
lycophon, εφων, A. bbl.
lycophron A & B bcl.
lycophronis, ον, Pp. & Ip. bcbb. 1642.
lycoreus, ωρευς, B. bll.
lycorea, accusatiu. Ip. blbb.
lycorides, ριδ. Is. blll. 1325.
lycorias, adis, Ip. blbb.
lycoris, idis, L. blb. 1227.
lycormas fl. B. bll. 1667.
lycosthenes, εν, Ii. blbl.
lycotas, ωτ. B bll.
lycurgeus, γει, Ic. bllb.
lycurgides, ιδ, Is. blll.
lycurgus, L. blb. 1267.
lycus vir. P. bb. 1325.
lycus fl. P. bb. 1316. & C. lb. 1283.
lydias D. lbb. 2695.
lydi, orum, S. ll. 679.
lyde, δη, S. ll.
lydius, D. lbb.
lydamus D. lbb. 1394.
lyeus, ευ, L blb. 1695.
lymire, ρη, A. bbl. 1070.
lymnesius, ης, Sp. llbb.
lymnochares Ci. lbbl.
lymphaticus Sp. llbb. 2418.
lynces, plural. κες, C. lb. 1672. 2706.
lyncas, accusatiu. C. lb. 830.
Lynceus, substantiu. κευς, S. ll.

M

ma-

machinamentum Kc. lblllb.
machinor D. lbb.
machinula Cp. lbbb.
macio, as, T. bbc.
macies A. bbl. 1039.
macie, *ablatiu.* A. bbl. 287.
macilentus Pc. bblb. 2935.
macor, oris, P. bb.
Macra *fl.* C. & P. cb.
macresco L. & R. clc.
Macrinus L. & R. clb. 1491.
macritudo Pc. & Cc. cblc.
Macrobius, οβι, Cp. & Pp. cbb. 2935.
macrocolum, ωλ, Pc. & Cc. cblb. (cbll.
macropogon. ωπω, Cs. & Ps.
Macrones, ωνες, L. clb. 2006.
mactabilis Sp. llbb.
mactatus R. llb.
macte C. lb. 679.
macula T. bbb. 1108.
maculabilis Pd. bblbb.
maculo, as, T. bbc. 693.
maculosus Pc. bblb. 1234.
madarosis, ωσ, Pc. bblb. 2908.
madefacit Pp. bbbb.
madefactus Pc. bblb.
madefecerat Pd. bblbb. 631.
madefit T. bbb.
madefio Pc. bblc.
madeo, es, T. bbc. 1210.
madidans A. bbl. 2676.
madidatus Pc. bblb.
madidus T. bbb. 1842.
Madianitæ Pm. bblll. 2987.
mador, oris, P. bb. 2987.
maduit T. bbb. 1070.
madulla L. blb.
maeander R. llb. 1039.
Maeandrius Sp. llbb. 1070.
Maeandricus Sp. llbb.
Maecenas M. lll. 727.
Maecenates Sc. lllb. 2253.
maechia, χι, D. lbb.
maechlinia Sp. llbb. 2985.
maemacterion, τηρ. φν, SK. lllbl.
maenades, δες, D. lbb. 1079.
maenadas, *accusatiu.* D. lbb. 2341.
maenali, idis, D. lbb.
maenalis, *vocatiu.* D. lbb. 1178.
maenalius, Cp. lbbb. 1111.
maenalus, a, D. lbb. 557.
maenas, adis, C. lb.
maeon, ων, S. ll.
maeones, ες, D. lbb. 2682.
maeonia Cp. lbbb.
maeonides Ci. lbbl. 1262.
maeonis, idis, D. lbb.
maeonius Cp. lbbb. 696.
maeotæ, ωτ, M. lll.
maeoticus Sp. llbb. 582.
maeotis, ωτ, R. llb. 2739. & L. blb. 1249.
Maeotin, *vt* Maeotis.
maeotra, ωτ, R. llb. 2981.
maereri M. lll.
maeroris R. llb.
maestiter D. lbb. 155.
maestitia Cp. lbbb.
maestitudo Cc. lblc.
maestificus Cp. lbbb.
maestificatus Dc. lbblb.
magadion Cp. lbbb.
magalia Sp. llbb. 622.
magarsus *fl.* L. blb.
Magdalena, ην, Sc. lllb. 2984. & 2985.
Magdalis, edis, R. llb. *melius quam* D. lbb.
Magdalum R. llb. 2984.
mage, gis, P. bb. 2463.
magia, γι, L. blb.
magicus T. bbb. 1374.
magirus, *coquus*, γι, L. blb.
magis, *adverb.* P. bb. 1589.

magis,

mares

mara-

M E

Mecoc-

Mecoenas, *scribe*, Maecenas
meconites, *gemma*, ηκφ, Ss. llll.
meconis, *herba*, ηκφ, R. llb.
meoum, C. lb. 525.
Medea, Μηδεῖα, R. llb. 1114.
Medeis, eidis, R. llb.
Medeides, δεις, Sp. llbb. 1167
medebor L. blb.
medela L. blb. 2489.
medeor T. bbb.
medendum L. blb.
mederi B. bll. 1056.
Media, regio, μη. D. lbb. 574.
Medi, dorum, S. ll. 576. 762.
media nox, *pro* media nocte
medianus Pc. bblb. 2987.
mediastinus Pr. bbllb 1001.
medicabilis Pd. bblbb. 1112
medicabulum Pd. bblbb.
medicamen Pc. bblb.
medicaminibus At. bblbbb. 1876.
medicamentum Ac. bblbb. 2935.
medicando, *gerund*. Pc. bblc.
medico, as, T. bbc. 561.
medicatus Pc. bblb.
medicina Pc. bblb. 1171.
medicus, à medendo, T. bbb. 2195.
Medicus, à Media, D. lbb.
medimnus L. blb. 2470.
mediocris Pc. & Pp. bbcb. 876
mediocritas Pk. & Pa. bbcbl. 785.
mediocriter Pd. & Pt. bbcbb. 1011.
Mediolanum Pr. bbllb. 2578 *vel* Dc. lbblb. 1900.
Mediomatrices Am. bblllI. 2985.
madioxumus Pd. bblbb.
meditabor Pc. bblb.
meditabundus Ac. bblb.
meditando, *gerund*. Pc. bblc.
meditatio Pd. bblbc.
meditatus Pc. bblb. 213.
Mediterraneus Ad. bbllbb.
meditor, aris, T. bbb. 521. 1030.
Meditrina, *Dea medicina*, Ic. & Pc. bclb. 2979.
medius, a, um, T. bbb. 602. 1085.
Medoacus, *vide* 2. *Indicem*.
Medonta, *accusat*. L. blb.
Medulæ, *urbs*, A. bbl.
medulla L. blb. 622.
medullitus Ip. blbb. 2514.
Medusa, ουσ, L. blb. 1601.
Medusæus Ic. bllb. 1049.
Megabizus, ιγ. Pc. bblb.
Megera, ιγ, L. blb. 1647.
Megalensis Pc. bblb. 2301.
Megalesia, με λη, Pd. bblbb. 1879.
Megara, με, T. bbb. 718.
Megarea, ρει, Pc. bblb. 1193.
Megareus, *substantiu*. ευς, A. bbl. 1074.
Megarsus *fl*. L. blb. 2476.
mehercle L. blb.
mehercule Ip. blbb. 455. *& trisyll*. D. lbb.
meiere D. lbb.
mel, *breue*, 1307.
mela, *cantilena*, ελ, P. bb.
Melanes B. bll. 1700.
melampodion, οδι, It. blbbb
Melampus, Μελάμπους, B. bll
Melampodis Ip. blbb. 1691.
melampygus Ic. bllb.
Melana T. bbb. 2744.
Melanchlenis, νι, Ic. bllb.
melancholia χολι, It. blbbb
melancholicus It. blbbb.
melanchthonis, *genitiu*. Ip. blbb.
Melandria Ip. blbb. 209

Me-

me-

memorabilis Pd. bblbb. 622.
memoria Pp. bbbb.
memorialis Tc. bbblb.
memoriter Pp. bbbb.
memoro, as, T. bbc. 743.
memphi, *vocatiu.* C. lb. 1422.
memphitis R. llb. 1381.
memphiticus Sp. llbb. 1165.
meo ? *brevis* 1501.
mene ? C. lb. 627.
mena, *piscis*, C. lb. 2908.
menalis B. bll. 529.
Menalippe, ‑πη, Ps. bbll. 1903.
menalippus Pc. bblb.
menander, μι, L. blb. 933.
menandrus L. blb. 933.
menandrius Ip. blbb.
menapi A. bbl.
menades, μήνάδες, D. lbb.
mendacissimus Sd. lllbb.
mendacitas Si. llbl.
mendacium Sp. llbb. 2959.
mendaces M. lll. 670.
mendaculus Sp. llbb.
mendesius, δη, Sp. llbb.
mendicabulum Sd. lllbb.
mendicarier Sd. lllbb. 164.
mendicatus Sc. lllb. 1271.
mendicitas Si. llbl.
mendico, as, R. llc. 1271.
mendiculus Sp. llbb.
mendicus R. llb. 890.
mendosè, *aduerb.* M. lll.
mendosus R. llb. 1157.
menecrates, ετι, Ii. & Pi. bcbl.
menedemus, ενεδη, Pc. bblb.
menelaus Pc. bblb. 606.
meneleus, *trissyl.* Αεως, A. bbl
menenius Ip. blbb. 932.
menephron, μενεφρων, A. & B. bcl.
menephronis, ων, Pp. & Ip. bcbb.
menera, ητε, T. bbb.
menestheus, θεως, B. bll. 631.
meninx, ingis, μη, S. ll. 1727.
menipus, με, L. blb.
meniscus, μη, R. llb.
menius D. lbb.
menodotus, μηνόδωρος, Cc. lblb.
menoetiades Ia. blbbl. 1325
menophilus, ην, Cp. lbbb.
menogenes Ci. lbbl.
menologium, μηνολόγιον, Ct. lbbbb.
mensatim R. llb. 2489.
mensores M. lll. 736.
menstruus D. lbb. 364.
mensura R. llb. 1069.
mensurabilis Sd. lllbb. 2510
mensuro, as, R. llc. 2837.
mentagra D. & R. lcb. 2935.
mentibor R. llb. 131.
mentigo, inis, R. llc.
mentis, *pro* mens, C. lb. 65. & 66.
mentiri M. lll.
mentiturus Sc. lllb. 1255.
mentitur R. llb. 839.
mentor C. lb.
mentoris D. lbb. 1413.
mentoreus Cp. lbbb. 228.
mentula D. lbb. 2381.
mephitis L. blb. 150.
mepte C. lb. 125.
meque C. lb. 630.
Mera, *Canicula*, μήρα, C. lb. 1056.
meracum L. blb. 1027.
meracus, ca, cum, L. blb.
mercabilis Sp. llbb. 1153.
mercator R. llb. 964.
mercatura, ræ, Sc. lllb. 932.
mercatus, ui, R. llb.
mercatus, *particip.* R. llb.
mer-

metal-

Mic

mol-

mollibit R. llb.
mollissimus Sp. llbb.
molliter D. lbb. 557.
mollities C. lbbl. 927.
mollitus R. llb.
mollugo, *herba*, R. llc.
molo, lis, P. bc. 2418.
Moloch, *idolum*, ολ, P. bb.
moloche, *herba*, μολοχη, A. bbl.
molochinus Pp. bbbb.
molochites Ps. bbll.
molorchus. L blb. 582.
molorthus, ολ, L. blb. 1637.
Molossus L. blb. 582.
molossum *pro* molossorum B. bll.
molucrum, *vel* molocrum T & L bcb.
molui A. bbl
moly. ω, C. lb 1094.
molybodes, ωδ, Cs. lbll.
momar, *stultus*, P. bb. 2979.
momen C. lb 1355.
momentò, *aduerb.* M. lll. 886.
momentaneus Sd. llibb. 2935.
momentum R. llb. 1046
momordi B. bll 2183.
Momus, ω, C. lb.
Monachium, *vrbs*, Pp. bbbb.
monachium, *monasterium*, χι, Pc. bblbb.
monachus, μόναχος, T. bbb. 2729.
monarcha L. blb.
monarchia, χι, Ip. blbb.
monas, adis, ον, P. bb.
monasterium, ερι, Id. bllbb.
monasticus Ip blbb 2935.
monaulus L. blb. 2381.
mone C. bl. 1183.
monedula Ip. blbb. 1056.
moneo A. bbc. 2347.
monesis, ον L. blb.
moneta L blb. 1580.
monetarius Id. blbb.
monilia Ip. blbb. 656.
monile L. blb.
monimentum Pc. bblb. 641.
monitrix A. & B. bcl.
monitor T. bbb. 876.
monitus A. bbl.
monitum T. bbb.
monitus T. bbb.
monoceros, οκερ, Pi. bbbl.
monocerotis ωτ, Tc bbblb.
monocolon κω, Pc. bblb.
monodia, ωδι, Ip. blbb.
monoecus L. blb. 1546
monogamia, μια, Pt bbbbb.
monogamus Pp. bbbb
monomachus Pp. bbbb.
monopolium, *exercitium*, ωλι, Pd. bblbb. 2060.
monopolium, *locus*, ωλι, Pr. bbllb.
monoprosopus, οσω, Pl. & Il. bcblb.
monosthicum Ip blbb. *Auson. in Monost.*
monosyllabum Pd. bblbb. 2590.
monstrifer D. lbb. 1209.
monstrificus Cp. lbbb.
monstrificabilis Dd. lbblbb.
monstrosus R. llb.
montanus R. llb. 631.
monti, *pro* monte, S ll. 60.
montibus D. llb.
monticola Cp lbbb. 1033.
monticellus Cc. lblb.
monticulus Cp lbbb.
montiniacum St llbbb.
montiuagus Cp. lbbb.
montosus R. llb.
monui A. bbl. 1152.
monumentum Pc bblb.

M Y

Mycon I. bl.
myconis, ων, L. blb. 529.
mycone, ονη, A. bbl.
mygdon, ων, S. ll.
mydonides, ον, Ci. lbbl. 606.
mygdonius Cp. lbbb.
myagros D. & R. lcb.
myodes, ωδ, M. lll.
myoparo, ων, Cp. lbbc.
myoparonis Dc. lbblb.
myor P. bb. 2249.
myops S. ll.
myopis, ωπ, R. llb. 3000.
myle, λη, I. bl. 1797.
myndriasis Cp. lbbb.
myos, genitiu. P. bb.
myra, vrbs, P. bb.
myriandrus Cc. lblb. sed ob necessit. Pc. bblb. 2914.
myrias, adis, D. lbb.
myriadis Cp. lbbb. 2987.
myrica L. blb. 559.
myrina, vrbs, L. blb.
myrmecides, ηκ, Si. llbl.
myrmecium, ηκ, Sp. llbb.
myrmicinus Sc. lllb.
myrmicoleon, ηκολεων, Sa. llbbl.
myrmidones, ονες, Cp. lbbb. 606.
myrobalanum Pt. bbbbb.
myron I. bl.
myronis, ων, L. blb. 2249.
myropola, ωπω, Pc. bblb.
myropolium, locus, ωλιο, Pr. bbllb.
myrotheca, οθη, Pc. bblb.
myrothecium, ηκι, Pd bbllb
myrrha C. lb.
myrrhinus D. lbb. 1882.
myrrhites M. lll.
myrtale, λε, K lbl. 768.
myrtetum R. llb. 574.
myrtheus D. lbb.
myrtidanum Cp. lbbb.
myrtilus D. lbb. 2711.
myrtinus, a, um, D. lbb.
myrtites M. lll.
myrtex S. ll.
myrtecis, ηκ, R. llb.
myrtous R. llb. 1138.
mysia D. lbb. 2695.
mystaces, κες, D. lbb.
mysten, accusat. ην, S. ll. 784.
mystagogus, γω, Cc. lblb.
mysterium, ηρι, Sp. llbb. 2620.
mysticus D. lbb.
mythologia Dp. lbbbb.
mythologus Cp. lbbb.
mytilus D. lbb. 2096.
myurus, ϋρ, R. llb.

N

NAaman, Νεεμαν, A. bbl. 2935.
Nabal, Hebr. S. ll. sed P. bb. 2987.
nabam C. lb.
nabis, vir, C. lb. 1741.
nabathæus Pc. bblb. 2790.
nablium D. lbb. 1169.
Nabor, Hebr. S. ll.
Naboris D. lbb.
Nabolassarus, ολ, Cd lblbb.
Nabucodonosor, ϐχοδονοσορ, Rt. llbbbb.
nae, affirmatiua, longa.
naenia D. lbb. 776.
naeniola Cp. lbbb.
naeuius D. lbb.
naeuolus D. lbb. 2125.

naua-

Ne-

N I

non,

N V

nub

nubifer D. lbb.
nubifugus Cp lbbb.
nubigena Cp. lbbb. 670.
nubilis D. lbb. 656.
nubilus D. lbb. 1223.
nubila D lbb. 589.
nubere D. lbb. 518.
Nuceria Cp. lbbb. 1754.
nuces I. bl. 2373. 2451.
nucibus T. bbb.
nucetum L. blb. 1614.
nuceus T. bbb.
nucinus T. bbb.
nucipersicum Pd. bblbb.
nuciprunum Pc. & Ic. bclb.
nucifrangibulum At. & Bt. bclbbb.
nucis P. bb.
nucleus D. & T. cbb. 2320.
nucula T. bbb.
nudius D. lbb. 180.
nudatus R. llb. 614.
nuditas K. lbl.
nudo, as, C. lc. 1599.
nudus C. lb. 675. 1081. 1893.
nugator R. llb.
nugae S. ll. 2206.
nugamenta Sc. lllb.
nugax, acis, S. ll.
nugigerulus Ct. lbbbb.
nugiuendulus Cd. lblbb.
nugor, aris, C. lb. 1497.
nullatenus Sp. llbb.
nullibi D. lbb.
nullifico, as, Cp. lbbc. 2896.
nulline? R. llb.
nullius D. lbb. 966. 355. & R. llb. 1218.
nullius C. lb.
Numa P. bb. 1178.
Numana L. blb. 1754.
Numantia Ip. blbb. 787.
Numantinus Ic. bllb. 1207.
numella L. blb. 84.
Numen C. lb. 1187. 1666.
Numinis D. lbb.
Numenius, νυμη, Sp. llbb.
numerabilis Pd. bblbb. 876.
numerator Pc. bblb.
numeraturus Ac. bbllb.
numeratus Pc. bblb 1572.
numero, as, T. bbc. 2205.
numerosior Pd bblbb.
numerosus Pc bblb. 2080.
numerositas Pk. bblbl.
numerus T. bbb. 1202.
Numicius Ip. blbb. 1754.
Numicus, *fl.* L. blb. 1589.
Numicus, *vir.* T. bbb. 1011.
Numidæ A. bbl. 1597.
Numidicus Cp. lbbb. 2979.
numina D. lbb.
numisma, L. blb. *vide* nomisma.
Numitor T. bbb. 653. *casura.*
Numitoris Pc. bblb. 1193.
nummarius Sp. llbb.
nummatus R. llb.
nummularius Cd. lblbb.
nuncia, æ, D. lbb.
nuncio, as, D. lbc.
nuncius D. lbb. 807.
nuncubi D. lbb.
nuncupo, as, D. lbc. 1178.
nuncupatim Cc. lblb.
nundina D. lbb. 2847.
nundinor D. lbb.
Nuniades, *Iosue*, Ci. lbbl. 3000.
nuper C. lb. 528.
nuperrimus Sp. llbb.
nuperus D. lbb 101.
nuptialis Cc. lblb.
nupturit D. lbb.
Nursia D. lbb. 1764.
Nursinus R. llb.
nurus P. bb.
nuribus T. bbb. 1090.
nutibus D. lbb.

nuto,

obi-

Ocea-

Oceanus, ωx, Cp lbbb. 574.
Ocelis, ωxι, D. lbb.
Ocellus, ωx, R. llb.
ocellus, *paruus oculus*, L. blb. 1984. 1189.
ocello, as, L. blc.
Ochozias, οχ Ii. blbl.
ochus, *fl.* οχ, P. bb.
ochra, *fossile*, ω̃χρα, C. lb.
Ocnus, οx, C. & P. cb.
ocrea D. & T. cbb. 670.
ocreatus Cc. & Pc. cblb.
Ocrisia Ip. & Sp. clbb. 1207.
octaedrum, οδ, Cc. & Cp. lbcb.
octangulus Sp. llbb.
octaphorus Cp. lbbb.
octapla D. & R. lcb.
octasticum Sp. llbb.
octastylus Sp. llbb.
Octauianus Sl. llblb.
Octauius Sp. llbb. 3572.
octauus R. llb. 1042.
octeni M. lll.
octies K. lbl. 2229.
octipes K. lbl.
octipedis Cp. llbb. 1423.
octo, οχδω [illegible]. ll.
October R. llb. 2608.
octocopos, οxο, Cp lbbb.
Octodurum οδε Sc. lllb.
octogesimus Sd. ll. bb. 1857.
octogeni Ss. llll.
octoginta Sc. & Ss. lllc. 2759.
octonus R. llb. 1049.
octophonus, φφω, Sc. lllb.
octophorum Cp. lbbb. 2184.
ocularis Pc. bblbb.
oculatus Pc. bblb. 2935.
oculissimus Pd. bblbb.
oculitus Pp. bbbb.
oculus T. bbb. 640.
ocymastrum, ωx, Cc. lblb.
ocymum, φx, D. lbb. 1445.
ocyor, ωx, D. lbb. 794.
Ocyroe, ω'xυρόη, Ci. lbbl. 1039.
ocyter D. lbb. 2935.

O D

ode, ω'δη, S. ll. 2766.
Odera, ω'δειρα, D. lbb.
oderam D. lbb.
oderit D. lbb.
oderimus Cp. lbbb. 1358.
oderunt M. lll.
Odessus, οδ, L. blb.
odeum, ω'δειον, R. llb.
odi S. ll. 774.
odimus D. lbb. 1169.
odisti M. lll. 1021.
odit C. lb. 1234. 2199.
odiosicus Pd. bblbb.
odiosus Pc. bblb.
odisse R. llb.
odisti M. lll.
Odites B. bll. 1006.
odium T. bbb. 100.
Odollam, οδ, L. blb.
odones, ὀδῶνες, L. blb.
odontagogum γω. ll. blblb.
odontalgia, οδ-για, Id. bllbb.
odontagra Ip. & Ic. blcb.
odor P. bb. 2106.
odoratus Ic. bllb. 1749.
odorifer Ip. blbb.
odoris L. blb. 360.
odorisequus It. blbbb. 3.
odoris, aris, L. blb.
odorus, a, um, L. blb.
odos, oris, I. bl.
Odrysa, οδ, L. & R. clb.
Odrisius Ip. & Sp. clbb. 1993.
Odus, *vates*, ωδ, C. lb.
Odissea ὀδυσσεία, Ic. bllb. 1227.

Oca-

olea-

O M

oppor-

orga-

oua-

pal-

para-

P E

pel-

PER

per-

P E S

PHA

pha-

phi-

PHR, PHT.

phy-

pilula

ple-

P O

pode-

pri-

pro-

pro-

P Y

Pyrgoteles, *ori*, Ci. lbbl. 2935.
pyriphlegeton Pa. & Ia. bcbbl.
pyrites M. lll. 2846. *melius* B. bll. à τοῦ πυρός.
pyrois, entis, *ous*, A. bbl.
pyroenta, *accusat.* Pc. bblb. 2010.
pyromantia, τεια, Pr. bbllb.
pyropus, ωπ, L. blb. 1033.
Pyrrhiades Ci. lbbl. 1151.
pyrrhichius Cp. lbbb.
pyrrhin? C. lb.
pyrum, *fructus*, P. bb. 1445.
pyrus, *arbor*, P. bb 521.
Pythagoras Ci. lbbl. 868.
pythagoreus, ρυ, Dc. lbblb. 2564.
pytheas, θε, K lbl.
pythia D. lbb. 1033.
pythias, adis, D. lbb. 876.
pythius D. lbb. 1406.
pytho, θω', S. ll.
Pytholeon, εΛε, Ci. lbbl.
pythona, *accus.* R. llb. 1033.
pythones, ωνις, R. llb.
Pythonissa Sc. lllb.
pytisma R. llb. 1942.
pyxis C. lb. pyxidis D. lbb.
pyxidas, *accusat.* D. lbb. 1171.
pyxidibus Cp. lbbb.
pyxidula Cp. lbbb.

Q

QVa, *nominatiu. breuis* 2207. *ablatiu. longa* 587. 1154.
quà, *aduerb. longa*, 1042.
quacunque R. llb. 1046.
quadantenus Sp. llbb. 1022.
Quadi S. ll. 2935.
quadragenus Ic. & Sc. cllb. 2935.
quadragesimus Id. & Sd. cllbb. 3000.
quadraginta Ic. & Sc. cllc. 1844.
quadrans I. & S. cl. 2960.
quadrantal L. & R clb. 2470
quadratus, tum, L. & R. clb. 1352.
quadriforis Cp. lbbb.
quadrifidus Cp. lbbb. 574.
quadriga L. & R. clb. 2193. 2722.
quadrijugus Cp. lbbb. 582.
quadrilix A. & K. cbl. 3000.
quadrimus L. & R. clb. 2350.
quadringenta Sc. & Is. cllc. 2156.
quadriuium Cp. lbbb. 473.
quadrum C. & P. cb. 2353.
quadrupedans Ci. lbbl. 670.
quadrupedis Cp. lbbb. 1039.
quadrupes A. & K. cbl. 706. 2600. 2628.
quadruplex A. & K. ccl. 2581
quadruplum D. & T. ccb.
quæcunque R. llb. 975.
quærito, as, D. lbc. 2992.
Quærere D lbb.
quæsieris Cp. lbbb. 1512.
quæsitor R. llb. 641.
quæsitus R. llb. 1052.
quæsiueris Sp. llbb. 1491.
quæso C. lb. 2553.
quæsere D. lbb.
quæstus C. lb.
quæsumus D. lbb. 1809.
qualiacunque Dc. lbblb.
qualicunque Sc. lllb. 1352.
qualis C. lb. 1453.

QVE

QVI

Quin-

QVO

&

R

recom-

refi-

re-

repo-

resu-

R H

R I

ripi-

R O

R V

S

saeui-

saeuire R. llb.
saeuissimus Sp. llbb.
saeuitia Cp. lbbb. 1042.
saga, gæ, C. lb. 1374.
saga, gorum, P. bb. 862.
sagacitas Ii. blbl.
sagaciter Ip. blbb. 2935.
sagana T. bbb. 912.
sagapenum Pc. bblb. 2436.
sagaris *ft.* T. bbb. 1316.
sagatus L. blb. 2185.
sagax I. bl. 2942.
sagena L. blb. 1364.
sagina Ic. bllb. 1423.
sagire R. llb. *vide* presagio.
sagitta L. blb. 1299.
sagittarius Id. bllbb. 1342.
sagittifer Ip. blbb. 670.
sagittipotens Li. blbbl. 416.
sagraba D. lbb.
sagulum T. bbb. 670.
sagum P. lb. 862.
saguntus, *vel* Saguntum, L. blb. 1977.
saguntini Is. blll. 1723.
saites B. bll.
sal, salis, *longa*, 2594. 2638.
salis, *nomen*, P. bb. 1181. 2230.
s[illegible]m P. bb. 195.
sale, *in recto casu*, P. bb. *Ennius l.* 14.
sales I. bl.
sale, *ablatiu. pro mari*, P. bb.
salamandra Pc. bblb. 2089.
salamantica Pd. bblbb. 2935.
salamin, inis, A. bbl. 2404.
salamina, *accusat.* Pc. bblb. 1570.
salaminius Pd. bblbb. 1584. & Salaminiacus At. bblbbb.
salapinus Pc. bblb. 1584.

salaputium Pd. bblbb.
salar P. bb. 2590.
salaria, uia, Ip. blbb. 2142.
salarius Ip. blbb. 2040.
salarium Ip. blbb. 2096.
salassi B. bll. 2935.
salax I. bl. 1176.
salacia Ip. blbb.
sale, *vir*, σαλά, P. bb.
salebin, *ιβιν*, A. bbl.
salebra T. & L. bcb. 1006.
salebrosus Ic. & Pc. bclb. 717.
salem, σαλήμ, I. bl.
salentini Ss. llll. 614.
salernum L. blb. 1754.
sales, *vide post* sal.
salgama D. lbb. 2548.
saliaris Pc. bblb. 772.
salicetum Pc. bblb.
salicippium Pd. bblbb.
salictum L. blb. 1048. 521.
salignus L. blb. 1124. 656.
salij A. bbl. 1189.
salila, & salilum, L. blb. 506.
salina L. blb. 2727.
salinator Ic. bllb. 2979.
salinum L. blb. 791.
salio, lis, T. bbc. 574.
salis, *verbum* I. bl.
saliere Pc. bblb. 574.
salire L. blb.
salisa, *Hebræis*, K. lbl.
salitor L. blb.
saliturus Ic. bllb. 2987.
saliua L. blb. 1601.
saliunca Pc. bblb. 539.
salix Ii. bl. 529.
salicis T. bbb. 521.
sallere D. lbb. 235.
salmacis D. lbb. 1614.
salmaci, *vocatiu.* D. lbb. 1047.
salmana, *Hebr.* D. lbb. 2987.

R

rasus

R E

recom-

refi-

re-

resu-

R H

R I

ru-

S

ſacui-

san-

saxi-

saxifragus Cp. & Sp. lcbb.
saxones, ονες, D. lbb. 2723.
saxonia Cp. lbbb. 2935.
saxosus R. llb. 2662.

S C

scabellum L. blb.
scaber P. bb. 574.
scabere T. bbb. 919.
scaberat, à praterito, scabi, D. lbb. 235.
scabies A. bbl. 1826.
scabie A. bbl. 1826.
scabina L. blb.
scabiosus Pc. bblb. 1500.
scabo, bis, Pc. 922.
scabrities Ci. & Pi. cbbl.
scaeuola D. lbb. 1779.
scala C lb. 610.
scalenus, ην, L. blb.
scaliger D. lbb.
scalpere D. lbb.
scalpina R llb.
scalprum C. lb.
scalptorius Sp. llbb.
scalpurigo Cc. lblc.
scalpturit D. lbb.
scalpurit D. lbb.
scamander L blb 491.
scamillus L. blb. 2979.
scammonia, ωνία, Sp. llbb.
scandalizat Cc. lblb.
scandalum D. lbb. 2500.
scandia, nauale, δια, R. llb.
scandere D. lbb. 1212.
scandite D. lbb. 683.
scandix S. ll. scandicis R. llb.
scandula D. lbb.
scandulaca Cc. lblb. 2979.
scansilis D. lbb.
scapha P. bb. 826.
scaphium, φι, T. bbb. 382.
scaptensula Sp. llbb. 382.
scapula T. bbb. 1352.
scapularis, re, Pc. bblb.
scapus, σκήπος, C. lb.
scarabaeus Pc. bblb. 2548.
scardona, ων, R. llb.
scarifico, à caro, carnis, Pp. bbbc. sed ob necessit. Cp. lbbb. 2992.
scarites, gemma, B. bll.
scarus P. bb. 1369.
scatebra L. & T. bcb. 561.
scatere, à scateo, L. blb. 823.
scatere, à scato, T. bbb.
scaturigo Ic. bllc.
scaturire Ic. bllb. 2526.
scelerare Pc. bblb. 614.
sceleratus Pc. bblb. 577. 1215.
scelerosus Pc. bblb.
scelestior Ip. blbb. 98.
scelestus L. blb.
scelus P bb. 1415.
sceleris T. bbb.
sceletus, σκέλετος, T. bbb.
scena, σκηνη, C. lb 1249.
scenai, genitiu M. lll. 925.
scenaticus Sp. llbb.
scenatilis Sp. llbb.
scenicus D. lbb. 1227.
scenopegia, σκηνοπηγια, Cd lblbb
scheda, εδ, P. bb. 2146.
schedula T. bbb.
schema, ημ, C. lb.
schematis D. lbb. 2797.
schematismus Cc. lblb.
schinus, arbor, χῖν, C. lb.
schismata D. lbb.
schismaticus Cp. lbbb.
schrenobates, οβ, Ci. lbbl.
sceua, ευα, C. lb.
schola, ολ, P. bb. 2088.
scholasticus Ip. blbb.
scholiastes Ps. bbll.
scholicus T. bbb.

semia-

ſep.

sesa-

S I

Sice-

sim-

ſino-

sc-

SO

sos.

ſcrobs,

ſemia-

ſep-

sesa-

S I

sim-

ſino-

sc-

SO

ſos,

spi-

ſqua-

S T

ſter-

stra-

sua-

suda.

supre-

S Y

Ta-

T

T E

tergus,

T O

totius

T V

turpitudo Cc. lblc.
turribus D. lbb.
turricula Cp. lbbb.
turriger D. lbb. 666.
turritus R. llb. 1161.
turtur C. lb. 521.
turturis D. lbb 2987.
turunda L blb. 2 79.
Tusculanum Cc. lblb.
Tusculum D. lbb. 1749.
tussedo, inis, R. llc.
tussicula, *à tussire*, Sp. llbb.
tussiculosus Sl. llblb. 2979.
tussilago Cc lblc.
tusus, a, um, C. lb. 2987.
tutaculum Sp. llbb.
tutamen R. llb 2987.
tutari M. lll.
tute, *pronomen*, C. lb.
tutela R. llb. 1336.
tutelaris Sc. lllb.
tutemet D. lbb. 355.
Tuticanus Cc. lblb. *& necessit. aliter* 1319. 1320. *vide 2. Indic.*
tutior D. lbb.
tutissimus Sp. llbb. 1039.
tutius D. lbb.
tutò, *aduerb.* S. ll. 1227.
tutor, aris, C. lb. 656.
tutor, oris, C. lb. 1237.
tutudi A. bbl. *vide* contudit.
tutulatus Pc. bblb.
tutuli, *capilli conuoluti*, A. bbl.
tutus C. lb. 924.
tuas, atis, I. bl.

T Y

Tyana, *vrbs*, T. bbb.
tyaneius Pd. bblbb. 1061.
tyanæus Pc. bblb.
tybi, *mensis*, C. lb.
tyche, χη, I. bl.
tychius T. bbb, *sic* Tychius 1189.
tydeus, δεύς, S. ll. 1694.
tydeos, *genitiu.* D. lbb. 1691.
tydides, ιδ, M. lll. 1713.
tydide, *vocatiu.* M. lll. 597.
tylos, *insula*, P. bb. 2476.
tympanicen Cp. lbbb. 1935.
tympanistria Cd. lblbb.
tympanites Cs. lbll.
tympanotriba, or, Cd. & Ct. lbcbb.
tympanum D. lbb. 814.
tyndareus, *substantiu. pivo* K. lbl. 1991.
tyndareus, a, um, Cp. lbbb.
tydarides Ci. lbbl.
tyndaris, idos, D lbb. 923.
tyndari, *vocatiu.* D. lbb. 1140.
tyndaridæ Ci. lbbl.
tyndarus D. lbb.
typho, onis, P. bc 2827.
typhoeus, τυφωεύς, B bll. 692. (597.
typhoeus, a, um, Ip. blbb.
typhoeos, *genitiu.* Ip. blbb. 1197. 1791.
typhoea, *accus.* Ip. blbb.
typhois, oidos, L. blb. 1151.
typhon, ων, I. bl. 1589.
typhus, *tumor*, τῦφος, C. lb. 2418.
typicus T. bbb. 2762.
typographia Pt. & It. bcbbb. (bcblb.
typographium, φῖ, Il. & Pl.
typus P. bb.
tyras, *fl.* I. bl. 1316.
tyrannicida Lc. blblb.
tyrannidis, *genitiu* Ip. blbb. 1919.
tyrannus L. blb. 1940.
tyrianthinus Pd. bblbb. *Martial.*

Tyri-

V

V B

VD, & VE

vene-

ves-

V I

vi-

V L

ulyss-

vp:l:o

VP, & VR

VS, & VT

xeno-

xenophanes Pi. bbbl.
xenophon, ξενοφῶν, A. bbl.
xenotrophium, φεῖ, Tc. & Lc. bcblb. (1879.
xerampelinus, ηρ, St. llbbb.
xerolophus, ηρολο, Cp. lbbb.
xi, littera, ξι, longa.
ximene, ηνη, B. bll.
xiphias, φι, A. bbl. 1328.
xiphoides, οειδ, Ps. bbll.
xylinus T. bbb.
xylobalsamum Pd. bblbb.

Y

Ypsilon, littera Graca, ὕψιλον, D. lbb.
Ypsipile, lege Hypsipili.

Z

zabulon, ζαβουλών, B. bll.
zabulus L. blb. & D. lbb.
Zacharias Ci. lbbl. 2489.
Zachæus R. llb.
zacynthus L blb. 614.
Zalates A. bbl. 1826.
Zaleucus L blb. 2565.
Zama P. bb. 1727.
Zancle, λη, S. ll.
Zancleus, λευ, R. llb.
Zares, ζωαρ, S. ll.

Z E

zea P. bb.
zeb, ζηβ, longa.
Zebedæus, εβε, Pc. bblb.
zedoaria, εδο, Pd. bblbb.
Zelotes, ηλω, M. lll.
Zelotypia, ετυπι, Ct. lbbbb.
Zelotypus Cp. lbbb. 1892.
Zelus, ζῆλος, C. lb.
Zenon, νων, S. ll.
Zenonis, ων, R. llb.
Zenonas, accus. plur. R. llb. 2278.
Zenodorus, ηρ, Cc. lblb.
Zenodotus, οδο, Cp. lbbb. 2565.
zephyritis Pc. bblb. 262.
Zephyrus T. bbb. 1129.
zerinthus, ηρ, R. llb. 1224.
zeta, littera Graca, ζῆτα, C. lb. 2602.
zethus, ηθ, C. lb. 1052.
Zeugmatis D. lbb. 1642.
zeus, Iupiter, Ζεύς, longa.
zeuxidis, genitiu. D. lbb. 2935.

ZI, & ZO

zingiber D. lbb. 2418.
zinzilulo Cp. lbbc. 1330.
zizania, orum, Cp. lbbb. 2776. vt Prudentio, & Fortunato, Sp. llbb.
ziziphum, fructus. D. lbb.
ziziphus, arbor, D. lbb.
zedoara Pc. bblb.
Zodiacus, ωδ, Cp. lbbb. 2615.
zoe, ωη, S. ll. 2985.
zoilus, ωι, D. lbb. 2093.
zona, ων, C. lb. 458.
zonaras, ων, K. lbl.
zonarius Sp. llbb.
zonatim R. llb.
zonula D. lbb. 488.
zoophagus, ζωο, Cp. lbbb.
zoophytum Cp. lbbb.
zophyrus, ωπ, D. lbb. 2987.
zoroastres, ωρο, Cs. lbll.
zorobabel, ζοροβάβελ, Pg. bbbb.
Zosimus, ωσ, D. lbb.

Z Y

zygitæ B. bll.
zygostates Ii. blbl.
zymosis, ωσ, R. llb.
zythum C. lb. 1445.

IN-

INDEX SECVNDVS SYLLABARVM CONTROVERSARVM,

Præter eas, quarum controuersia breuis in Primo Indice solui potuit.



AARON Græcè apud Septuaginta interpretes, Ἀαρών, vltimam procul dubio longam habet. Hebraicè autem solam illam; nam reliquæ duæ breues sunt, cum prima scribatur per *Chatef patach*, nempè A breuissimum; secunda verò per *Patach*, idest A breue. Rectè igitur vtramque corripuere Tertullianus, Fortunatus lib. 3. de vita beata, & Mattheus Toscan. in psalm. 115. quorum exempla ordinatim sunt.

Tert. *Hic Aaron est virga, crucis quæ germina profert.*
Fort. *Legifer ipse iacet Moses, Aaronque sacerdos.*
Tosc. *Tu proles Aaron Domino confide potenti.*

Atque adeo penultima in pronunciando nec acuenda, nec inflectenda est, sed accentus acutus, aut more Latino in antepenultimam retrahendus, aut Græcè, vel Hebraicè in vltimam promouendus. At non rectè nouissimus quidam Poeta vtramque produxit, cum primam saltem corripere debuisset, tum quia breuissima est Hebræis, tum quia sic requirebat regula Græcorum, Latinorumque de Vocali ante vocalem, dum cecinit.

Aaron timidus vituli conflatilis author.

Quod si per synæresim *Aaron* fiat dissyllabum, aut per Crasim vnum Alpha in altero includatur, & fiat *Aron*, poterit prior produci imitatione nostri Antonij Millíei, qui in suo Moyse Viatore lib. 4. & 13. primum synæresi, deinde Crasi sic vsus est.

Aaron agmen aget, primaque in fronte subibit.
Armataque manu flammis Aronia sacra.

At Prudentius in Psychomachia, secundam credo, quia minus breuis est, quàm prima apud Hebræos, atq; adeo com-

comparatiuè longa, non dubitauit eam producere illis versibus.

Huius forma fuit sceptri gestamen Aaron.

Sacricolæ summi: summus nam fertur Aaron.

Sed neque Mantuanus obseruauit legem Craseos, cum l. 2. Partheniacorum versum illum effudit.

Disce Deum, sicut virides produxit Aronis.

ABACVC, vel Habacuc legitur in Latinis Biblijs: sed Septuaginta Interpretes in Græco exemplari Romano Sixti V. authoritate correcto habent ἀμβακούμ, & ibi Latina versio Ambacum. At Suidas in Vocabulario habet ἀββακούμ, additque esse nomen compositum ex ἀββᾶ Pater, & κούμ, excitatio iuxta radicē Syriacam, iuxta quam illud CHRISTI apud S. Marcum cap. 5. Ταλιθὰ κοῦμι, significat *Talitha, excitare*, seu *Puella expergescere*. Sed, & Martyrologium Græcum ad diem 19. Ianuarij habet αὐδιφάκου, καὶ ἀββακούμ. Quapropter sine aspiratione, sed per duplex B, scribendum videtur tam Abbacuc, quam Abbacum, tanquam synonyma, & prima ob vim positionis, vltima vero ob diphthongum Græcam producendæ viderentur. At Hebraice Prophetæ illius nomen est *Chabacuc ex Chaua*, quod est complectens, & habēt primam breuissimam, secundam breuem. Quare dummodo secunda corripiatur, licebit primam pro arbitrio corripere iuxta Hebraicam radicem, vel producere iuxta Syriacam, aut Persicam. Corripuit vero illam Nicolaus Ondartus in Ephemeridib. Ianuarij die 19. dicens.

Audiface atque Abacho tendunt ad mœnia Romæ.

Produxit autem Prudentius hymno 4. Cathemerinon. in eo Hendecasyllabo.

Quas Messoribus Abacuc Propheta.

Esto illum non approbet P. Ludouicus Cauallus in Ianua Musarum, verbo Habacuc. Solet autem Latina, & Vulgata translatio pro *Ch.* initiali, ponere H, & sic non male scribitur *Habacuc*.

ABBATIA penultimam habet breuem, inquit P. Ludouic. Cauall. pag. 957. Ianuæ Musarum, secutus P. Philippum Labbe, qui ait malè in Lexicis scribi ἀββατεία Verum si hoc nomine significetur dignitas, ac munus, quo funguntur Abbates, nō dubito quin rectè scribatur ἀββατία, penultima breui quidem, sed acuta. Iam si locus in quo Abbates exercent, aut in quem habent iurisdictionem significetur, non continuo damnauerim illa Lexica, qui scribunt vel ἀββατεία, vel

ἀβ-

ἀββάτυα. Id enim fit in pluribus alijs locorum nominibus, quorum propterea producitur penultima.

ABANA, ἀβανά. Hebraicè primam quidem breuem, sed secundam longam habet, & tamen P. Cauallius subscribit Millieo corripienti secundam lib. 8. Moysis Viatoris sic.

Quamq; Abanā, sed nunc lymphas in cuncta salubres.
credo quia cōsuetudo obtinuit, vt pronuncietur absq; accentu, de qua vide quæ diximus de Accentu Parte VIII. Prosodiæ.

ABDIAS. In Ianua Musarum recitatur ex 8. Fastorum Bapt. Mantuani versus hic.

Scilicet Abdiam, Carmelicolamque Helisæum.
ad cuius metrum firmandum additur penultimam in *Abdia* scribi per ιι. Atqui in Græcis, & Græcolatinis Biblijs, & versione 70. Interpretum iussu Sixti V. emendata habetur perpetuo ἀβδιού, vt 3. Regum c. 18. nouies: & in Prophetis habetur ἀβδιού; ideoque penultima breui, esto acuta. Quare non malè quoad hoc Tertullianus.

Osea, Amos, & Micheas, simul Abdias, Ionas.

ABORITVR, penultimam communem habet, vt & adorimur, prout deducimur ab *orior oreris*, tertiæ coniugationis, vel ab *orior, oriris* quartæ. Esto in infinitiuo semper sit quartæ, nec vsitatum sit *ori*, sed *oriri*, contra vero *morior*, quod olim fuit quartæ quoque, nunc sit tantum tertiæ, nec vsurpetur *moriris*, vel *moriri*; sed *moreris*, & *mori*. Fuisse autem quartæ quoque coniugationis, docet Ausonius Pompa l. 1. de vsu sermonis antiqui c. 19. Vossius lib. 3. de Analogia c. 35. idque persuadent Ennius 14. Annalium, Terentiusque in Eun. act. 3. sc. 1. dicentes.

Nobis ostendat, si viuimu', siue morimur.

Ter. *Risu omnes, qui aderant, emoriri.*

Et Plautus in Vidularia.

Malim moriri meos, quam mendicarier.

Pomponius quoque in Arista.

Noli quæso irascere; more fit
Moriri suam quisque vxorem vt velit.

ABRAHAM. Ἀβραάμ secunda scribitur Hebræis per *Kametz*, seu A longum; scitè igitur Prudentius, Arator l. 2. & S. Sidonius Apollinaris l. 7. Ep. 17. cecinerunt.

Prud. *Eripit Abraham, cum stirpe, & gente fideli.*

Arat. *In qua prole patrem mundi se credit Abraham.*

Sidon. *Abraham sanctis merito socianda patronis.*

Qui

Qui autem illa corripere visi sunt, aut synæresis vsu fecere *Abraham* dyssillabum, aut declinando nomen hoc Latinè, Latinam quoque legem de Vocali ante Vocalem sectati sunt. Quos inter ecce tibi ordine nominum versus Tertulliani l. 3. S. Paulini de obitu Celsi, Bapt. Mantuan. l. 1. Parthen. & Gilberti Fillolij 10. Regum

Est Abraham, cuius gnatos vos esse negatis
Pauper in Abrahamo; diues in igne iacet.
Lanigeras Abrahamus opes per littora pascens
Arbeadum vidit fumos Abrahamus ab vrbe.

Contra qui produxere secundam in *Abramus*, & *Abramius*, Crasis vi possunt excusari, vt idem Fillolius l. 1. Reg. & 50.

Hactenus his mihi consiliis Abramia proles
Hac genesi Abramus ducens exordia vita.

melius vtique quàm l. 4. vbi Crasi facta, corripuit tamen dicens.

O domus Abramidum, cæli lectissima proles.

Denique crasi vsi sunt, sed retento nomine indeclinabili Helpidius Rusticus, ac Prudentius dicentes.

Ducit Abram, fidei meritum est, nec parcere nato,
Abram, parenti dictus Abraham Deo. Iamb.

Vbi alludit ad illud Genesis 17. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham, &c.* vnde patet melius esse abstinere à Crasi.

ABSALOM, apud 70. Interpr. ἀβεσσαλώμ, apud Hebræos habet secundam A scriptum per *Kametz*, nempe A longum, &, si formetur more Latino *Absalomus*, penultima propter ω producenda est: vtrumq; seruauit Fillolius 3. Regum dicendo.

Fert Absalomus, tacitis at sensibus, ægrè.

Alterum verò Prudentius.

Solus Abessalem lacerans pia viscera ferro.

Neutrum nuperus Poeta Gen. cum dixit.

Absalomus, cui pulchra coma, cui martia Sampson.

Stetisset nihilominus sententia, & versus, si dixisset *Absalom*.

ABSCIDIT. Virgilianum illud 3. Æneides.

. . . . venit medium vi pontus, & vndis
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaque & vrbes.

inepti glossematis ansam præbuit Seruio, nẽpe dicendi penultimam in *abscidit* propter metri necessitatem correptam fuisse poeticè; alioquin esse à cædo, & penultimam flectendam producendamque esse, quam in sal-

fallaciam traxit etiam Calepinum. Sed aliud significat abscidit quando est à *cædo*, vt illud Ciceronis 11. Philippica.

Post autem caput à ceruicibus abscidit;

aliud quando est à *scindo*, vt illud eiusdem 3. in Verrē: *Aquilium constituit in conspectu omnium, tunicamque eius à pectore abscidit*. Quando enim deriuatur à *cædo* significat separare aliquid ab aliquo, non quouis modo, sed cædendo, & instrumento aliquo, quod habeat vim secandi, ac cædendi, & tunc penultimam longam habet; idque scitos Poetas seruasse obseruauimus. Sic Germanicus Epigrammate de puero Thrace glacie in flumine necato.

Dumque imæ partes rapido traherentur ab amni,
Abscidit tenerum lubrica testa caput.

Et Lucanus lib. 4. vbi enim alij malæ reponunt *abscindit*, vetusti codices cum Aldina editione habent.

Abscidit nostra multum sors inuita laudi,
Quod non cum senibus capti, gnatisque tenemur.

Idemque lib. 6. loquens de Maga Thessalia.

Illa comam læua morienti abscidit ephebo.

Et Martialis l. 3. Epigr. 56. in Antonium, esto enim Duza corrigendum putet, ac legendum, *Abscidit heu vultus*: antiqui tamen codices consensu miro habent:

Abscidit vultus ensis vterque sacros.

Quibus locis abscidit significat, *amputauit, secuit, cecidit*, vt & illud Ioannis 18. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram*: Græcè habetur ἀπέκοψεν, quod significat *intercidit*, vel *cædendo separauit*. Cæteri autem Euangelistæ Matth. 26. Marc. 14. Lucas 22. habent Græcè ἀφεῖλεν, Latinè *amputauit*.

Verum quando *abscidit* deriuatur à *scindo*, & significat separationem, aut diuisionem factam, non instrumento aliquo sectorio nec cæsim, sed lacerando, impellendo, auellendo, abrumpendo, aut aliquo alio modo separando, qui non fit propriè cædes, tunc penultimam breuem habet, & hoc sensu Virgilius Siciliam vi æstuantis maris auulsam ab Italia, vt supra retuli, dixit: cui simile est illud Horatij lib. 1. od. 3. in carmine Glyconio.

Nequiquam Deus abscidit
Terras Oceano dissociabili.

Et Ouidij 1. Metamorph.

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit:

Nam

Nam cælo terras, & terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrenit ab aere cælum.
Et 4. Fast *Auferor ipsa sinus absciderat que suos.*
Et 12. Metamorph. loquens de arboris cadentis ictu e non *abscidit iugulo*, vt Aldina, sed vt antiquiores editiones; *Abscidit à iugulo pectusq; humerumque sinistrum.*
Lucanus pariter lib. 3.

. . . . . Qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas.

Et Catulus ad Manlium

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abscidit: ò misero frater adempte mihi.

Quamquam fateor hoc loco Aldinam, & aliquod alias vetustiores editiones habere *Abstulit*. Certum tamen est cũ penultima est ab abscindo, corripi; quia præteritum scidi breuem habet priorem, vt patet exemplis in primo Indice indicatis, & antiquitus geminatum vsurpabatur, nempe pro *scidi* erat *sescidi*, vt apud Plautum in Pseudolo act. 3. Iambico illo.

Nam ego cicilendrum quando in patina sescidi:

at produci æque certum est cum est à cædo, cuius præteritum est cecidi, vel vt putant Thesaur. linguæ Latinæ, & Vossius l. 2. de Arte Grammatica c. 18. ab *abscido*, quod ipsum tamen fatentur coaluisse ex *abs*, & *cædo*. Placet autem hac occasione discrimen horum verborũ firmare facto, & verbis Danielis Proph c. 13. adiuncta versione 70. Interpretum cum vulgata: cum enim prior calumniatorũ Susannæ respondisset vidisse se illam ὑπὸ σχῖνον, nempe sub Schino, quæ arbor Latinè vocatur Lentiscus: mox S. Propheta alludens siue ad Etymõ vocabuli, quod est à verbo σχίζω, quod est *lacero, diffindo, scindo*; subintulit: *Rectè mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei, accepta sententia à Deo, scindet te medium.* Græcè habetur σχίσει μέσον. Verùm cum alter respondisset ὑπὸ πρῖνον: *sub Prino*, quæ aut est Ilex, aut frutex, ex qua coccum, tum S. Daniel, spectata radice verbi πρίω, quod est *seco*, vel *serra diuido* adiecit: *Rectè mentitus es, & tu in tuijpsius caput tuum: manet enim Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium*, nec rectè vertisset interpres, vt *scindat*; siquidem scissio non gladio fit, sed aliter.

ABSIS, absidis, vel apsis apsidis; Græcè scribitur ἀψίς, ἀψῖδος, penultima in obliquis circumflexa, adeoque longa; quod adnotauit noster quoque Gretserus lib. 3. Instit. Linguæ Græcæ cap. 10. Reg. 3. ext. 4. nec deest exem-

exemplum ex 5. Iliadis, vbi Homericum hexametrum sic legitur.

Μή πως σ' ὡς ἀψῖσι λίνου ἁλόντε πανάγρου.

Similiter Archestratus, apud P. Ludouicum Caualsium pag. 977. Ianuæ Musarum.

Κράναι ὅταν φαέθων τομάδην ἀψῖδα διφρεύῃ.

Et Euripides à Smetio adductus in Iambico carmine.

Ἀψῖδα πέτρῳ προσβαλὼν ὀχήματος.

Haud igitur scite auctor Thesauri Linguæ Latinæ, & Millieus in Moyse Viatore penultima *apsidis*, & *apsida* corripuere.

ABSTEMIVS. Non dubium quin secunda possit produci cum Horatio lib. 1. Epist. 12.

Si forte in medio positorum abstemius herbis.

Et cum Ouidio 15. Metamorphoseon.

Vina fugit, gaudetque meris abstemius vndis.

Et cum Iulio Cęsare Scaligero, in Phaleucio carmine.

Hic abstemius, ille temulentus.

Controuersum tamen est, an possit corripi quoque, vt affirmat Quintianus Stoa Epographe 6. cap. 3. nam versus, quam adducit ex C Rabirio in Lucilium, qui-que tribuitur ab alijs ipsi Lucilio, & à Fulgentio, nescio cui Rubrio, non euincit: cum possit scandi cum synæresi, & fieri spondeus non minus quàm dactylus primus ille pes, siue legas cum Stoa.

Abstemium temulenta fugit Mecania nomen.

Siue cum Vossio l. 2. c. 37.

Abstemium merulenta fugit Methenia nomen.

Aliunde tamen suaderi potest breuitas secundæ huius syllabæ, nempe ex *temeto*, nam *abstemius* teste Fabio Quintiliano l. 1. c. 7. dicitur qui abstinet *à temeto*, idest à vino; & contra ebriacus dicitur *temulentus*, ab immoderato vsu *temeti*; At prima in *temeto*, & *temulentus*, communis videtur, igitur & secunda in *abstemius*. De *temulento* exempla iam ex Rabirio, seu Lucilio adduximus, fauetque Prudentius in Symmachum l. 1. qui primum corripit.

Hoc circumsaltante choro temulentus adulter.

Eandem tamen producit Scaliger, vt paulo ante vidimus, & Donatus productā à Terētio censet illo versu.

Perij, temulenta es; vtinam sic sint qui mi male volunt.

Superest de *temeti*, prima; quam produxit Horatius lib. 2. epist. 2.

Pullos, oua cadum temeti, nempe modo isto.

Sed eandem corripuit Iuuenalis Satyra 15. si cum Stoa, & legas:

De

De Corcirea temetum deduxerat vrna.

Vossius tamen l.2. Art. Gram. c.17. Smetius, Ludouicus Caualli in Ianua Musarum, & Ioannes à Planis in Dictionario Poetico legunt.

De Corcyrea temetum duxerat vrna.

Alioquin non prima tantum, sed secunda correpta fuisset à Iuuenali, nec ex Comicis versibus Plaut. in Aulularia Act. 2. Scena 3. certi esse possumus.

Cererin? Strobile has facturi nuptias?

Qui? quia temetis nihil allatum intelligo.

Nec ex Truculenti loco illo.

Siue adeo caret temeto, tamen ab ingenio est improbus.

Muretus certè in Galliambo in Bacchum (vt habetur in Commentario ad Catullum corripuit saltem secundam in *temeto* sic.

Vbicunque lusitarus noua flumina temeti.

Et Græcè μεθύω est inebrio; vnde gemma obsistens ebrietati dicitur ἀμέθυσος, cur igitur non admittamus, primam & secundam communem?

ACADEMIA. Penultimam communem esse plerique censent cum Stoa, Despauterio, Smetio, Caualli, qui addit scribi quandoque per ει, quod verum esse potest quando significat locum; quando autem ipsam Sectam, scribitur per *Iota* sic ἀκαδημία Breuis porro est apud Claudianum in Paneg. Manlij.

In Latinum spretis Academia migrat Athenis.

Et apud Sidoniũ Apollinarẽ in Epithalamio Polemij.

Obruat & quamquam totis Academia sectis.

At longa est penes Ciceronem in Aratum aut 1. de diuinatione.

Inque Academia vmbrifera nitidoque Lyceo.

Quem imitatus est libertus ipsius Laurea Tullius, vt est apud Plinium lib. 31. c. 2.

Atque Academia celebratam nomine villam.

Quæ duo postrema carmina Sulpitius peruersè metiebatur, vt refert Quintianus Stoa Epographe 6. c. 3. etenim in *Academia* duas primas producens tertiam & quartam corripiebat, cum tertia manifestè longa sit, quia scribitur per η, & de breuitate duarum priorum constet ex Horatio l. 2. Epist. 2. & Claudiano.

Atque inter syluas Academi quærere verum

Docta peregrinas voces Sophiamque Academi.

Vix autem excusari queat Mantuanus in Brixiæ laudibus dicens.

Legit Academicos per prata virentia flores.

Multoque melius alibi dixit. In-

Inter Socraticos, & rura Academica carnes.

ACELDEMA, seu *Haceldema* de quo in Actis Apostolorum c. 1. vbi habetur ἀκελδαμὰ, τοῦτ᾽ ἐστι, χωρίον, αἵματος. *Aceldama, hoc est ager sanguinis*, & Matthæi 27. pro *Haceldama*, quod Latina versio adiecit. Græcè non habetur nisi Ἀγρὸς αἵματος. *Ager sanguinis*. Nomen porro illud fuit Syrocaldaicum, & secunda sui parte Græcismum continens: Græcè enim αἷμα αἵματος, significat sanguinem; proinde ob diphthongum in ea crasi latentem, producenda est penultima. Quod præstitit Prudentius apud Smetium.

Campus Aceldemach sceleris mercede nefandi.

Et Dominicus Mancinus de Domini Passione.

Fertur Haceldemac, hoc est à sanguine campus.

Haud ita Georgius Æmylius in festo S. Matthiæ.

Omnis adhuc hodie Iudæus Akeldama dicit.

ACIS. Acidis Pastor olim, deindè versus in fluuium Siciliæ frigidissimum, ac velocissimum primam correptã habet apud Claudianum 3. de raptu Proserpinę.

Lucus erat prope flumen Acin, quod candida præfert.

Vbi malè Parrhasius legis *Acis* in genitiuo, ideoque notat indulgentiæ nimiæ Ouidium, genitiuo Acidis vtentem. Sed nos potius audiamus Ouidium, qui prima in hoc nomine producens 13. Metamorph. non semel canit.

Accis erat Fauno, nymphaque Simethide cretus.
Accidis, in nobis fuerit præstantior, edam.
Acidis in gremio residens procul auribus vsi.
Acin amas? præfersque meis amplexibus Acin?
Me videt atque Acin: videoque exclamat & ista.
Acis erat sic, & quoque erat tamen Acis in amnem
Versus, & antiquum tenuerant flumina nomen.

Et 4. Fastorum.

Præterit & ripas, herbifer Aci, tuas.

Produxit & Silius lib. 14.

Quique per Ætnoes Acis petit æquora fines,
Et dulci gratam Neredia perluit vnda.

Et ante hos Theocritus Idyllio.

Οὐδ᾽ αἴτνας σκοπιὰν, οὐδ᾽ ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ.
Nec fastigium Ætnæ, non sacras Acidis vndas.

Vbi vides Parrhasij sphalma incremento huius nominis aduersantis. De situs fluminis huius, & origine atque etymo eruditissimè Cluuerius lib. 1. Siciliæ Antiquæ cap. 8.

ACRISIVS. Secundam nominis huius productam ma-

manifestat Ouidianum carmen 13. Metamorphos.

Nam mihi Laertes pater est, Acrisius illi.

Vtrumuero eandem 4. Metamorphos. corrupuerit dubitatur à quibusdam; siquidem pes primus synizesi facta potest esse spondeus in illo versu.

Acrisius superest, qui mœnibus arceat vrbis.

Simili figura possunt iniri à spondeo versus eiusdem 5. Metam. si bis vsurpetur synæresis.

Acrisioniades, adigitque in pectus, at ille
Acrisioneas Proetus possederat arces.

Sic duplicando eandem synæresim posset quis à spondeo Virgilij carmen 7. Æn. exordiri.

Acrisiones Danae fundasse colonis.

Et spondaico concludere eiusdē versum in Opusculis.

Regia non Semele, non Inachis Acrisione.

At ò quam dura, & violenta est illa tot locis, & geminatim conquisita synerесis, quæ absque euidenti necessitate astruitur: deinde non sinit dubitare nos Horatius de *Acrisio* patre Danaes, cum l. 3. ode 16. Asclepiadeo Choriambico canit.

Inclusam Danaen turris ahenea, &c.
Si non Acrisium virginis abditæ.

Dixi de Acrisio patre Danaes, nam quando producitur secunda sermo est de patre Laertis, auoque Vlyssis, vt obseruauit Quintianus Stoa 6. Epographe c. 3. addens cum Aldo legendum *Arcesium*, non *Acrisium*; eo quod Homerus Laertem in Odissea vocet Arcesiadem versu illo.

Λαέρτην ἀρκεισιάδην πατέρα ἤμμεναι αὐτοῦ.

Idest *Laertem Arcesiadem patrem ipsius esse.*

Consentit Aldinæ emendatus meus codex, vbi Vlysses apud Ouidiū 13. Metamorph. in Aiacem tertium gradum consanguinitatis suę à Ioue deducentē per Telamonem patrem, Æacum Auum, & Iouem Proauum, concludentemque *sic à Ioue tertius Aiax*, de se totidem gradus à Ioue canit dicens.

Nam genus, & Proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco, sed enim quia retulit Aiax
Esse Iouis pronepos: nostri quoque sanguinis author
Iuppiter est, totidemque gradus distamus ab illo:
Nam mihi Laertes pater est; Arcesius illi;
Iuppiter huic; neq; in his quisquam damnatus & exul.

ACTÆON. Actæonis: Suidas in Vocabulario habet in obliquo casu ἀκταίωνες, quia vero lib. 3. Epigrammatum Græcorum Epigram. 494 habetur ἀκταιονίδων

tertia

tertia breui addit συνέςειλε δὲ τὸ ω, διὰ τὸ μέτρον, hoc est: *Corripuit autem omega propter metrum*. Pausanias quoque, vt apud P. Cauallium obseruauit noster Labbeus in Bœoticis, ac Phocius, minimum decies crementum nominis huius scribit per ω, ideoq; concludit in prosa producendum, esto corripiatur à Poetis non solum Latinis, sed & Græcis: quippe cum Callimachus in Lauacro Palladis scribat per *omicron*, & contrahat. Euripides tamen per ω scripsit, & produxit in Bacchis eo Iambico versu.

ὁρᾷς τὸν Ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον.

Num cernis Actæonis impromum necem?

Igitur vtrouis modo vsurpari potest non in poesi solum, sed & in prosa præsertim cum Græcolatinum nomen liceat pronunciare, vel cum accentu Græco, qui antepenultimam occupat, vel iuxta quantitatem penultimæ, quæ, vt docui, communis est.

ÆNEIDOS. Cum triplici exemplo in primo Indice docuerim id fieri aliquando trisyllabum: si tamen audiatur Quintianus Stoa Epographe 6. c. 3. ita est quadrisyllabum, vt secunda corripi possit, ait enim Græcos in diphthongo, ει, aliquando abijcere *Iota*. At non scribitur ἀνειίδος, sed αἰνηίδος: melius est igitur recurrere ad synæresim.

AFFATIM. Secundum corripit Accius in Prometheo, iambico illo.

Tum iecore opimo farta, & satiata affatim.

Corripit & Prudentius hymno 8. Cathemerinon, sapphico illo.

fruimurque mensis

Affatim plenis, quibus imbuatur.

Videtur tamen Quintiano Stoæ posse etiam produci tum quia de sententia Festi Pompei dictum est à copia fandi, seu à fatu: tum quod Arator l. 2. historiæ Apostolicæ ita cecinit.

Suppetit affatim exemplorum copia nobis.

Seruius quoque ait *fatim*, idem esse ac abundè, & inde compositum, *affatim*, at refragatur Gerardus Vossius lib. 2. de Art. Gram. c. 39. & in appendice ad illum librum, aitque errasse Aratorem, & inter deriuata quæ non sequuntur quantitatem primitiuorum, reponendum hoc quoque vocabulum, & Plautum corripuisse secundam in eo versu.

Affatim est hominum in dies qui singulas escat edunt.

Annius quoq; Probus, qui penultimam acuebat in hoc voca-

vocabulo reprehenditur à Gellio l. 7. c. 7. & P. Cauallius in Ianua Parnassi, putat purum esse Iambicum carmen Plauti in Menechim. act. 1. scen. 1.

Suo arbitratu, & affatim quotidie.

Addo ego posse carmen Aratoris duos initio dactylos continere, neglecta Ecthlipsi, cum desinentia in M, more antiquo breuia sint, & aduerbium hoc potius à Græco ἀφατῶς, quod *abundè* significat deriuari, quàm à fatu, ac forte Festum huc respexisse, cum dixit *adfatim dictum à copia fandi, siue abundanter.* Quare tutius censeo si corripiatur, etsi ob auctoritatem Probi, Seruij, & Stoæ, non est omnino improbabile posse in aliquo casu saltem ob regulam necessitatis produci.

ALLELVIA. Apocalypsis 19. ἀλληλούια, & Tobiæ 13. vltimum alpha scribitur per *kametz*, quod est A longum, & componitur ex *halelu*, & ex *iah*, quod est *laudate Deum*. Et potest quidem fieri quadrisyllabum, aut quinquesyllabum, sed tres primæ, & vltima deberent produci, quod seruauit Apollinaris in Psalm. 150. versu spondaico.

Πένθ' ἅμα καὶ δεκάτης δεκάδος μέλος ἀλληλούια.

Quinque simul decima, & decadis melos alleluia.

At S. Paulinus Epist. 12. ad Seuerum corripuit vltimam, immo Prudentius hymno 4. Cathemerinon in Phaleucio etiam secundam, quem nolim imitari;

Alleluia nouis balat ouile choris

Amen reddidit, alleluia dixit. Phaleuc.

ALIVS. Occasione verborum S. Iob. cap. 19. vers. 27. *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*: non defuit qui putauerit *alius* genitiuum esse, ac proinde pronunciandū acutè, aut circumflexè penultimam: sed obstat manifestè textus tum Hebraicus, qui habet *non alienus*, tum Græcus 70. Interpr. in quo est καὶ οὐκ ἄλλος, *& non alius*; quamquam verum est ibi *alius* esse adiectiuè positum, & referri ad oculum, vt sensus sit *non alius oculus, sed meus*. Porro genitiuum ideo semper produci putat Vossius lib. 2. Gramm. c. 13. quia facta sit crasis ex *aliius* in *alius*. Priscianus autem ait penultimam circumflecti.

ALLIA fluuius. Plerique Poetarum Latinorum ita primam producunt, vt geminato LL. scribant; sic præter tria exempla, quæ versibus adduximus Virgilius 7. Æn.

Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.

Et Silius lib. 6.

Allia, & infandi Senones captaque recursat.
Sed & Latini alij scriptores geminato LL. vtuntur, vt Cicero ad Atticum lib. 8. Ep. 4. Liuius lib. 5. & 6. Auctor de viris illustribus, Eutropius in fine l. 1. Vibius Sequester in Catalogo fluminum; immo vt obseruat Philippus Cluuerius lib. 2. Italiæ antiquæ folio 709. *Alienus* ille de quo sermo est in Ciceronis diuinatione in Q. Cæcilium, ex commentarijs Asconij Pediani, fuit vir dictus ab Allia flumine, vnde nummi antiqui proprium id viri nomen gemino LL. habent *Allieni*. Ergo non metri tantummodo causa geminatur, vt putat Seruius, qui in 7. Virgilij ait: *Allia fluuius haud longè ab vrbe est. Sanè Alia dicitur, cui additur vnum L. propter metrum: vnde Lucanus bene posuit: Quas Alia clades.* Videtur autem fauere nonnihil Plutarchus in Camillo, vbi habetur παρά τον Αλίαν ποταμόν, idest *prope Aliam fluuium*. Verum vt contra Seruium animaduertunt duo Philippi, scilicet Beroaldus, & Cluuerius, Lucani locus nihil suffragatur: nam l. 7. de Clade Pharsalica, non comparat Cladem Pharsalicam cum Clade sola Alliæ, sed cum alijs omnibus, ita vt *alia* sit adiectiuum, & *clades* pluralis numeri; & admodum supinus oportet sit Lector, inquit Cluuerius, qui hoc vel transcursim non obseruet: Ecce enim comparatio Lucani.

mors nulla querela
Digna sua est, nullosque hominum lugere vocamus.
Non istas habuit pugnæ Pharsalia partes,
Quas, aliæ clades: illi per fata virorum
Per populos hic Roma perit, quod militis illic
Mors hic gentis erat, sanguis ibi fluxit Achæus
Ponticus, Assyrius, &c.

Comparat igitur cladem hanc cum alijs, puta Achaica, Pontica, Parthica, &c. nec erat cur Stoa Epogr. 6. c. 1. ita Beroaldo subscriberet, vt tamen dubitaret an Allia cum duplici LL primam longam, sed cum simplici L breuem habeat.

AMABO. Quando est interiectio blandientis sufficienter distinguitur à verbo solo accentu graui in fine, nec est cur ob discrimen hoc penultima corripiatur, vt nonnulli voluere, quos damnat Despauterius, & Scoppa. Sed neque necesse est accentum acutum in antepenultimam reijcere, vt putarunt Philet. in Cic. Epist. 2. ad Curionem, & Ioannes à Planis in tractatu de Accentibus.

AMA-

AMASTRIDIS. Gauantus ait penultimam producendam, sed meritò reprehenditur à nostro Philippo Labbe in Appendice ad Catholicos Indices, quem sequitur P. Cauallius in sua Ianua Musarum, est enim patronymicum fœmininum vrbis ab Amastra Ponti Regina, huiusmodi autem patronymica in obliquis penultimam apud Græcos corripuit.

AMBO. Vltimam non solum longam habet, sed & breuem, vt docui exemplis in Indice allatis, & confirmat Quintianus Stoa Epogr.6. c.4. ex Martialis versu, quẽ quia nonnuli deprauarunt reponẽdo *vmbra* pro *ambo*, libet integrum sensum, ac verum ostendere ex ipsomet Martiali l.7. in Epitaphio Etrusci.

Hic iacet ille senex Augusta notus in aula
Pectore non humili passus vtrumque Deum.
Natorum pietas sanctis, quem coniugis vmbris
Miscuit: Elisium possidet ambo nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata iuuenta,
Hic prope tersenas vidit Olympiadas.
Sed festinatis raptum te credidit annis
Adspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

Hic quis non videat quam frigida, & inepta futura fuerit sententia, & post *vmbris* repetitio *vmbra*, si dixisset. *Elisium possidet vmbra nemus*, præterquamquod impropriè diceretur vmbra ipsius possidere Elysium, quod tam multis alijs commune fingebatur, ac si dicatur ipsium Elysium possidere ambo, nempe coniugum vtrumque salua sunt omnia.

AN. Ioannes à Planis in suo Dictionario Poetico, cum Beda, & Antonio Nebrissensi existimat quando interrogatiua est particula corripi; sed quando disiunctiua est circũflecti, & produci, vt produxit Propertius l.4.

An infelices anticipare dies.

Esto quidam legant *anne*. Ouidianus quoque versus alias adductus ex 3. Metamorph. non *an*, sed *en* debet habere sic.

Adsumus en, inquit sociorum primus Opheltes.

Quare non facile produxerim nisi tutiora exempla suppeditentur quam Ausonij dicentis.

Æmula num fidei memor, an infida senatum.

ANATHEMA. De quantitate penultimæ celebris est quæstio. Et nonnulli quidem cum Iulio Polluce, & Gauanto putant, quando significat rem Deo consecratam, aut donarium sepositum dicatumque, aut dicandum Deo, cultuiue diuino, scribendum ἀνάθημα. & ve-

nultimam producendam, quomodo per η scriptum reperitur Deuteronomij 13. Iosue 7. Iudith 16. & sæpe alibi in Biblijs Græcis. Quo sensu bis Prudentius produxit dicens.

Dum vetitis insigne legens anathema fauillis
Organa, & externi laudant anathemata regni.

At quando significat excommunicatum, aut excommunicationem, ijdem censent scribendum per ε, ac proinde corripiendam penult. quomodo scriptum reperitur Malachiæ 4. ad Romanos c. 9. ad Galatas 1. & prima ad Corinthios c. 12. ac 16. & hanc opinionem aliàs secutus sum. At P. Cauallius in Ianua Musarum, cum Benigno Santey in Paracleto c. 49. & 50. & P. Labbeo contra Gauaniũ censent in vtrouis sensu semper corripiendam penultimã, ac proinde scribendam per ε. Ego verò nunc re melius considerata existimo in vtrouis sensu penultimam scribi posse tam per η, quam per ε, adeoq; communem esse, tum quia ita diserte docet Carolus Steph. in Thesauro Linguæ Græcæ, & disertissimè Suidas in vocabulario, dicens tam ἀνάθεμα, quam ἀνάθημα significare, *id quod ita deuouetur, ac consecratur, vt de medio tollendum sit ne vnquam amplius videatur*, quod æque de te Deo, aut diris, aut religionis gratia consecrata valet, sicut apud Latinos, *sacer*, ac *deuotus*; iuxta illud Virgilij.

Auri sacra fames, & Horatij, *deuota morti pectora*.

ANNIBALIS. Penultimam posse produci arbitratur Quintianus Stoa Epographe 6. cap. 3. quod ex Gellio l. 4 c. 7. Ennius videatur eam produxisse Iambico illo.

Qui propter Annibalis copias considerant.

Sed non aduertit versum Iambicum non abhorrere ab anapæsto, & cretico; & si *nibalis*, sit anapæstus, & *copias* creticus; Iambum stare.

APENNINVS, communiter ἀπέννινος, sola vlt. breui, at refert Gretserus l. 3. c. 18. à Dionysio corripi primã, & penultimam in ἀπέννινος, licet alij legant ἀπέννιος.

APSIDIS, vide supra ABSIDIS.

AQVA, vel resoluta in tres syllabas, aut prima producta videtur à Lucretio lib. 6. bis.

Fit quoque vt in magnas aqua vastasque lacunas,
Quæ calidum faciunt aqua tactum, atque saporem.

ARATRVM. Mediam communem videtur habere, eo quod non ab *aratu*, sed ab ἄρατρον deriuari posset, quod Græcè significat *aratrum*; sicut ἀρότης, *arator*; & ἀροτρεύω *aro*; atque hinc si non imitandi, excusandi

tamen

tamen videntur tum Sidonius qui carmine 23. Phaleucio cecinit.

Diuersas aratro vias cucurrit.

Et Franciscus Petrarcha 8. Africæ dicens.

Nunc aratrum antiquis insultet mœnibus vrbis.

At nihil suffragatur Sidonius, non enim *aratro*, sed *Arato* legendum est, quod secundum communem habet; aduertit hoc Vossius l. 2. de Arte Gram. c. 38. sed non euicit; euinci tamen potest si legatur Sidonius; nam in carmine illo, quo inter Narbonenses ciues Consentium in primis confert, aut præfert antiquis Oratoribus, Poetis, Geometris, &c. ait.

Non hic, si voluit vacante cura
Quis sit Sideribus notare cursus
Diuersas Arato vias cucurrit
Non hunc, cum Geometricas ad artes
Mentem composuit, sequi valebit
Euclides spatium sciens olympi.

Nec vllus prorsus sensus superest carmini, si pro *Arato*, *aratrum* reponatur.

ARCHIATER, ἀρχιατήρ, *princeps Medicorum*, & Ionicè ἀρχιητήρ, vltima, & penultima longa, sicut in simplici nomine *Iatros, medicus*; nam communi dialecto ἰατρὸς, sed Ionica ἰητρὸς, prima autem communis est; nam producitur *ab Homero* Illiados 30. illo versu.

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Medicus enim vir multorum aliorum est instar.

At corripitur à Lucilio, & Antipatro l. 3. & 4. Epigrammatum Græcorum, præsertim Epigram. 4. declinatur etiam ἰητὴρ, genitiu. ἰητῆρος.

ARCTOPHYLACA. Accusatiuum hunc Græcanicum habent plures codices Manilij l. 1. Astronomicon, cap. 7. illis versibus.

Circulus à summo nascentem vertice mundum
Permeat, Arctophylaca petens per terga Draconis.

Vbi penultimam produxit, cum tamen apud Græcos nominis huius φύλαξ incrementũ φύλακος breue sit, vt docet Gretserus in Prosodia Græca cap. 9. Reg. 8. Idcirco Gerardus, Io. Vossius l. 2. de Arte Grammatica c. 38. affirmat Manilium scripturus fuisse *Arctopylacta*; addit tamen duos illos versus, ex sententia Scaligeri spurios esse, nec reperiri in codice Palatino, nec in Romano, nec in Editione Veneta Aldi anni 1499. nec in Basileensi Haruagij. Cæterũ insolens planè est, nec ab vllo, quod sciam, vsurpatũ incrementum illud

φύλακτος. Esto, dicatur Græcè φυλακικός, & φυλακτικός *cautus*, seu *circumspectus*, & φυλακτήρ *custos*, nec tanta violentia opus fuit hic, cũ prõptissimè potuerit admitti penultima correpta à Manilio in *Arctophylaca*, ob necessitatẽ metri, & concursum quatuor breuium, sicut prudenter admisit P. Cauallius in Ianua Parnasi.

ARES. Græcè communi dialecto ἄρης. *Mars*, & Atticè ἄρις, quare vltimam communem habet, immo & primam; quod vel vnius Homeri exemplo constat, qui in eodem versu Iliados 6. eam prius produxit, mox corripuit dicens.

Ἄρες Ἄρες βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα.

Vide plurima exempla ex Homero collecta per Conradum Dinnerum in Epithetis Græcis. Porro ad hunc locum respexit proculdubio Martialis lib. 9. Epigr. 8. vbi Græcorum licentiam maiorem quam Latinorum Poetarum perstringens dixit.

Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et quos Ἄρες Ἄρες decet sonare.

De quibus vide quæ diximus Parte 2. Prosodiæ cap. 9. In obliquis quoq; cum declinetur in ἄρηος, & in ἄρεος secundam, non secus ac primam communem habet.

AREOPAGVS. ἄρειος πάγος, adiectiuè à Marte dictus, nempe *Martius pagus*, nam si substantiuè esset Martis pagus, diceretur ἀρεόπαγος, vel ἀρηόπαγος. Porrò primam communem esse liquet ex dictis modò de nomine *Ares* superest celebris controuersia de penultima. Quidam enim πάγος hic pro *vico* accipiunt, pagus autem sumptus pro vico, deriuatur à πηγὴ *fons*, cuius proinde prior longa est; Ita Budæus, Lexica multa, Thesaurus Linguæ Latinæ, & Gyraldus in Marte. Sed verior est interpretatio Suidæ in noua editione, qui disertissimè in suo Vocabulario ait, ἐκλήθη δὲ καὶ ἄρειος πάγος, ἤτοι ὅτι ἐν τῷ πάγῳ ἐστί, καὶ ἐν ὕψει τὸ δικαστήριον, videlicet: *Vocatus est autem Martius pagus, quod is esset in pago, & in loco excelso illud prætorium*, seu in tumulo, & rupe, vt ibidem in paraphrasi habet Æmilius Portus. Quare etiam si vicus ibi fuerit, ille tamen nõ vt à Pagus Latinus à πηγὴ *fonte*, deriuatus est, sed à colle, seu rupe excelsa, neque oppositum continuo sentiunt, qui *Pagum* interpretantur pro *vico*; licet ansam dederint errandi. Iam vero πάγος, quãdo significat collem, rupem, tumulum, scopulum, locumue excelsum, primam breuem habere manifestum est exemplis Græcorum Poetarum, quorum quædam

dã videre poteris in priori volumine Prosodiæ veteris olim duobus voluminibus editæ. Eandem Etymologiam asseuerare olim Pausanias, Hesychius, Magnũque Etymologicum, & postea Lorinus in Acta Apostolorum c.17. versu 19. multiq; alijs interpretes ibi, Emmanuel in fine magnę Grammaticæ, P. Ludouicus Cauallius in Ianua Musarum, & apud eum P. Philippus Labbe in Appendice ad Indices Catholicos, qui omnes penultimã corripiendam docent, vtpote à petra, vel promontorio, vel rupe deriuantes hoc nomen; quod antea quoque fecit Varro illo senario Iambico.

Areopagiticam ea de re vocant Petram.

Et Stephanus Byzantinus de vrbibus, perspicuè Ἄρειος πάγος, ἀκρωτήριον Ἀθήνησιν, hoc est: *Areopagus promontorium est Athenis*. Vide si lubet apud Emmanuelem binos versus Euripidis in Oreste, quorum vno penultima corripitur in *Areopago*; altero autem Areopagus vocatur etiam Ἄρειος ὄχθος, idest *Martius collis*, seu *tumulus*.

ARIVS. Non sunt idem nomen Græcis ἄρειος, & ἄρειος, primũ enim dactylus est, vt patet ex Catullo, & Martiali, quorum versus in priori volumine retulimus numero 1574. &c. At secundum primam breuem, secundam longam habet, quod seruauit Lucanus versu apud nos ibidem 519. & hoc secundo modo vtendum, cum sermo est de Ario impijssimo hæresiarcha, nam Suidas illum ita nominat, & scribit; & Psellus Hexametrũ sic terminans Μανέντος Ἀρείου, vt & Theodorus Cyrus in versibus Græcis. Quare minimè probatur Prudentius, qui nimia licentia nomen hoc dactylum fec t, nec Fanianus de bello Ariano, qui versu 519. apud nos, & dactylum fecit, & geminauit R, quod etiam nonnulli faciunt, & ipse Æmilius Portus in Suidam, cum tamen Suidas, & antiquiores habeant Ἄρειος, vt patebit ex Bibliotheca Patrum Græcorum. Cauendum hic à P. Cauallio, qui primam in hæresiarchæ huius nomine producendam ait.

ATHOS. Mons est apud Græcos quartæ declinationis simplicium, & apud Latinos secũdæ, & declinatur sic ἄθως, genitiu. ἄθω, datiu. ἄθῳ, accusatiu. ἄθων, & Atticè, ἄθω, vocatiu. ἄθως, esto Cicero tertiam ad declinationem traduxerit declinans *Atho, Athonis* cum 2. de Finibus dixit: *Hellesponto iuncto, Athone perfosso*. Pomponius autem Mela libro 2. vsurpauit datiuum *Atho, Atho* accusatiuum. Virgilius 1. Georg. adhibet.

Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit, &c.

Vbi imitatus est Theocritum in Idyllijs dicentem.
ἢ ἄθω, ἢ ῥοδόπαν, ἢ καύκασον ἐσχατόωντα,
Aut Atho, aut Rhodopen, aut Caucason vltimum ad Ortum.

Et Æschines contra Ctesiphontem ὁ τῶν περσῶν βασιλεὺς τὸν ἄθω διορύξας, idest: *Persarum Rex Atho profodiens*. Et Strabo lib. 1. in accusatiuo habet ἄθω. Seruius ad illud Virgilij 12. Æneidos.

Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse coruscis.

Ait non consistere versum, nisi legatur *Athon*, quasi vero *Athos* non haberet vltimam longam propter ω. Homerus in hymno Apollinis, & Stephanus Byzantinus, & plerique vsurpant nominatiuum *Athos*; non autem Athon: sic Ouidius 1. de Ponto.

Confluant aut frondes Alpibus addat Athos.

Sic Statius 5. Theb.

Mulciber: ingenti tellurem proximus vmbra
Vestit Athos:

Sic Iuuenalis Satyr. 10.

creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in historia, constratum classibus ijsdem,
Suppositumque rotis solidum mare, credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.

Vbi tamen Georgius Valla, vt Seruio suffragetur, ait.

Primum Athon dici certũ est, sed legitur etiam Athos.

Suidas quoque, & nonnulla Lexica habent in recto casu ἄθων. At mihi certius est, vsitatiorem nominatiuum esse ἄθως; accusatiuum autem æque Atho, & Athon vsurpari posse. Ouidius 11. Methamorph. deinde Lucanus l. 2. maluere Athon.

Nec leuius, quam si quis Athon, Pindumque reuulsos
In medium deferret Athon, sic ora profundi.

Plinius lib. 4. cap. 10.

Montem Athon Xerses Persarum continenti abscidit.

Et Valerius Maximus lib. 1.

Eidem montem Athon iuxta Idam transgresso.

AZYMVS. Licet Prudentius secundam corripuerit, versu aliàs apud nos 2510. producendam tamen putarunt P. Philippus Labbe, & P. Ludouicus Cauallius in Ianua Musarum, quia componitur à ζύμη: *fermento*, cuius prima, sicut in ζύμωμα producitur à Nicandro in

in Alexipharmacis illo versu.

Μή μεν ζύμωμα κακὸν χθόνος ἀέρα κήδοι.

Ne fermentum vitiosum terrae aerem conturbet.

Hinc tamen non sequitur accentum necessario ponendum in penultima, & in pronunciando, iuxta consuetudinem iam inuectam, possumus sequi accentum Græcum, qui est in antepenultima.

BALSAMVM secundam habere breuem vix est, qui dubitare possit, cum ita communiter vsurpetur à Poetis, siue in simplici nomine, siue in compositis *opobalsamo*, & *xylobalsamo*: at si Græcos Poetas consulas non æquè omnes corripiunt, produxit enim Diosc. apud Conradum Dinerum in Epithetis Græcis, versu illo hexametro.

Καὶ μύρα εἴδεμεναι τοῦ βαλσάμου ἀφλαστίμου.

Andronicus apud Smetium bis illo hexametro.

φῦ ξυλοβαλσάμου τ' ὀποβαλσάμου τε δραχμὰς τρεῖς.

Quare producentim erroris redarguere nō possumus.

BETHLEEM, βηθλεέμ, sic enim scriptum est Matthæi 2. ter, & Lucæ 2. bis in Græco codice, proinde si trisyllabum vsurpetur sequaturq; vocalis, eaque per ecthlipsim non elidetur, debet fieri dactylus, quod factū videbis versu alias 16603. at si per synæresim, aut crasim fiet dissyllabum, debet esse spondeus, esto choreum fecerit Fortunatus versu aliàs 15307. qui autem primā corripuere versu 13556. 13560. 13595. decepti sunt à muta, & liquida, nec aduerterunt primā natura sua longam scriptamque per η, in quo mirum est dormitasse B. Hieronymum in Epitaphio S. Paulę.

BLATERO, AS, priore correpta vtitur non modo Horatius, sed Lucillius, & Plautus in *deblatero*, & Afranius non semel quem adducit Ianus Laurembergius in suo Antiquario, vbi tamen admittit verbum hoc deriuatum à βλάξ, quod significat stolidum, aut stupidum. Festus quoq; de verborum significatione, ait indicem deduci, & camelorum esse blaterare; nec de origine retulit Beroaldus in Apuleium, & Quintianus Stoa Epograph. 16. si sic est, potuit etiam formari inde verbum *blactero*, nec erroris conuinci potest Author Philomelæ cum cecinit.

Blacterat hinc aries, & pia balat ouis.

Esto Vossius lib. 2. de Art. Gram. cap. 3. addictus verbo *blatero* auctorem illum reprehendat, quasi primam produxisset in *blaterat*.

BOBVS. Pluribus exemplis in primo indice constat

primam esse longam ob crasim factā in nomine *breuibus*, Reprehenditur autem Ausonius à Vossio lib. 2. de Arte Gram. c. 15. quod primam corripuerit; nec aliter eum excusauerim, nisi fortè à simili in *subus*, pro *suibus* prima breui, vt ex eodem Indice liquet.

BONONIA, tribus exemplis in primo Indice confirmauimus secundam in hoc nomine longam esse, cœteras syllabas breues. At videtur obstare Strabo, qui libro 5. scribit. Πάρμα, Μυτίνη, καὶ Βονωνία, *Parma, Mutina, & Bononia*. Anonymus tamē auctor Olympiadum, quem adducit Cluuerius lib. 1. Italiæ Antiquæ, scribit Βονωνία: & si verum esset ita dictam, quod *bona omnia* cōtineat, non dubium, quia melius prima corripiatur. At si quis inhærens Straboni producat, non poterit defensione fraudari, nisi quis euincat mendosum esse textum Strabonis Historici Bononienses docent eam sic nuncupatā à *Bono*, qui fuit eius Dominus septem, & amplius ante Christum sæculis.

BRVNDVSIVM. Secundæ breuis tantummodo esse plerique nil dubitant: videturque persuaderi auctoritate Horatij l. 1. Ep. 18. Lucani l. 2. Silij l. 8.

Brundusium Numici melius via ducat, an Appi
Brundusium decimis iubet hunc attingere castris
Nec non Brundusium, quo desinit Italia tellus.

Sed neque carmina hæc id omnino euincunt, cum stare possint; si facta synæresi fiat trisyllabum; cuius proinde secunda producatur; qua ratione consistere possunt alia quoque tria carmina Horatij 1. serm. Sat. 2. lib. 1. Epist. 17. l. 1. Sat. 5.

Brundusij tutas conscendit Magnus in arces
Brundusium comes, aut Surrentum ductus amœnum
Brundusium longæ finis chartæque, viæque.

Ex altera parte Græci scribunt βρεντήσιον, vt habet Stephanus Byzantinus libro de Vrbibus, cui & Brundusinus scribitur βρεντησῖνος. Strabo tamen lib. 6. constanter, ac sæpe habet βρεντέσιον. Qua propter ita corripiendam secundam puto, vt producenti non omne patrocinium negandum sit.

BVTYRVM. Quam variæ quantitatis fuerit penes Poetas, apparet ex sequentibus versibus ordinatim Titi, Valgij, Macri, Sidonij, Scaligeri.

Lac niueum butyrumque simul cum melle comedit
Cum butyro, modicoque oleo decocta tumorem
Infundens acido comam butyro. Phaleucium.
Qui lacte caseoque siue butyro. Scazon.

Quos

Quos inter rectè Scaliger priores produxit; malè Sidonius primā, peius Macer, ac Valgius vtramq; priorū corripuere. Græcè enim βούτυρον, idest *bouis caseus*, cuius vtique prima ob diphthongum longa est, sed & secunda, cum τυρὸς caseus primam longam habeat, vt cum Constantino in Lexico, Francisco Vergara, & Gretsero in Prosodia Græca docent PP. Ludouicus Cauallius in Ianua Musarum, & Philippus Labbe è Societate nostra in Elenco Prosodico: Neque obstat Homeri versus in Batrachomyomachia, quem adducunt Dinnerus in Epithetis Græcis, & Caussinus in Thesauro Græcæ Poeseos: incipitque sic οὔδε' τύρος, inserta enim est contra Poetæ mentem particula δε', & versus incipere debet οὔ τύρος, sicut versus antecedens οὐ τύμος, & subsequens οὐ χρυσὸν, vt legenti patebit: præsertim cum ibidem Homerus, non semel producat prima in τυρογλυφος, qui significat *casicauū*, seu excauatorem casei, & Dinnerius alia exempla huius productionis adducat tum ex Illiade Homeri, tum ex Antipatro in Græcis Epigrammatibus.

CACVS. Cum primam producant Virgilius 8. Æn. septies ac semper, & semper Ouidius, vnico excepto loco, tum cœteri Poetæ, Propertius l. 4. bis, Iuuenalis Sat. 5. Martialis l. 5. Ep. 66. mirantur quidam, qua ratione Ouidius 9. Metamorph. semel corripuerit illo carmine.

His cacus horrendum Tiberino gurgite monstrum.

Ideoque ausi quidam peruerso ordine reponere.

Cacus, & horrendum Tiberino gurgite monstrum.

Quibus tamen refragantur, tum vetusti codices. Despauterius, Quintianus Stoa Epographe 6. Smetius, & plures alij retinentes pristinam lectionem, tum perspicuè contextus versuum quibus ibi Hercules repetitione eleganti recolit, quæ suis lacertis prodigiosa patrarit dicens.

His elisa manet moles Nemeaa lacertis
His Cacus horrendum Tiberino gurgite monstrum
Hac cælum ceruice tuli, &c.

Nec etymologia nominis absonat, si quidem malus quidam seruus Euandri, ac furax fuit quem antonomasticè Malum Arcades nominarunt, Græcè κακὸν, vnde retroacto accentu mansit illi nomen Κάκος, ac certum est priorem in κακὸς breuitati à Græcis.

CADVCEVS. Primam, & secundam proculdubio longam habet, vt ex adiectiuo *Caducifer* ostendunt car-

mina 1201. & 7465. priori volumine à nobis relata. Tertia syllaba in controuersiam vocatur. Quamuis enim Alciatus in Emblematibus corripiat dicens.

Auguris implicitis, geminis caduceus alis.

Sequutus vtiq; Latinam regulam de Vocali ante vocalem; quia tamen subest illi syllabæ diphtongus Græca ευ, & quidem inflexa videtur producenda fuisse, Græcè enim pacis signum, siue oleæ ramus fuerit, siue Mercurij virgula dicebatur κηρυκεῖον, sic enim scribant Suidas, Pollux, & interpres Thucydidis lib. 1. Aduertit tamen in suo Antiquario Ianus Laurembergius, à Syracusanis, & Tarentinis dictum καρύκιον, & hac ratione potest sustineri Alciatus. Hac occasione aduerto dici posse *hic Caduceus*, & *hoc Caduceum*; nam Varro lib 2. de vita Pop. Romani ait: *Verbenarius ferebat verbenā, id erat caduceus*. Sed Apuleius lib. 10. de Asino aureo. *Quem caduceum, & virgula Mercurium indicabant*. Sed minimè huc spectat Iuuenalis versus, quē Stoa Epographe tertia adfert, vt ostendat primam in Caduceo corripi posse: versus enim ille Satyræ 6.

Magnaque debetur violato pœna caduceo.

Legendum enim cum vetustis editionibus, quæ sequuntur Georgius Valla, Eilhardus Lubinus, Caualliu s, Farnabiusque *cadurco*, vt patet etiam ex contextu Satyrici dicentis.

Ille petit veniam, quoties non obstinet vxor
Concubitu sacris, obseruandisque diebus,
Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Idest violato, & contaminato lecto maritali, quod figuratè significatur nomine cadurci, est enim cadurcum tentorium, & velum pensile, ac quadratum, item culcitra candididissima, de qua idem Iuuenalis Sat. 7.

Institor hybernæ tegetis, niueique cadurci.

Adiectiue quoque vsurpatur à Sulpicia Poetria in Iambicis.

Ne me cadurcis destitutam fascijs,
Nudam Calano concubantem proferat.

Idest velaminibus thalami.

CAINAN. Videtur S. Gregorius Nazianzenus de Christi Genealogia semel produxisse secundam, & iterum corripuisse versibus illis.

σηθ πήλε, τῦ δ' ἄρ ἔγως τῦ πετρατος ἦε καιναν
ἔκ τῦ δ' ἀρφαξαδ, καιναν, σαλα, τῦ δ' ἐγένετο.

Sed forte in secundo versu synæresi vsus, fecit dissyllabum cum Hebræis, qui spondeum faciunt.

CANDACE, genitiu. *Candacis*, κανδάκη, κανδάκης, sic enim habetur in Actis Apostolorum cap. 8. & Plinius l. 6. c. 29. *Regnare fœminam Candacen, quod nomen iam ad plures Reginas transijt*. Et Suidas in vocabulario κανδάκη ἡ τῶν αἰθιόπων βασίλισσα; *Candace Æthiopum Regina*. Et Strabo lib. 17. meminit ducum τῆς Κανδάκης, reginæ Æthiopum, quā virilem fuisse fœminam, & altero oculo captam addit, & mox τὸ βασίλειον τῆς Κανδάκης, *regia Candaces*, & sic communiter declinatur, sicut *Canace*, *Panace*, *Donace*, non autem *Candax*, *Candacis*. Neque enim carmen illud quod Iuuenali tribuitur.

Candacis Æthiopum dicant arcana modosque.

Vsquam reperiri apud Iuuenalem affirmat noster Emmanuel de Incremento nominum in A, except. 2. Quare licet secunda, non obstante accentu acuto, breuis sit, tertia tamen produci debet, quidquid Mantuanus fecerit 9. Fastorum.

Atque apud Eunuchum regina candacis acto.

CENOTAPHIVM. Græcè communiter κενοτάφιον, idest vacuus tumulus; notat tamen Gretserus in Prosodia Græca, cap. 31. vbi de Epenthesi, poetas aliquando pro κενὸς *vacuus*, dicere κεινὸς, priore producta, atque adeo in cenotaphio, & in cenodoxia poterit prima produci.

CHARITAS. Primam produxere S. Ambrosius, & Vrbanus VIII. vt videre est in nostris versibus 13844. & 17208. & semper producendam affirmat Vossius l. 2. Gram. c. 40. quod deriuet illam à *charus* esto fateatur, correptam sæpiculè à Michaele Verino, excusatumque à Martino Ciuarra Cantabro, quod deriuaret à *Charis*, vnde *Charistia*, prima vtrique breui. Et sanè *Charitas* Græcè non χάρις, sed ἀγάπη dicitur, vt patet ex Græca editione 1. ad Corinthios c. 8. 13. & 14. nam χάρις, propriè significat *Gratiam*.

CHIRAGRA. Ni mireris si in priori Indice primam modo longam, modo breuem esse adductis exemplis indicauimus, ita tamen vt quando corripitur melius scribatur *Cheragra* Nam Ionica dialecto scribitur, χέραγρα, & χειρὸγρος; quod communiter scribitur χείραγρα, & χειρὸγρος, sicut manus ipsa χεὶρ χειρὸς, Poeticè, & Ionicè scribitur χέρ χειρὸς, vt pluribus exemplis inculcat Conradus Dinnerus in Epithetis Græcis.

CICHOREA. Græcè communiter κιχόριον, vt habet Theophrastus lib. 7. de historia plantarum c. 7. & 11.

11. Dioscorides l. 2. cap. 160. Galenus lib. 8. simplic. Ætius l. 10. c. 8. Trallianus l. 8. c. 1. quare secunda producenda videtur. Nicander tamen in Alexipharmacis habet κί'χορα, & dactylum facit sic

κίχορα καρδαμίδας τε, καὶ ἣν περσῆον ἔπουσι.

Cichora, cardamilasque, & quam perseon vocant.

Vbi Scholiastes adnotat: τὰ κί'χορα οἱ ἀττικοὶ κιχώρια φάσιν; videlicet, quæ Nicāder vocat *Cichora*, *Attici Cicoria dicunt*. Esto in Lexicis communiter κιχώριον, & Atticè κιχόριον, legatur, ibidemq; iuxta Pollucem ponatur κί'χορια, nescio an iuxta Æolicam dialectum, quam lectionem constat secutum Horatium l. 1. od. 31.

Me Cichorea, leuesque malua.

Sola penultimam producta quem imitatus est Lyricus alter è Societate nostra insignis Iacobus Balde in Asclepiadeo illo.

Tota est summa satis, me cichorea me.

Et noster item Millieus lib. 4.

Lactucaque graues somno, cichoreaque tenuem
Purgatrix, & quæ stimulant nasturtia mentem.

Iam si quis vti velit plurali nomine *Cichora*, & dactylum efficere habet Nicandrum prælucentem, à quo non exorbitabit, si *Cicoria* dicat prima producta, reliquis breuibus, iuxta illum versum, quem Iuuenali l. 2. aut Iuuenco attributum legi, sed à quo nunc haud memini, certè Iuuenali Sat. 2. à me relictus illum non habet: habet tamen Smetius sic.

Cicorea, & teneris frendens lactucula fibris.

COLON. Quando significat membrum scribitur κῶλον, quando autem intestinum scribendum κόλον cōtendit Gifanius in Lucretium, ex Polluce l. 2. & Galeno l. 8. de composit. Medicam. legendumq; in Sereno.

Cum colus inuisum morbi genus intima carpit.

At P. Philippus Labbeus in Appendice manuscripta ad Indices Catholicos, quam refert P. Cauallius pag. 978. Ianuæ Musarum ex Henrici Stephani thesauro, & aliunde ostēdit vtrouis modo scribi vsurpariq; posse.

CONNVBIVM, & hinc CONNVBIALIS. Secundam posse habere longam patet tum ex origine à *nubo*, tum exemplis, cuiusmodi est illud Virgilij 3. Æn.

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas?

Et Ouidij in Epistolis.

At mea despecti fugiunt connubia Thraces.

Sed vtrum corripi quoque possit, dubitari potest: plerique enim versus, qui afferri possent ad id suadendum,

ita

ita scandi possunt, vt facta synæresi fiat *connubium* trisyllabum, & *connubialis* quadrisyllabum retenta secundæ longitudine, qualis est Virgilianus ille 1. Æn.

Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.

Et Ouidij Epistola 6.

Heu qui pacta fides? vbi connubialia iura?

Nec Seruius ad 1. Æneid. euicit adhuc correptam à Virgilio. Si quis tamen eam corripiat, non poterit manifesti erroris coargui; præsertim cum durior sit tam multis in locis synæresis aduocatio, & à nubo formentur *innubus*, & *pronubus* penultima breui.

COR. Plurimi Poetarum corripiunt, vt exemplis docui in primo Indice; produci tamen posse docuit Ouidius in Epistola Sapphus.

Molle meum leuibus cor est violabile telis.

Esto Micyllus emẽdandũ putarit carmen, ac legendũ.

Molle meum leuibusque cor est violabile telis.

Quæ correctio non displicet nostro Emmanueli, & Gerardo Vossio lib. 2. Gram. cap. 30. Verum prior lectio reperitur in Manuscriptis, & in vetusta editione Veneta Bernardini Nouariensis anni 1486. & in Aldina, eamque plerique recipiunt Io. à Planis, Smetio, & Quintiano Stoa; qui confirmat exemplo Lucretij hexametrum incipientis sic: *Denique cor hominum*. Mihi vero stomachum mouit editio Lugdunensis, anni 1616. vbi pro corde caput substitutum est nimia certè libertate sic.

Molle meum, leuibusque caput est violabile telis.

CORALIVM. Sicut naturæ variæ est, & sub vndis molle, extra vndas durũ euadit, ita in orthographia, & quantitate syllabarum, varijs modis vsurpatur, non secus ac in Lexicis, vbi reperitur κοράλλιον, & κωράλλιον, & κωράλιον, & κȣράλιον, primæ lectioni adstipulatur Dioscorides libro 5. capite 139. dicẽs: τὸ δ᾽ὲ κοράλλιον ὅπερ ἔνιοι λιθόδενδρον ἐκάλεσαν, hoc est *Corallium autem, quod aliqui appellarunt lithodendron*, quasi dicas *lapidarborem*: sic Hesychius ait κοράλλιον λίθος θαλάσσιος ἐρυθραῖος. *Corallium lapis maris Erithræi*. Matthiolus quoq; in Dioscoridem, Io. Bodæus in l. 6. Theophrasti de Plantis, Cæsius de Mineralibus, alijq; apud ipsũ scribunt *Corallium*, aut *Corallum*. Itaque prima breui, secunda longa vsurparunt hoc nomen Claudianus in nuptijs Honor. & Mariæ, Ausonius in Idyllio Mosellæ, Sidonius in Epithalamio Rulecij, Auienus in Geographicis, & noster Millieus l. 1. Mosis Viatoris, quorum

eodem

eodem ordine carmina subscribemus.

Claud. *Mergit se subito, vellitque corallia Clotho.*

Aus. *Cum virides algas, & rubra corallia nuda.*

Sidon. *Lactea punico sinuantur colla corallo.*

Auien. . . . *Fuluo tamen inuenere corallo.*

Mill. *Et posuere inter virgula corallina cippos.*

At verò κουράλιον, idest *Curalium* nominant Theophrastus de lapidibus, Phauorinus, & Dionysius de situ orbis prima producẽs, & duas sequentes corripiens sic.

πάντη γὰρ λίθος ἐστὶν ἐρυθροῦ κουραλίοιο.

Passim autem lapis est Erythrai curalij.

Vbi Eustathius ait κουράλιον, dictũ à κόρη pupilla, quæ Dorice apud Theocritũ Idyll. 6. scribitur κώρη, quasi sit pupilla maris κωρηαλός. At Plinius lib. 32. cap. 2. *Occupari, euellique retibus; aut acri ferramento pracidi. Hac de causa curalium vocitatum interpretantur;* Cui etymo cõsẽtit Hesychius κουράλιον dici ἀπὸ τῆς κουρᾶς; videlicet *Curalium* dictum à *prasectione*, quod veluti tõsura in mari præcidatur. Haud igitur inscitè primã produxere, secundam vero, & tertiã corripuere Virgilius in Cyri, Serenus, Ouidiusque 4. & 15. Metam.

Virg. *Coralio fragili, & lacrymoso mouit electro.*

Seren. *Coralium, atque crocum corio connectito felis.*

Ouid. *Nunc quoque curalijs eadem natura remansit.*

Sic et curalium, quo primum contigit auras.

Et si vero Auicennas inter cardiaca medicamenta, & cordi hilaritatem afferentia numeret coralium, non propterea tamen etymon eius variauerim, quod fecit Aldrouandus l. 3. de Metallis c. 2. illis verbis. *Cur non poterit vocari coralium quasi cor alat?* Apud quem Marbodeus Gallus in libro de Gemmis masculinum fecit corallum eo versu.

Corallus lapis est, dum viuit in aquore vimen.

CRANIVM, nomen Græcum κράνιον, primam longam habere asserunt Franciscus Vergara l. 4. Prosod Græc. c. 18. & Gretserus c. 18. Theocritus tamen Idyllio 6. corripit vt & Mãtuanus 1. Fastorum, nisi sit synęresis.

Verticis humani cranio vestigia fixit.

CREPIDA, cùm Græcè sit κρηπὶς κρηπῖδος, & Theocritus primam secundamque produxerit Idyllio 5.

πάντα κρηπῖδες, πάντα χλαμυδηφόροι ἄνδρες.

Idemque præstiterit Lycophron in Cassandra Iambico illo.

οὐκ εἰς κενὸν κρηπῖδα φοινίξας φόνῳ.

Latini tamen Poetæ Catullus, Horatius, Sidonius, vitam-

Vtramq; corripuere, vt patet ex versibus primo Indice adnotatis, certè non alia de causa, nisi quod non à Græco fonte nomen hoc deriuarunt, sed à merè Latino, videlicet, vt docet Gellius l. 13. c. 20. à *crepitu*.

CRITICVS. Cum Horatius versu apud nos 946. corripiat primam, & Martialis versu alias 12230. producat dicens.

Æqualis liber est Critice qui malus est.

Raderus tamen, & editio Lugdunēsis Sebastiani Gryphij anni 1539. l. 7. Epigr. 63. alias 89. habent *Cretice*. Sed Despauterius, & Quintianus Stoa 6. Epographes & Iosephus Langius, & nouissimè Thomas Farnabius, retinet nomen *Critice*, & primam produci posse non negant. Accedit, quòd ex eodem fonte deriuatur *Theocritus*, cuius tamen penultimam non solum breuem, sed & longam fatetur Raderus ob versum illum Simonidis l. 1. Anthologiæ.

γνῶθι Θεόκριτον προσιδών τὸν ὀλυμπιονίκαν.

Nosce Theocritum spectator olympionicen.

CROCITO. Vossius 2. Gram. c. 40. non assentitur Mapphæo Vegio, 13. Æneid. canenti.

Dehinc perturbatos crocitans exquirit, & omnes.

Sicut enim, inquit, à *dormio* fit *dormito*, sec. longa; sic à *crocio crocito*. Et sane Plautus in Aulularia verbo *crocibat*, prima quoque longa vsus est, vt docui versu 150. Quia tamen Auctor Philomelæ, siue is est Ouidius, siue quis alius cecinit, & ipse.

Et crocitat coruus, graculos at frigulat.

Suspicor verbum hoc ex illis fuisse qui esset coniugationis tertiæ, & quartæ, vt fuit *cupio*; ac proinde frequētatiuū ipsius potuisse penultimā habere breuem.

CVBVS. Priore ancipiti est, non tam quia sit à cubando, quàm quia nomen Græcum est κύβος, significans cubum, thesseram, &c. licet autem priorem breuem habeat in prouerbiali illo Iambico, quod refert Athenæus lib. 13.

Διωγμένον τὸ πρᾶγμα, ἀνερρίφθω κύβος.

Decreta res est, iacta sit hac tessera.

In κυβεύω tamen, quod est *tesseris ludo* Euripides in Rheso primam longam fecit eo Iambico, quod incipit οἱ κυβεύοντες.

CVCVLVS Auis priorem breuem secundam cōmunem habet: & breuem quidem apud Horatium l. 1. Sat. 7.

Cessisset, magna compellans voce cuculum.

Etsi Vossio l. 2. Gram. c. 38. credimus produxit, eandem

dem in Iambico illo Pseudoli Act. 1. Scena 1. Plaut. 10.

Quid fles cucule? viues C A quid ego ni fleam?

Et in Trochaico Asinariæ Act. 5. Sc. 2.

At etiam cubat cuculus: surge amator, i domum.

Idem tamen Vossius nimia seueritate damnat Philomelæ Auctorem canentem.

Et cuculi cuculant, fritinnit rauca cicada.

Cùm Martialis quoque apud Quintianum Stoam Epographe 6. cap. 3. cecinit illud.

Quamuis per plures cuculus cantauerit annos.

DANVBIVS, sec. breui legitur sæpe, vt patet ex versibus aliàs adductis 1905. 7976. 8291. 141477. neq; vero omnes sic metiri licet, vt facta synæresi, fiat trisyllabam, cum Horatianus versus Alcaicus l. 4. od. 15. requirat quadrisyllabum, & sec. breui.

Non qui profundum Danubium bibunt.

Idemque requirit Ouidianum illud 4. de Ponto.

Infectumque fero sanguine Danubium.

Quoniam tamen Straboni lib. 7. dicitur δανοῦβιος, & Stephano Byzantino lib. de Vrb. δανουβις, & δανοῦσις, si quis ob diphthongi Græcæ vim secundam producere audeat, non carebit hac vtcunque tutela.

DEHISCO, DEHORTOR, DEOSCVLOR, & similia puto omnino habere primam communem, & longam quidem vi præpositionis *De* longæ; breuem autem vi vocalis ante vocalem non secus, ac composita ex *præ* sequente vocali; exempla breuitatis habemus in *dehisco, deosculor, praeunte, præustus*, productionis autem in *dehortor, præiret*, vt patet ex Indice primo; nec me monet anxietas Vossij l. 2. Gram. c. 15. Versum illum Ennianum qui communiter, & apud Gellium l. 7. c. 2. est.

Annibal audaci dum pectore dehortatur.

Corrigentes adiectione *me*, & contrahentis in trisyllabum *dehortatur* sic.

Annibal audaci dum pectore me dehortatur.

Neque item probatur Philippus Rubenius lib. 2. electorum c. 22. versum eundem peruertens hoc modo.

Annibal audaci dum pectore de me hortatur.

Nam in deorsum similiter prima variatur à Lucretio lib. 2. semel enim, iuxta meliorem editionem habet.

Pondera quantum in se est deorsum cuncta feruntur.

Et iterum.

Quam vacuum per inane deorsum cuncta feruntur.

Et rursum . . . *atque aerea quaque deorsum.*

DIACONVS. Suidas in vocabulario, ait διάκονος, πα-

κρεῖ

κρὸν τὸ a, hoc est *diaconus*, lungum habet a, & adducit Iambicum carmen Sophoclis tale.

ἀλλ' ἢ τέθνηκεν, ἢ τὰ τοῦ διακόνου.

Sed aut is est defunctus, aut diaconi.

Franciscus quoque Vergara in Græca Prosodia lib. 4. c. 18. & Gretserus c. 18. Regula secunda dicunt produci, sed Gretserus putat id factum licentia, vel necessitate poetica, cum alioquin componatur ex διὰ, & κονέω, vltima verò διὰ breuis sit. At Vergara in Scholijs produci indicat ob crasim, seu contractionem nominis διακόνος. Lexicum autem Græcum, eo quod in Epigrammatis Græcorum sit διήκονος, Doricè autem η vertatur in α longum.

DINASTA, à verbo δύναμαι, cuius primam sicut & in δύναμις corripit Homerus 3. Illiados, esto Illiados 6. ob concursum trium breuium produxerit primam in *Dynamene*, de quo vide apud nos versum 1531. quia vero Seneca in Thyeste in versu Sapphico produxit primam iuxta communem editionem à Smetio alijsque admissam, dicens.

Cuncta dynastas, metuitque casus.

Farnabius, & cum eo Caualliuss in Ianua Musarum sic emendant.

Cuncta diuinat, metuitque casus.

At melius alij corrigunt, & coherenter ad sensum Poetæ illum locum sic.

Anxius sceptrum tenet, & mouentes
Cuncta diuitias, metuitque casus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.

Non enim insolitum est Senecæ Sapphum imitari, ac secundo loco dactylum inserere vt dixi, dum de Sapphico carmine.

EARINVS. Super hoc nomine quæstionem mouet ipse Martialis l.9.Epigr.8. aut 12. indicans voluisse se illud Hexametro, aut Pentametro carmine celebrare, sed non facilè potuisse, ob concursum quatuor syllabarum breuium: Quare elegit illud Phaleucio carmini inserere dicens.

Nomen cum violis rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni.
Hyblam quod sapit, &c.
Versu dicere non rudi volebam,
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt εἴαρινον tamen Poetæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum,

Et

Et quos Apis Apis decet sonare:
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus seueriores.

Quasi verò minoris culpæ esset primam in hoc nomine producere in Phaleucio, quàm in quouis alio genere carminum. At in nullo culpabilis futura erat ea necessitas potius quam licentia Poetica. Quamquam ne illo quidem refugio fuit illi opus; cum *Earinus*, significet *Vernum*; & deriuetur tam ab εἶαρ communis dialecti, quàm Ionicè ab ἔαρ, quod signficat ver; eiusque priorem modo vtroque vsurpat Oppianus in cynegeticis l. 3. & 4. & Quintus Calaber l. 2. & 4. eam producit vi diphthongi, licet Ionicè sine diphthongo corripiant Homerus, & nonnulli alij, quorum versus fusè adducit Conradus Dinnerus in Epithetis Græcis verbo ἔαρ, & εἶαρ.

ÆBVR: quod primam apud omnes breuem habet, communem tamen habere putauit quidam apud Quintianum Stoam Epographe 6. adducens Catulli carmen, sed spurium.

Ebore Nyseo vertice Cæsariem.

Cum editiones plurimæ, & receptiores, ipso Stoa annuente habeant.

Et Bereniceo vertice Cæsariem.

Simili sphalmate primam communem nobis in *Echion* intrusit, ob versum Ouidianum 5. Metam. *Echionque sagax &c.* cum vera, & legitima editio habeat *Æthionque sagax.*

ÆLECTRVM primam longam plerumque, & securiùs habere constat, tum multis exemplis ex nostro Indice petendis, tum quia Græcè communiter scribitur ἤλεκτρον. Quidam tamen pro breuitate quoque primæ adducunt Virgilianos illos versus, primum ex 8. Æn. alterum ex Cyri.

Quod fieri ferro, liquidoue potestur electro
Coralio fragili, & lacrymoso mouit electro.

Nam veteres adhibuisse *potestur* testis est Festus. Verum Seruius in 8. Æneid. Politianus in Miscellaneis, Cerda, & pleriq; alij, spondaicum ibi carmen legunt, terminatumque sic. ——— *liquidoue potest electro.* Nihilominus quia Quintianus Stoa Epographe 6. c. 2. recipit priorem lectionem; & secundum exemplum Virgilij, nisi violenter corrigatur, fauet, aliquis locus relinquitur correptioni primæ: & forte alia dialecto, puta Attica η in ε commutari potuit.

ERI-

ERIPHYLE. Cum priores duas corripiant pleri que; visus tamen Tibullus primam produxisse, & medias corripuisse versu illo.

Eriphile Phebo grata quod admonuit.

Hinc suspicatus est Stoa hanc fuisse Sibyllam; alteram vero Amphiarai vxorem; etsi non negat legi ab aliquibus in Tibullo Hierophile, vt & nos legimus.

EVGENIVS. Philelphus, & non nemo alius penultimam corripuere; qui non effugerunt censuram Gerardi Vossij l. 2. Gram. c. 4. id improbantis, eo quod Græcè scribatur εὐγένιος. Nisi malis eos excusare ob necessitatem secundæ breuis, inter duas longas clausæ.

FLABELLVM. Rectè produci primam à Propertio, & Claudiano versibus, apud nos 1164. & 1411. nemo est, qui ambigat, ob deriuationem à *flabam*, vel à *flabo*. Vtrum autem corripi possit non defuere qui dubitarint, & Ouidianis in exemplis, loco *flabelli*, substituendum putauerint *labella*: sed vtique violentia in textum sensumque Poetæ, non permittenda præcipuè cum alia non pauca sint, quæ non seruant quantitatem suorum primitiuorum: Porrò versus Ouidij sic se habent l. 1. Amorum Eleg. 2.

Vis tamen interea tenues arcessere ventos,
Quos faciant nostra mota flabella manu?

Et lib. 1. de Arte.

Parua leues capiunt animos: fuit vtile multis
Puluinar facili composuisse manu:
Profuit & tenui ventos mouisse flabello,
Et caua sub tenerum scamna dedisse pedem.

Et ita habent quotquot editiones licuit consulere.

FOCILO. Videtur hoc verbum à *foculo* quo frigore correpti restaurantur, deductum, adeoque prima breuem habere; quare versum illum siue Ouidij, siue Lucani ad Pisonem.

Sed miserum parua stipe focilat, vt pudibundum.

Scaliger offensus modulo, maluit legere, *munerat*. Vossius tamen in Appendice ad lib. 2. Gram. retinet *focilat*, & confirmat ex Suetonio in Augusto c. 17. & ex Glosis vetustis. Quid si *focilo* est à *faucibus*, quarum anhelitu, vt frigidiusculas manus foueamus, aut ignē excitamus, sic alia refocilare possumus?

FORTVITVS. Penultimam longam habet procul dubio apud Plautum, Horatium, Ausonium, & Aliciatum, versibus 790. 1350. Reliqui quibus corripi posse suadetur, nempe versus 2588. 2860. sic scandi possunt, vt

facta

facta synæresi retineatur penultima longa; mihi tamen & Stoæ videtur violentior illa synæresis præsertim si, vt vult Seruius, deriuatur à *fortuna*, & *itum*, nec minor est difficultas de *gratuito*, cuius tamen penultimam manifestè breuem fecit Statius 1. Sylu. illo versu Phal.

Largum gratuitis cadit rapinis.

Eademq; ratione de *fortuito* esse censet Vossius l. 2. Gram. cap. 37. contra Ioannem Douzam l. 2. Præcidaneorum ad Horatium c. 26. putantem in his τὸ I malè corripi.

FVLICA. Tres breues habet apud Virgilium, Ouidium, & Claudianũ versibus, qui apud nos sunt 3422. 6134. 23650. At priores longas quoque habet in Furij Antiatis versu illo editionis Gryphianæ, Stephanicæ, & Tornæsianæ.

Hic fulica leuis volitat super æquora classis,

Quem versum, vt ad modulum ordinarium *fulicam* reducent, varij variæ corrigunt. Fuluius Vrsinus in Virgilio cum Græcis collatio 1. Georg. legit: *Vtque fulica leuis*. Petrus Crinitus de Poetis Latinis c. 33. *Vt fulica ipsa leuis*. Vossius l. 2. Gram. c. 38. ex Gellij l. 12. c. 11. manuscriptis, & quibusdam excusis, legit *sicut*, sed putat corruptum, & legendum *Hic vt*, disiunctim tamen sic.

Hic leuis, vt fulica, volitat super æquora classis.

At quia classis constat ex pluribus nauigijs, puto melius legi.

Hic leuis, vt fulica volitat super æquora classis,

GEDANVM sec. longa, siue à *Getis*, & *Danis* conflatum, vt vult Goropius, siue à sinu *Condano*, vt contendit Cluuerius lib. 3. Germaniæ antiquæ sub finem cap. 34.

GENVA. Sic eam nominant Liuius l. 27. 28. 30. Valerius Max. l. 1. c. 6. Pomponius Mela l. 2. c. 4. Plinius, & Itinerarium Antonini. At ex Græcis Ptolemæus, & Strabo l. 4. & 5. nominant γενοῦαν, sed Stephanus Byzantinus γενόαν. Quare prima breuis, sec. anceps est. Sunt qui eam à Iano denominent, & Ianuam vocent, sed posterioris & iam barbari sæculi vt notat Cluuerius lib 1. Italiæ Antiquæ: nempe Procopius l. 2. & 3. Luithrandus in Fasciculo temporum, & inscriptio marmorea in muro vrbis huius mare prospectans.

GEOMETRA, vel GEOMETRES: Græcè γεωμέτρης: primam habet breuem, secundam longam, tertiam com-

communem. At Sidonius bis in Phaleucijs corripuit secundam dicens.

Non hic cum Geometricas ad artes
Tractator, Geometra, Musicusque.

Reliqui versus etsi fauere videntur Sidonio, si tamen synæresis fiat, non amplius fauent: talis ille Iuuenalis Satyr. 3.

Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes.

Et Ausonij in Idilijs.

Vel quot iuncturas geometrica forma fauorum.

Quia vero Terra & ager, Græcè dicitur non solum γέα, sed etiam γαια, ideo prima produci potest sicut in Georgius.

GETVLVS scribe cum Dionysio, & alijs γαιτῦλοι, ideoque rectè priores productæ Virgilio, Statio, Claudiano, Lucano, & alijs: hac te moueat illum Martialis in spectaculis Epigr 4.

Traducta est Getulis, nec cepit arena nocentes.

Siquidem vetusti codices, & germana lectio habet. *Tradita Gætulis*. Sic & in Ouidij Epistola Dido ad Æneam.

Quid dubitas vinctam Gætulo tradere Hiarbæ?

GOTHI. Baptista Mantuanus semel quòd nouerim, priorem producit, aliàs sæpe corripit, vt & Ausonius, quorum carmina penes nos sunt 2556 & alia, nec mirum quia ijdem Græcè scribuntur non solum γόθοι, sed etiam γότθοι, apud Stephanum Byzantinum, & Procopium l.1. Rerum Gothicarum, & Ptolemæo γύθονες, & Straboni l.1. γῦτονες; Latini eos appellarunt modo *Gothones*, & *Gotones*, Tacitus lib. 2. Annal. modo *Guttones*, vt Plinius lib. 37. c. 2. modo *Getas*, & *Gothos* S. Hieronymus Epist. 135. Orosius l.1. c.16. modo deniq; *Gotthos*, vt Pomponius lætus in Constantino Magno, Spartianus in Caracalla, & in Antonino Geta, de qua varietate consule eruditissimum Cluuerium in Germania antiqua l. 3. c. 34.

GRABATVS. Primam corripuit, secundamq; producunt Catullus, Virgilius, Martialis; vt videre est in versibus apud nos 1560 5414. & 12055. sed apud Græcos geminato BB, scribitur κράββατος, & prima producitur.

GRAVEOLENS. Sunt qui putent synæresim, aut crasim factã à Virgilio in versibus illis 4. Georg. & 6. Æneid.

Cecropiumque thymum, & graue olentia centaurea.
Inde vbi venere ad fauces graue olentis Auerni.

Atqui synæresis, & crasis producunt suam syllabam, opor-

Per-

Perfer saua precor per mystica sacra Ilithyia.

Nisi malis, esse spondaicum, & non obstante diphthongo penultimæ, factam synæresim, vt nomen euaderet trisyllabum; quod quàm durũ sit nemo non videt. Quintianus tamen Stoa Epographe 6.cap.2. & 3. ob auctoritatem Virgilij priores duas esse communes: quod minus inuito admitterem si constaret Ionicè hoc quoque nomen scribi posse εἰλειθυῖα.

IMBECILLVS, quasi *baculo*, aut *bacillo* innitens, secundam breuem habet apud Prudentium quater, neque assentior Vossio l.2. Gram.c.17. illum reprehendenti, & tamen agnoscenti deriuationẽ à *bacillo*: Quod enim Lucretius, & Horatius in hexametro secũdam produxerint, necessitati magis metricæ, quam legi adscribo.

INSVBRES. Secundam communem habet, eamq; corripiunt aliquando Mantuanus, & Crinitus, quibus subscribunt noster P. Labbeus, & P. Ludouicus Cauallius in Ianua Musarum, ac meritò. Nam etsi Græcè scribantur Polybio l.2. ac 3. ἰσόμβρες, & Plutarcho in Marcello ἴνσομβρες, & Straboni l.5. ἴνσουβροι, vt & Ptolemæo in descriptione Italię; tamen apud Stephanum Byzantinum habentur ἰνσόβαρες, & hic affirmat à Polybio dictos ἴνσοβρες, & P. Labbeus in excerptis Polybij docet legendum ἴσοβρες, & ita legit Smetius; esto aliter legat Cluuerius l. 1. Italiæ antiquæ c. 24.

INVOLVCRVM. Qui putant formari ab inuolutum, succensent Prudentio penultimam corripienti, versibus apud nos 13498. & 13662. sed si quam primum formari potest ab *inuoluo*, vt à molo, molocrum, & à polluo pollubrum, non est necesse deriuari ab *inuolutum*. Neque tam perperam de Prudentio existimauerim, vt putem similitudine deceptum ab adiectiuo inuolucris, quod significat tardum; immo potius hinc eius opinionem firmauerim, si inuolucrum dictum suspicer, eo quod inuolucrem reddat quem inuoluerit. Sed hæc mera suspicio est.

IVBILÆVS. S. Gregorio Nazianzeno ἰωβηλαῖος. Suidæ ἰωβιλαῖος, medijs longis. At Baptista Mantuan. 4. Fast. priores corripuit, vt infra.

Huic anno cognomen erat Iobelaus, ab ipso,
Quod Iobel appellat soboles Abramica, cornu.

Sed præstat vtrasq; producere, quia Hebraicè prima scribitur per *Cholem*, secunda per *Tzere*.

LABRAX. Labracis incrementi est breuis: nam versus quem Smetius ex Oppiano adfert.

Θυγὸν μὲν κοραικὸς ἄγει λάβρακα δ' ἐκαρῖς.

Noster Labbeus, & cum eo Cauallius docent legendũ ἄγει καὶ λάβρακα καρῖς: ita vt Labraca sit dactylus.

LATRO. Latras proculdubio primam communem habet; quia Phædrus Virgilio coæuus lib. 5. Fabularum in Iambo priorem breuiauit dicens.

Canem obiurgabat cui senex contra latrans.

Idemq; in hoc verbo, aut compositis fecere alijs quos adduximus versibus 2664. 2665. 2788. Quamquam, si exempla deessent, sufficeret sola Regula de Muta præcedente Liquidam; quamdiu non constaret euidenter syllabam eam natura sua esse longam. At non solum id minimè constat, sed potius validissima coniectura est esse breuem: siquidem, sicut *latrones*, dicti sunt quasi *laterones*, ita verbum *latrare* quod canes, vel *latronibus*, vel *latentibus*, vel *lateribus* ir..ament. Græcè quoque λακεῖν latratus, priores duas breues habet.

LIBRO. Libras primam longam natura sua habet, vt ex *libella*, & versu 355. apud nos patet. Ouidianus autem versus 7. Metamorph.

Ad iaculi vertebar opem, quod dextra librabat.

In emendatis codicibus apud Farnabium, aliosque, & cohærenter ad tempus præsens sequentis carminis sic legitur.

Ad iaculi vertebar opem; quod dextera librat
Dum ea: dum digitos amentis addere tento.

Sic in carmine Ithyphalico, Phaleucium illud mendosum est.

Medis laxior Indicis libratis.

Meliores enim libri habent.

Medis laxior Indicisque braccis.

Quia tamen Iulius Cæsar Scaliger, magni iudicij, & latinitatis peritissimus vir primam corripuit in illo Scazonte.

Sed quam librauit dextera spiculatoris.

Et quidam mordicus tenent priorem Ouidij editionem; ideo sic produxerim ego, vt alios corripientes, non obstinate reprehenderim.

MARCOMANNI. Ita scriptum nomen hoc cum duplici NN, constanter legitur apud Iulium Cæsarem lib. de bello Gallico, Velleium lib. 2. Tacitum 2. Annalium, & lib. de Germania, Iuliũ Capitolinum in M Antonino, Orosium lib. 7. c. 15. & alios quos adducit Cluuerius lib 3 Germaniæ antiquæ cap. 3 & 30.

sed

sed & Strabo lib. 7. habet Μαρκομάννυς, & ita habetur in vetustis marmoribus, ac nummis. Proinde cum Statius 3. Sylu. 3. versu 200. corripuerit penultimam, dempto vno de duobus ν, dicens.

Quâ modo Marcomanos post horrida bella vagosque.

Dicendum videtur eum necessitatis causa id fecisse, quod secunda breuis esset inter duas longas, nec aliter nomen hoc ingredi posset hexametrum, nisi vel secunda producta, vel tertia correpta.

MATER. Dubitatur ab aliquibus an prima possit corripi propter Dialectum Æolicam, quæ η vertit in α breue, iuxta PP. Antesignanum in Grammat. Græc. vbi de Dialectis, & Iacobum Gretserum in Prosodia c. 7. Verum de hoc non vidi exemplum certum, nam carmina illa Pindari in Olympia.

ξη . ὅς ἦτορ λιταῖς ἔπιμε μάτηρ, &
ουρανὸς δ' ἔφριξέ νιν καὶ γαῖα μάτηρ, &
μία βοῦς κρηθεῖσι μάτιρ, &c.

Non probant absolutè primam in μάτηρ esse breuem, cum non constet μάτηρ esse Iambum. Quidam tamen putant esse Iambum: Vide infra TRACHEA.

MATRIMVS, & PATRIMVS, est cui adhuc superstes esti mater, aut pater, horum penultimam corripuit Angelus Politianus versibus in nostro catalogo 15542. & 15543. qui apud ipsum sunt cap 58. Miscellaneorum; At Catullus in primo Epigrammate produxit, eo Phaleucio.

Qualecunque quod ô Patrima Virgo.

Vbi Mineruа alloquitur, quæ nata à capite Iouis, & tamen semper superstitis rectè dicta est patrima. & eã lectionem habent multi codices, quidquid repugnet Vossius l. 2. Gram. c.23. esto aliquis codex habeat *patrona*, & vnus *peranna*; at *patrinam* agnoscit Iosephus Scaliger. Iam tamen Vossius ibidẽ contendit Politianum errasse, formata enim adiectiuè in *timus* penultimam corripere, vt *finitimus*, *legitimus*, *solistimus*, *aditimus*; at quæ formatur in *imus*, sed ita vt non totum imus adiectum sit, nec proroget syllabam, penultimã producere, vt à *præ primus*, à *bis bimus*, à *tres*, vel *tris*, *trimus* à *matre matrimus*. Quidquid sit de hac obseruatione, cum à *finistra finistimus*, à *dextro dextimus*, ab *intra intimus*, ab *extra extimus*, à *citra citimus*, ab *vltra vltimus*, sic formentur, & tamen corripiantur: mihi ita præponderat Catulli auctoritas adiuncta Vossi, & Scaligeri, vt tamen Politiano se tuente, non omnẽ

patrocinium denegauerim, nã & illi suffragatur Despauterius, & Smetius; esto Cauallius Scaligero subscribat.

MEDOACVS. Maurus in Franciſciade primam neceſſitate metri produxit verſu apud me 22091. alioquin prima breuis eſt, cum apud Strabonem libro 5. ſcribatur μέδοακος.

MELEAGER. Si ſic legitur in Metamorphoſeos, non dubium quin Ouidius eam produxerit illo verſu.

Quam Meleagros erat, primus vidiſſe putatur.

Sed quia eodem libro dixerat.

Eſſe putant tutos: donec Meleagros, & vna
Lecta manus iuuenum caluere cupidine laudis.

Et infra ibidem.

Inſcius atque abſens flamma Meleagrus ab illa
Vritur.

Ideo, & priore loco Deſpauterius legendum putat Meleagros, quia putat penultimam natura breuem habere, cui ſubſcripſit noſter Ricardus Eſius Græcarum litterarum conſultiſſimus in Rudimentis Proſodiæ, & vbi de A ante G, in medijs ſyllabis. Quare etiam ſi Ouidius dixiſſet *Meleager* neceſſitate potius penultimam produxiſſet: quam quod natura ſit longa, nec inde id ſatis probatur.

MICHAEL. Μιχαήλ, apud Hebræos tres longas habet, & Græcè vltima longa eſt, vt & incrementum in ηλος. Quare ſi qui verſus ob hoc modulo recedere videntur, poſſunt ſæpè excuſari, vt excuſat Quintianus Stoa, Cauallius, & Io. à Planis facta per ſynæreſim contractione in diſſyllabum, vt ille Mantuani à ſpondeo potius initis.

Michael octauo Maias apparuit idus.

MOYSES, cum Exodi 2. Marci 7. Actorum 6. & paſſim ſemperque in Biblijs Græcis, alijſue libri ſcribatur μωυσῆς, vel μωσῆς, vel μωσεὺς, vel μωυσεύς, vt annotauit etiam noſter Gretſerus lib. 1. Inſt. Græc. cap. 7. mirum quomodo Gerardus Voſſius lib. 1. de Arte Gram. cap. 9. approbare potuerit Sedulium l. 3. canentem.

Quid? quod & Eliam, & clarum videre Moyſen?

Aut Prudentium in hamartigenia hexametrum terminantem ſic: *Velut ipſe Moyſes*, & in Phaleucio ille de Corona.

Indumenta pedum velut Moyſes.

Nec approbarit ſolum, ſed etiam antiquiſſimum illum verſum, quem recitat Petrus Crinitus lib. 17. de honeſta diſciplina cap. 1.

Moy-

Moyses primus Hebraicas exarauit literas.

Emendarit sic, vt in Trocha eo versu primam corripuerit, substituens.

Primus Hebraas Moyses exarauit literas.

Cum potuerit salua lege græcæ vocalis Trochium sic instruere.

Moyses Hebraas primus exarauit literas.

NAVFRAGIVM. Plerique Poetarum videntur corripuisse secundam; quamuis enim nullum adhuc exemplum repererint, id omnino euincens, quia illorum carmina sic metiri licet, vt facta synæresi *naufragium* euadas trisyllabum, & secunda producatur, vt videre est in versibus apud me 1370. & alia in priori Prosodia, id tamen à tam multis factum, haud ita probabile est, præsertim cum in *naufragus*, & similibus à frango deriuatis penultima breuis sit; Vnus porrò, & vnico quod sciam loco Manilius lib. 4. produxit eo versu.

Incubuit pontus: timuit naufragia tellus.

Nec deest patrocinium à Græcis, quibus naufragium dicitur ναυάγιον, sec. Ionicè ναυήγιον, aut ναυηγίη secunda longa. Proinde tutius quidem est ob Latinam deriuationem corripere; sed producentem non omnino exsibilandum puto.

NERIENE. Gellius lib. 13. c. 21. quem affert Quintianus Stoa Epographe 6. cap. 2. vt primam longam apud Ennium, breuem apud Licinium imbricem fuisse docent, non id manifestè euincit, sic enim metiri possumus Ennij versum, vt prima breuis sit; & breuem putat P. Caualliius in Ianua Musarum. Apud Græcos nomen hoc non reperiri.

NVTRIO. primam communem habere putauit Despauterius; credo ob illud Claudiani 2. in Eutropium.

flatusque leonis
sæpe nutrire leuis.

Sed Aldina, & aliæ posteriores editiones habent: *spe nutrire leuis.* Deinde nutrix dicta videtur, eo quod infantem gressibus nutantem regat, aut nutibus cum eo agat: prior autem in *nuto*, & *nutus*, producitur.

OEDIPVS. Primo nomen hoc, & alia multa composita à ποὺς ποδὸς, vt adnotat Gretserus lib. 1. Gram. Græc. c. 7. habet in casu recto non solum οἰδίπους, sed etiam οἰδιπόδης, & in genitiuo οἰδίποδος, & οἰδίπου, Latinè *Oedipodis*, & *Oedipi*, & *Oedipodæ*. Deinde in casu recto Poetæ Græci aliquādo habēt Doricè οἰδίπος, La-

Latinè *Oedipus*, ita vt vltima sit cõmunis; nempe longa quidem ob diphtongum ου, sed breuis ob simplex omicron. Vide Delrium in Oedipo Senecæ Act. 2. sic apud Horatium Polypus, vltima breui, lib. Epod. ode 12. esto communiter sit πουλυπους, aut πωλυπος.

OPOBALSAMVM. De penultima satis dictum supra in vocabulo BALSAMVM.

ORICHALCVM, habet Græcè communiter diphthongum in secunda syllaba, sic: ὀρείχαλκον, ideoq; illam produxit Hesiodus in Herculis clypeo. Horatius tamen, Statius, & Fillolius eandem corripuerunt, vt patet ex collectis per nos versibus 1098. & alijs fortasse dialecto Ionica, vel alia quapiam, obiecto ε, retenta est vocalis sine diphthongo.

ORIGANVS. Variat non minus quantitatem, quam sexum: nã fœminini generis est apud Atticos, vt testatur Phauorinus, & sic eã vsurpant Theophrastus, Dioscorides, & ante hos Plato apud Athenæum l. 21. qui tamen lib. 11. affirmat ab Anaxandride, & alijs vsurpatũ masculino genere, sed ab Epicharmo, & ab Amipsia, neutro genere; quod nunc plerisque placet. Serenius primam corripuit, & secundam produxit versu illo.

Cumque hoc absumi debebit origanus herba.

Et antea Nicander in Theriacis, bis.

Συνήκαι ὄνου πετάλοιον ὀρείγανον, &

Ην τι καὶ Ηράκλειον ὀρίγανον αμφινέμουσι.

Vbi vides scribi modo per ει, modo per simplex *iota*, quo posteriore modo scribunt Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, Atheneus, Aristophanes, Hesychius, Suidas, Cassianus, Bassus, Antigonus, Plutarchus, sed & Theodosius grammaticus apud Phauorinum aiebat scribendum per simplex *iota*, quia putabat deriuari à ρίγω, idest alego, sed ipse Phauorinus ait: *Origano Attici muliebri genere pronunciant, Origanum herba est: præstat per diphthongum scribere; Origani enim vox conflata est ex datiuo ὄρει monti, & γάνος, quod significat gaudens, eo quod gaudent montibus.* Herodianus non reluctante Phauorino, contendit dictum ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν, & γανῶ, idest à videre, & clarifico, eo quod visum acuat, & clarificet; qua etiam ratione secunda longa esse debet, ob vim diphthongi, idest alpha cum iota subscripto, & circumflexi accentus, in ea latentem. Honterus tamen Poeta, sed recentiorum temporum, primam produxit, & secundã corripuit illo carmine:

Saxifraga origanum, mox glycirrhiza melones.

Quem

Quem non facile imitabere, licet ad primæ syllabæ productionem emendicandam scripserit per V, quasi latinè ad vrendo deriuans.

ORIGENES. Horatius lib. 1. Satyr. 2. nomen proprium *Origenis*, vel vt alij legunt *Originis*, sic versui inclusit.

Et quondam Marius amator Origenis ille.

At Petrus de Barbaris apud Quintianũ Stoam cecinit.

Scripsit Origenes, quæ non tenebrosa fuere.

Vbi male tertiam produxit, cum apud Suidam scribatur ὠριγένης; prima quoque producenda esset propter *Omega*, sed corripi potest exemplo Horatij, & vi Æolicæ dialecti.

ORPHEVS. Græcè ὀρφεὺς, dissyllabum est, ac spondeus, & ita passim Poetæ versibus apud nos.

Sed quoniam Virgilius in culice cecinit.

Fœnaque respectus, & nunc manet Orpheus in te
Naiadum cætu, tantum non Orpheus Hebrum.

Videbatur olim defendi posse agnoscendo versus hos pro Spondaicis, sed secundus aberraret à lege Spondaicorum, quæ antepenultimum pedem solet requirere dactylum. At quid facias Iambico illi apud eundem in Epigrammatis?

Moresque agrestes expoliuit Orpheus. Iamb.

Certè nisi Virgiliũ vtpote iuniorem damnare audeas erroris, dicendum est aliqua tandem dialecto Græca resoluere licuisse diphthongum ευς in εος, & nomen hoc Heteroclitum fuisse non minus in recto casu, quam fuerit in obliquis, de quibus satis diximus in Prosodia Maiore, Parte 2. Reg. 5. in Appendicibus dum Dialecto Dorica, & Ionica vide, quæ mox dicemus de PHALEREVS, vbi & de *Perseus*.

PASTOPHORIVM. In Biblijs Græcolat. Esaiæ 22. habetur πασοφόριον, & sic habet Calepinus Passeratij. At Suidas, & multa Lexica habent πασοφορεῖον & idem caput Esaiæ recensent: quare neutrum sic liquet, vt alteri nullus sit probabilitatis locus.

PATRIMVS. Vide quæ supra diximus de MATRIMVS.

PECVLATOR. Prima breui est, secunda longa: etenim eam produxit Horatius, Virgilius, & Iuuenalis in Peculio versibus apud nos 1864. & alijs, & Martialis in *Peculiari* l. 4. seu apud nos versu 2142. nec te moueat versus ille Prudentij in Psycomachia.

Qui petit arsurus pariter peculator auarus?

Nam in manuscriptis teste Vossio, & in editione Giselini est *peculator*.

PHALEG. Græcè φαλέγ, vtraque breui apud Hebræos, at S. Gregor. Nazianzenus de Genealogia Christi, priorē modo produxit, modo corripuit, vt adnotauit Franciscus Vergara lib. 4. Grammat. Græcæ c. 14. in Scholijs.

PHALEREVS, partium nomen à loco Atticæ dicto φαλήρον; hinc Demetrius dictus Phalereus, Græcè apud Suidam φαληρεὺς, nempe trissyllabnm secunda, & vltima longa: sed apud Stephanum Byzantinum de vrbibus, verbo φαλήρον, dicitur non solum φαληρεὺς, sed etiam quadrisyllabum φαληραῖος, secunda, & tertia longa. His non obstantibus Phædrus Poeta Virgilio coæuus, resoluit hoc nomen in quatuor syllabas, ita tamen vt tertiam corripuit Iambico illo.

Demetrius qui dicitur Phalereus.

Quare, vt dictum in nomine *Orpheus*, probabile est aliqua dialecto Græca licuisse nomina in εὺς, resoluere in εος; qua ratione defendi quoq; potest Manilius l. 1. si *Perseus* dactylum fecit, quamuis Græcè sit περσεὺς.

Et finitur in Andromeda quam Perseus armis.

Nisi malis esse spondaicum carmen, quod tamen solet quarto loco habere dactylum.

PHARSALIA. Secunda communiter apud Poetas producitur, vt & in *Pharsalus*, & Pharsalicus, quod euicimus versibus 1546. & alijs, nec obstat illud siue Catulli, siue Pedonis Albinouani.

Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.

Nam legendum *Pharsalon coeunt*: & quamuis legeretur *Pharsaliam* synæresis esset, & trisyllabum.

PITVITA. Primam produci, & tertiam docent versus illi Catulli ad Furium.

Mucusque & mala pituita nasi. Phaleuc.

Et Persij Satyr. 2.

Somnia pituita qua purgatissima mittunt.

Quapropter reliquos versus, in quibus prima videtur corripi, sic pleriq; scandunt, vt ope synizesis trisyllabam efficiant *pituitam*, vt fecit Persius: talen sunt versus Horatij l. 2. Sat. 2. & l. 1. Epist. 11. & Macri.

Lenta feret pituita: vides vt pallidus omnis
Præcipuè sanus, nisi cum pituita molesta est
Cum multo bibitum pituita noxia soluit.

Et Despauterius, ac Scaliger l. 7. Poet. ex Ælio Stolone putant dictum ab eo quod *petat vitam*, sed sic prima breuis esse deberet. Esse porro trisyllabum dictis locis autumant Despauterius, Scaliger, Ioannes à Planis, Vossius, & Cauallius, & Vverti in consonantem.

POLYMITVS, A, VM, ideſt ex multis filijs, ſeu licijs, contextus, penultimã breuem habet; ſiquidem μίτος filum apud Homerum Iliados ψ priorem corripit, & Gretſerus, ac Vergara non excipiunt id à Regula de *Iota* ante *Tau*, quod corripi dicunt in ſuis Proſodijs Græcis. Proinde aut aliũde deriuauit, aut neceſſitate, ob concurſum quatuor breuium, produxi Martialis in nomine, ſed proprio fœminæ Polimitæ, verſu aliàs 12592. Meum porrò Lexicum cum μίτος ſcribat, malè tamen habet μονομίτος, *vnilicium*, debuit enim ſcribi μονόμιτος. Deſpauterius cum Calepino, Neſtore contra Rigam, affirmat omnes breues eſſe in *Polymitus*.

PRÆSTOLOR. Penultimam produxit Valla verſu aliàs 20050. ſed corripuiſſe videtur Turpilius verſu Iambico apud nos 22498. manifeſtè tamen corripuit Buchananus verſu 20052. an autem Cómici antiqui in ſuis Iãbis corripuerint, verſibus apud nos 256. 197. 153. nõ conuincitur, cum ſedes illa recipiat, & ſpondeum. Corripiẽdam putant P Caual. in Ianua Muſarum, noſter P. Ricardus Efius in Rudimentis Proſodiæ, vbi de O ante L in medijs ſyllabis, & Voſſius l. 2. Gram. c. 37. quia à *præſto* ſit *præſtulus*, & antique *præſtolus*, ideſt qui prȩſto eſt. At Simon Verepȩus in Regula de O ante L in medijs ſyllabis excipit hoc verbum, & cum Deſpauterio produci putat. Ego libentius corripuerim.

PVBLICVM. Inquit Auctor Theſauri Linguæ Latinæ, dictũ eſt eo quod non priuatis, ſed populo commune eſt, & forte quod *populo liquet*, aut *licet*; & ita priſci dicebant *poblicus*, & *poplicus*, ſic etiam *res poplica*, quaſi à *popolo*, ſeu populo. Hæc ideo adnotarim, quia ſi quis priorem in *publicus* communem faceret, cum in *poplo* cõmunis ſit, & in breuis in *populo*: non poſſet erroris redargui: immo habere vnde ſe defenderet, ob Regulam generalem mutæ, ac liquidȩ: quȩ ſola per ſe valet etiã ſi deſinit in particulari aliquo vocabulo exẽpla.

PVTEOLI. Primam longam habere cenſet P. Cauallius in Ianua Muſarũ, quod deriuetur à putore ſulphureo; At Feſtus de Verborum ſignificatiõne ait: *Puteolos dictos putant ab aquæ calidæ putore: quidam à multitudine puteorum earundem aquarum gratia factorum.* Varro quoque lib. 4. de Lingua Latina inquit: *A puteis oppidum Puteoli quòd ſint circa eum locum aquæ frigidæ, & calidæ multæ, niſi à putore potius, quod putidus ſit odoribus ſæpè ex ſulfure, & alumine.* Strabo lib. 5. cum locum hunc antea Dicharchiam dictũ narraſſet ſubdit. Mu-

ratoq; nomine Puteolus dixere à puteis. Alij à *putore aquarum*. Græcè καὶ μετωνόμασαν Ποτίολους ἀπὸ τῶν φρεάτων οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας. Cluuerius tamen l.4. Italiæ antiquæ pag. 1137. affirmat à Græcis etiam sub Romanis Imperatoribus sæpe vsurpari nomen Ποτίολοι, siue Πουτέολοι, & ita Dio l. 59. Sed Stephanus Byzantinus cũ Strabone scribi Ποτίολοι, κτίσμα Σαμίων; *Puteoli opus Samiorum*. Potest itaq; prima produci non solum necessitate, ob concursum trium breuium; sed etiam sequendo diphthongum ου, & etymologiam à *putore*, cuius prior longa est. Potest etiam corripi, sequendo eos qui scribunt per *omicron*, & etymologiam à *puteis*; cui fauet Italicum nomen *Pozzuolo*; Italicè enim *puteus* dicitur *pozzo*; at *putor oris* dicitur *puzza*.

PVTVS, TA, TVM. Primam longam videtur habere, tum quia teste Alpheno Iurisconsulto argentum, aurumue *putum* dictum est, quasi valde *purum*: tum ob versum Iuuenalis Sat. 10.

Pauca licet portes argenti vascula puti.

At obstat Aulus Gellius l. 6. c. 5. affirmans dictum à *putando*, quem Quintianus Stoa Epographe 3 sequutus ait in Iuuenali legi oportere non *puti*, sed *puri*. Vtramque etymologiam miscuit Festus, dicens: *Putus antiqui dicebant pro puro: vnde putata vites, quod decisis impedimentis remanerent pura: aurum quoque putatum dici solet idest expurgatum*. Ergo si *putus*, crasi facta formatus à *putatus*, vi craseos primam longam habet, etiam si in puto putas sit breuis.

QVINCTILIANVS pro quadriss. à quibusdam sumitur.

RESINA. Cum Græcè sit ῥητίνη, & primam, immò & secundam producant reliqui, & ipse quoque Martialis, sicut & in adiectiuo *resinatus*; mirum visum est multis, qua ratione idem l. 3. Epig. 25 alijs 52. vel 67. vtramq; corripuerit in Phaleucio carmina dicens.

Cessatis pueri, nihilque nostis
Veterno resinaque pigriores
Quorum per vada tarda nauigantes,
Lentos figitis ad celeuma remos.

Scriptores in duas classes abiere. Quidam sicut in *temeto* vtramq; variam sic in resina agnoscunt: vt Quintianus Stoa Epographe 6. c. 2. & Io. Baptista Pius l. 1. anno licet putet legi quoq; posse *remora*, loco *resinæ*. Alij verò, quia primam in veterno longam tantũ modo censent, vtrumq; nomen mendose positũ censent. Turnebus, & Lipsius legunt *Veientone asinaque*, quibus suf-

suffragari videtur Raderus ad Epigr. 52. fuit quippe Vaiento tam otiosus, & piger, vt ne labra quidem aperire conaretur resalutandi gratia, & de illo est illud Iuuenalis Sat. 3.

Vt te respiciat clauso Veiento labello.

Et Sat. 6. . . . . *segnius idem*

Accepta rude cœpisset Veiento.

At Gerardus Vossius l. 2. de Arte Grammatica c. 38. cum Iano Grutero in Palatinis codicibus, & manuscriptis, legit *Vaterno Resinaque*; quia clarè Martialis ait remiges illos fuisse pigriores duobus illis fluentis: *Quorum per vada figebunt remos*. Cluuerius autem lib. 1. Italiæ antiquæ c. 35. & cum eo Thomas Farnabius ad lib. 3. Martialis Epigr. 67. putat legendum *Vaterno Eridanoque Pigriores*: cum manifestum sit Martialem loqui de fluminibus stagnātibus, *quorum per vada tarda &c.* non licebat remigare vndas impellendo, sed solū figendo remos in fundo, & sic impellendo nauē. Vatrenus autem, seu vt modica differentia nominatur à Plinio l. 3. c. 16 Vatrenus, & in tabula itineraria antiqua *Saternus*, is est quem hodie Santernū vocamus; prope Imolam, seu forū Cornelij fluentes, & tunc Padusam in Hadriaticū lente fluebat, sicut & ramus quidam Eridani, nisi forte alter amnis erat circa illū tractū qui diceretur Rasina, aut Ratina. Reliquas lectiones minus probabiles, vide apud Cluueriū: solum addo cum illo Maritalē scripsisse librum 3. in Gallia togata, versatumq; fuisse Imolæ, & Rauennæ, vt liquet ex tertij libri Epigrammate statim primo, quarto, & 56. quare hinc firmatur lectio de *Santerno*, idest de *Vatreno*, & de alio amne in Padusæ valle stagnanti. Ego contra tot Auctores non ausim retinere hoc loco *resinam*, Græca præsertim origine spectata, quæ primam longā requirit; vti & P Cauallius in Ianua Musarum.

RHÆTI. Strabo l. 4. & 7. habet ῥαιτοι, vel ῥαιτοί, & Ptolemæus l. 2. & 8. in tabula 5. ῥαιτία: Igitur scribendum *Rhæti*, & *Rhætia* prima producta, quod seruauit Horatius lib. 4. ode 4.

Videre Rhæti bella sub alpibus.

Et ibidem ode 14.

commisit immanesque Rhætos.

Et Ouidius apud Smetium.

Rhætica nunc præbent Thraciaque armamentum.

Et Claudianus de bello Getico.

Prominet Hercynia confines Rhætia sylua.

Ergo versum illum eiusdē Claudiani apud Smetium.

Quæ sæuis obiecta Rhetis, & Saxonæ frenat.

corrigendum puto, ac reponendum *Getis*.

RVGIO. Primam corripuit Vaninus versu aliàs 17255. sed produxit eandem Io. Rauisius Textor versu aliàs 16226. pariterque in rugitu bis produxit Mantuanus, versu item apud nos 19185. & 19186. neutri sunt Poetæ primæ classis: ex antiquis Auctor Philomelæ nos dubios reliquit versu aliàs 8233. cum facta synæresi *rugiunt* fieri possit spondeus: si analogiam spectes *mugitus*, & *vagitus* primam longā habent, & etymon fauet, si *rugitus* est à *rugis*, quas contrahit Leo in faucibus, & gutture dum rugit: Hæc tamen remota valde sunt, nec vlla necessitas cogit nos ad illam synæresim: Ego licet propendeam in Mantuanum, & Textorem; corripientibus tamen non ausim nigrū infigere *theta*.

SALOMON. In veteri Testamento habetur σαλωμών, vt 2. Regum c. 5. & alibi passim, prima sola Hebræis breui. At in nouo Testamento habetur in recto casu σαλομών, ita Matthæi 1. & 6. Lucæ 12. & Actorum 7. sed in genitiuo σαλομῶνος Matth. 12. Lucæ 11. Actorum 3. & 5. at σολομῶντος Ioannis 10. Quapropter secunda communis est. Exempla vide in primo Indice in *Salomon*, & *Salomoniacus*.

SANDALIVM. Vossius l. 2. Gramm. c. 38. & P. Ludouicus Cauallius in Ianua Musarum putant secundam semper breuem; & in illo carmine siue Virgilij, siue Pedonis Albinouani.

Argentata tuos etiam sandalia talos.

Legunt cum Scaligero *talaria talos*, inconcinna vtiq; cachophonia: Addit Cauallius ex Terentio Eunucho Act. 5. Scen. 7. versum vt putat trochaicum tetrametrum catalecticū, in quo putat *Sandali* esse Dactylum.

Vtinam tibi commitigari videam sandalio caput.

Sed potest ille versus esse Comicus Iambicus, qui vt docui de Regulis horum versuum admittit Anapæstum, Creticum, & Dactylum dempto vltimo pede, qui est Iambus: possumus ergo sic metiri, vt 1. & 2. loco sit Anapæstus, tertio Creticus, quarto Dactylus, quinto Spondeus, sexto Creticus, septimo Iambicus: vel synæresi facta Sandalium sit trisyllabum. Et contra opponi potest Iambicum illud Sexti Turpilij, in quo secunda videtur producta.

Sandalio innixa digitis primoribus.

Est enim pes primus, & secūdus spōdeus, *sandalio in-*

tertius dactylus *nixa di*, quartus iambus *gitis*, quintus spondeus *primo*, & sextus iambus *ribus*. Accedit analogia reliquorum in *ale*, vel *alia*, quorum A ante L est longum, vt in substantiuis *cubitalia, ceruicalia, digitalia, femoralia, funalia, focalia*. Quibus spectatis, non vsquequaq; improbabile puto secundam in *Sandalio* produci posse. Sed Actorum 12. habemus σανδάλια, pro caligis S. Petri; quare, cũ sit nomen Græcum, & α ante λ in antepenultimis syllabis corripiatur, puto corripi etiam posse.

SENONES. Poetæ Latini corripiunt omnes eas syllabas, ita Lucanus, Iuuenalis, Silius: At Græci variè scribunt: Polybius σήνωνες; Strabo l. 4. & 5. σένωνες. Quos vero Stephanus Byzantinus vocat σένωνες, eos ait esse oriundos ex Galatias. *Sena* vero idest Senogallia priorem longam habet, & Græcè est σῆνα.

SERA. Substantiuum primam breuem habet apud Ouidium sępissime, apud Iuuenalem, Martialem, & alios. Vnus Silius l. 13 produxit illis versibus.

Infandum, excludunt socios, tum cardine verso
Obnixi torquent obices munimina sera
Acrius hoc instant Itali, clautosque fatigant,
Et ni cæca sinu terras mox conderet atro
Perfracta, rabido patuissent milite porta.

Frustra igitur P. Cauallius in Ianua Musarum cum P. Labbeo, pro *munimina sera*, substituit *munimina sera*, hoc est tarda: non enim tarda fuere, sed ea nocte profuere Capuanis, nec potuere perfringi à milite, quantumuis rabido. Porrò *munimina sera*, retinent omnes codices, & ita legunt Smetius, atque Quintianus Stoa Epographe 6. cap. 2. Igitur priorem libentius corripuerim, sed producentem non stomachabor.

SIGNVM. Quintianus Stoa Epographe 6. cap. 2. censent priorem esse communẽ, tum quia in diminutiuo *sigillum* primã corripit, tum ob auctoritatem Lucret. l. 5.

Nil tamen esse signi mistas potuisse creari.

Sed in Lucretio nullũ antecedens, aut subsequens est verbum, quod requirat illud infinitũ *esse*, sic .n. canit.

Nam quod multa fuere in terris semina rerum
Tempore quo primum tellus animalia fudit:
Nil tamen est signi mixtas potuisse creari
Inter se pecudes, compactaque membra animantum
Propterea, quia quæ de terra nunc quoque abundant
Herbarum genera, ac fruges, arbustaque læta
Non tamen inter se possint complexa creari.

Nil

Nil igitur suffragatur Lucretius, & cum signū non sit Græcolatinum vocabulum, nec in merè Latinis soleat liquescere N post G, nō ausim primam hic corripere.

SIQVIDEM. Non est controuersum, quin coniunctim scribendum sit, & corripiendæ primæ, quando significat *etenim*, vel *quoniam*; sed quidam contendunt seiungi debere, quando *dubitandi*, aut *limitandi* sensum habet, ac perinde significat, ac *si tamen*, vel *dummodo*. Cæterum in hoc quoq; sensu coniunctim scribendum, esseque compositum, ac proinde corripi primam affirmat Manutius in sua ortographia, & affert Ouidianum illum versum.

Quæ mihi ventura est, siquidem est ventura senectus.

Vbi Poeta non affirmatiuè, sed dubitatiuè de suæ ætatis prorogatione loquitur. Posset & addi versus Terentij in Eunucho.

Siquidem me amaret, tum istuc prodiisset Gnatho.

Sed ibi *Siquidem*, tam potest esse Anapæstus, quàm Creticus, saluis Iambici Comici legibus. Pro priori autem sensu, qui magis obuius est, & pro breuitate primæ syllabæ, vi compositionis, vide versus 1676. & alios in Prosodia veteri.

STIPENDIVM. Primam correpta vsurparunt Sidonius, Sulpicius, & Lupercus, versibus alias 14995. 15366. 22860. nec inscitè, cum teste Festo, & Vlpiano, *stipendium* dictum sit à *stipe*, cuius prior breuis. At quia Catullus versu apud nos 1455. primā produxit, Gerardus Vossius l.2 Gram.c.17. existimant id factū ob crasim, ex *stipependio* factam, & inde contractum *stipendium*.

SVFFRAGOR, & SVFFRAGIVM. Secundam in vtroque vocabulo corripuere S. Paulinus in Epistola ad Cytherium, & in Panegirico, vti & Prudentius in Trochaico, quorum aliàs versus sunt 14605. 14606. & 23926. sed malim producere, quia produxere in *suffragor* Virgilius, & Manilius versibus aliàs 8990. & 22922. in *suffragia* autem Horatius lib. 1. Epist. 19. l. 2. Ep. 2. Iuuenalis Sat. 8. Silius lib. 8. Statius, Serenus, & Honorerus, quorum versus in nostra collectione sunt 724. 1018. 2752. est autem *suffragor*, non à *frango*, sed à verbo obsoleto *fragor*, *fragaris*, ait Antonius Nebrissensis, quod erat auxiliari, ex Festo, & Vocabulario Iuris.

SYCOMORVS. Prima longa est, quia à Græco σύκη, & σῦκον, nempe à ficu; secunda verò breuis, quia scribitur per omicron, de tertia, seu penultima lis est. P. Ludo-

uicus

uiceus Cauallius in Ianua Musarum, cum P. Labbeo censet ita ancipitem esse, vt melius saltem in sacris producatur, eo quod Lucæ 19. scribatur συκομωρέαν & iuxta S. Gregorium 27. Moral. cap 27. *Sycomorus*, dicta sit quod sit *ficus fatua*, fatuus autem Græcè dicatur μωρὸς per omega; denique quia esto concedatur dicta fuisse ex *ficu*, & *moro*, iuxta illum Georgij Æmylij in festo dedic. templi Sycomorum sic describentis dum de Zacchæo loquitur.

Præcurrens igitur, ramos conscendit in alta
Arboris, à ficu, & moro cognomen habentis.

Morus autem arbor apud Latinos primam producit, vt in Indice primo ostēdimus, sicut & *morum* fructus. Ego vero existimo non minus rectè corripi posse, quā produci; & produci quidem tum ob causas prædictas, tum quia vt adnotauit Io. Bodæus Stapel in l. 4. Theophrasti pag. 401 nomen *mori* à Græco μαυρὸν, quod nigrum significat, facta contractione, aut crasi deductū videtur: esto ibidem assentiatur à Romanis potius ad Græcos manasse. Corripi autem posse nihilominus censeo, non tam quod Morus arbor dicta sit à *mora*, eo quod tardissimè arborū germinet, vt quædam Ficus, ideoque indicium tutissimum sit æstatis, iuxta Christi Domini dictum Matth. 24. & Plinium l. 16. c. 25. & l. 18. c. 27. sed quia *morus* arbor, quondam συκάμινα postea à Græcis μορέα dicta est, & fructus *morum*, μόρον, per Omicron, siue fructus esset Ruborum, siue arboris ficui similis, ita scribunt Theophrastus l. 4. Dioscorides l. 1. c. 181. Galenus l. de aliment. facultat. c. 2. l. 3. de locis c. 18. & l. 5. c. 9. Paulus Ægineta l. 7. c. 18. & Pollux l. 6 c. 9. hinc etiam syrupus qui conficitur ex moro fructu vocatur à Galeno, & Ægineta supra διὰ μόρον. Sed & Poetæ Græci sic scribunt, & corripiunt Æschylus, & Sophocles in Iambicis versibus, quos recitat Bodæus, Æschylus quidem.

λευκοῖς τε γὰρ μόροισι, καὶ μελαγχίμοις.
Candidus enim moris, & succi nigri.

Sophocles autem:

ἔπειτα φοινίξαντα στρογγύλον μόρον.
Deinde puniceum, ac teres morum.

Sed & *Sycomorus* à Græcis vocatur συκόμορος, per omicron, ita scribunt Dioscorides l. 1. c. 182. Strabo l. 17. Galenus l. 2. de alim. facult. Athenæus l. 2. Quam etiā συκάμινον αἰγυπτίαν, *Morum Ægyptiam* multi dixere, & Celsus in verso nomine l 3. c. 18. *Moresycum* de qua plura

plura Budæus ad lib.4. Theophrasti pag.289. & 400 & Rhodiginus l. 18. c. 9. Suidas tamen habet συκομόρρος, sed Æmilius Portus eius scholiastes, ac expurgator, putat legendum συκόμορος.

SYRACVSÆ, & SYRACVSIVS, licet secunda varietur, plerique tamen, ac melius producunt. Sed quomodo tertiam corripuerit Virgilius, Ouidius, Silius, Ausonius ambigitur, sic enim Hexametros versibus aliàs 3277. 8128. 14403. 22959. 22960.

Virgil. Ecl. 6.

Prima Syracusio dignata est ludere versu.

Ouid. in Ibin.

Vtque Syracusio perstricta fauca poetæ.

Ouid. 4. Pont.

Ille Syracusia modo formidatus in vrbe.

Auson Idyll.

Clara Syracusij traxit certamina belli.

Nã Syracusæ Græcè συρακȣ̃σαι, tertia duplici de causa longa, nempe ob diphthongum ȣ, & ob accentum circumflexum, qui per se index est productionis. Quidã putant in prædictis versibus ope synæresis factum quadrisyllabum. Sed in Ausonij pluribus exemplaribus habetur *Syracosij*, & Epitaphio Epicharmi apud Laertium habetur versus, qui apud nos erat 17843.

Serta Syracosium Sophia retulisse Epicharmum.

Vbi Græcè est genitiuus pluralis συρακοσίων, & apud Stephanum Byzantinum stagnum vnde Syracusis nomen inditum est dicitur non solum συρακώ, sed etiam συρακοσιὺς per *omicron*, & vt testatur Cluuerius l. 1. Siciliæ Antiquæ c. 12. in nummis antiquis constanter Syracusani, dialecto propria nominantur scribunturq; συρακόσιοι, & Pindarus Oda 2. Pythiorum appellauit μεγαλοπόλιες συρακόσαι, idest *Grandiurbes Syracusas*. Quare etiam si latinè scribatur per V, potest tamen substitui pro omicron Græco, & vtrobiq; corripi: esto produci etiam queat, quia Strabo l.6. Ptolemæus, Plutarchus, Diodorus, Siculus, Suidas, & alij multi scribant per *omega* συρακώσιοι, idest Syracusanos, & per ȣ Syracusas; Quintianus autem Stoa Epographe 6. c. 2. subscribit scribentibus *Syracosios*.

TABLINVM. Primam communem habet, vi mutæ, & liquidæ, cum τα, sit natura sua breuis, quippe à *tabulis* dictũ, fuit enim *tablinum*, idem ac *tabularium*, id est locus in quo asseruabãtur tabulæ rationum publicarum, & monimenta rerum gestarum, vt docent Fe-

ftus, Plinius lib. 35. cap. 2. & Apuleius L. vltimo floridorum.

TELONIVM. Quando significat portorium, seu vectigal, vel officium Publicanorum, illud exigentiū scribitur τελώνιον, & hoc modo habetur Matthæi 9. Marci 2. Lucæ 5. habetq; solam secundam longam, sed cum significat locū ipsum in quo sedet τελώνης, seu τελώνος, ideſt publicanus; scribitur τελωνεῖον, penultima cum diphthongo circumflexo, & longa: ita distinguit Suidas in Vocabulario, quare rectè penultimam in *Teloneo* produxit Scaliger, versu apud nos olim 16462.

TEMETVM, & TEMVLENTVS. Satis de vtroque dictum supra hoc ipso in Indice occasione vocabuli ABSTEMIVS.

TETHYS, & THETIS. Licet vtraque sumatur à Poetis pro mari, vel mole aquæ marinæ: reipsa tamen non sunt idem; nam TETHYS secundo *Tau* aspirato, & cum Ypsilon Græcè τηθυς primam producit, & tunc significat vxorem Oceani, & Cæli, Terræque filiam, ita illam vsurpāt Hesiodus in Theogonia, & alij, quorum carmina recitat Natalis Comes l. 8. Mythologiæ c. 2. omnes illi scribunt τηθυς, & primam longam faciunt, quod constanter fecere Latini quoque, tum in recto Tethys, versibus Indice primo indicatis, tum in genitiuo *Thetyos*, tum in datiuo, vel contractè *Tethy*, tum in accusatiuo *Tethyn*, vel *Tethya*, tum in vocatiuo *Thety*, & in ablatiuo *Thetye*.

Quando autem significat vxorem Pelei, quæ fuit filia, vel Chironis, vt vult Epicharmus in nuptijs Hebes, vel Nerei, vt vult Homerus in hymno Apollinis. Anaxandrides Rhodius, & Euripides in Iphigenia Aulidis, tunc scribitur τέθις priore Tau aspirato, prima per ε, & vltima per iota, habetq; primam breuem, ita vsurpant illam dicti Poetę apud eundem Natalem Comitem. Idemque præstitum à Latinis Poetis, tum in recto casu, versibus Indice primo indicatis, tum in genitiuo *Thetidos*, tum in datiuo, *Thetidi*, tum in accusatiuo *Thetin*, tum in vocatiuo *Theti*. Cauendumq; à mendoso Senecæ Iambico in Troade.

Placidumque numen æquoris tumidi Tethys.

Scribendumque *Thetis*, nam & hæc Æquoris numen fuit Ethnicis, & placidius quam *Tethys*.

THYMIAMA, THYMIAMATIS, secunda breui, tertia longa eſt; De prima dubitari poteſt, quia Baptista Mantuanus in hymno S. Alberti illam corripuit in-

Sap-

quia N, post G, in merè Latinis non liquescit.

TIGRES. Ouidius 15. Metamorph. vltimam produxit eo versu.

Armeniaque tigres, iracundique leones.

Sed corripuit in Epistola Ariadnæ, non Penelopes, vt posui versu 6601.

Quis scit an hac sæuas insula tigres habet?

At Græcè accusatiuus pluralis est τίγριδας, & τίγριας, & contractè τιγρῦς, vltima longa. P. Cauallus in Ianua Musarum, & ante illum Vossius lib. 2. cap. 31. ait vltimam ab Ouidio licenter correptam, & ab aliquibus duriusculè reponi.

Quis scit an hac sæuas Tigridas insula habet?

Sed fortè Ouidius Ionicæ dialecti priuilegio diphthongum ει abiecto iota mutauit in ε, breue, vt fit in χέραγρα pro χείραγρα, & in Λέανδρος pro Λείανδρος. Immo Attici quoque, & Dores, & Æoles pro ει, ponebant ε aliquando, vt asserit Franciscus Vergara lib. 5. Gram. Græcæ cap. 3.

TILIA. Prima breui est ter apud Virgilium, & semel apud Ouidium 8. Metamorph. at à Sereno Sammonico producta videtur illo versu.

Fraxinea in flammis qua fundit tilia succum.

Ideoque Quintianus Stoa communem putat, eamque lectionē retinet Smetius, sed in editione Cæsarij, & Petri Pythoei, habetur. *Quem fundit talea succum.* neque enim tilia fraxinea est, & ita legendum putant Vossius lib. 2. Grammat. cap. 39. & Cauallus in Ianua Musarum.

TOLETVM. Priorem longam habet, cum Græcè sit τώλητον, & tamen Gratius Poeta boni sæculi corripuit: vide in priore tomo versus 8443. & 15992.

TORCVLAR. Secunda correpta est apud Honterum versu mihi 15487. sicut *torculum*, apud Filloliuin versu aliàs 16763. Quare versum illum Fortunati.

Calcaturus erat qui torcularia solus.

Quidam sic tuentur, vt dicant id necessitate metrica factum: Quidam legunt.

Calcaturus erat qui solus torcular altum.

Priscianus, & Beda apud Vossium lib. 2. Gram. c. 23. producendam censent secundam, vt in *lacunar*, at ipse Vossius dicit corripiendam, quia sicut à *specio* est *speculum*, & *specular* secunda breui, ita à *torqueo*, *torcular* & *torculum*, quod & opinatur Ianus Laurembergius in suo antiquario, verbo torculum. Confirmat id Vossius

ex

ex Scazonte Iul. j Cæſ. Scaligeri in Ata.

Scapos, labella, torcula, aclidem, ſcalmos.

TRACHEA, ſeu TRACHIA. Ionicè τρήχεια, primam, & ſecundam producit, ſed Æolicè verſo η in α breue, corripi poteſt prima, vt fecit Dedekindus, de quo vide verſum 2907. & confer cum dictis ſupra de prima ſyllab. in MATER.

TREVIRI. Ptolemæo τρηβιροί. Straboni τρηουίροι. Dioni lib. 40. ſic & τρηούιροι, melius ergo prima longa cum Lucano, & Auſonio verſu alias 9498. 15403. quam breuis in Fortunato verſu 15319.

TRITVRO, TRITVRAS. Scripſit ad me quidam Latinæ linguæ profeſſor ſuper hoc verbo, ſuſpicatus formatum eſſe à *tri*, & *tero*; quaſi bis terque tero: cui reſpondi formari à *triturus*, vnde & *tritura*, ac proinde ſecundam producendam, ſicut in triturus Columella, & in tritura. Virgilius 1. Georg.

Tum tritura ſolum ſplendentia ſarcula ſumat

Magnaque cum magno veniet tritura calore.

Quod poſtea inueni aſſertum à Voſſio l. 2. Grammat. cap. 17. vbi carpit errorem vulgi, immo & Vetuſti interpretis in c. 28. & 41. Eſaiæ, corripientis ſecundam in *trituro, trituras*.

TROIA. Subſtantiuum, paſſim vſurpatur à Virgilio, vt diſſyllabum priore longa, raro autem, vt triſſyllabum, & tunc eam facit dactylum, vt verſu apud nos 4518.

Troia crinito conceptum flumine mater.

Sed ibi eſt potius adiectiuum matris. Subſtantiuè tamen, & pro triſſyllabo non ſolum vſurpat Seneca in Troade, ſed etiã bis corripit Sapphicis illis verſibus.

Miſit infeſtos Troia ruinis,

Dum luem tantam Troia atque Achiuis.

Deſpauterius, & ante illum Seruius dicunt Troiam, ſubſtantiuè acceptam raro triſyllabum fieri, & corripi, quibus non diſſentit Priſcianus Nebriſſenſis, & Ioann. à Planis, & Quintianus Stoa: nec mirum quia licet dicta ſit à Troe, qui Græcè τρῶς, τρωός, vnde Troes, Troicus, & Troades prima longa propter ω in τρῶες, τρωικῶς, τρωάδες, ipſa tamen Troia ſcribitur per omicron cum iota ſic τροία, vt eſt apud Strabonẽ lib. 8. Stephanum Byzantinum, & Suidam, qui quidem Suidas, ait τροίην κατὰ διάλυσιν τροΐαν, ideſt *Troiam per dialyſim Troiam*, quare vi diæreſis, ſeu dialyſis reſoluitur diphthongus *οι*, in duas breues vocales, vt fecit Seneca. Quando autẽ non reſoluitur, prior lon-

ga est non propter I, inter duas vocales vim consonātis habentem, vt putauit Quintianus Stoa 6. Epographe cap. 2. & quidam alij Grammatici. Græci enim id non seruant, sed vt adnotauit Gretserus noster l. 1. Instit. Linguæ Græcæ cap. de diphthongis annot. 6. Erythræus in Indice Virgiliano, & Cauallius in Ianua Musarum; quia in prima manet vis diphthongi Græcæ οι, esto non scribatur per oe, vt aliàs fit de hac diphthongo: Græcè enim est τροία, & τροίη, non solum apud prædictos historicos, sed etiam apud Poetas Græcos Homerum, Hesiodum, Sophoclem, Q. Calabrum, quorum carmina recitat Conradus Dinnerus in Epithetis Græcis. Hinc fit vt si quis quædam Virgilij carmina metiri velit resoluendo *Troiam* in tres syllabas, non possit euidenter erroris reuinci; vt sunt versus apud nos 23777. 23778. olim.

TVRONES. Galliæ populi, prioribus correptis reperitur tum apud Fortunatum lib. 2. cap. 11. tum apud Sidonium paneg. 2. carm. 5. vt legitur in editionibus correctis Sirmondi, & Sauatonis, notatq; P. Labbeus contra Smetij Appendicem Sidonium carpentis, & ex eo Cauallius in Ianua Musarum, vbi addit à Cellotio in Mauritiade semper corripi; & apud Lucanum lib. 1. versu 417. legendum *Tricoros*, non *Turones*. Sed ego in toto illo Lucani catalogo à versu 393. vsque ad versum 466. nusquam reperio *Turones*, sed versu 440. *Tricoros* sic.

Instabiles Tricoros circumsita castra coercet.

Vbi esto legeretur *Turones*, esset tamen contra Smetium. Porro versus Sidonij, & Fortunati in Indice notauimus numero 14999. & 23781. aliàs.

TVTICANVS. Prima, & tertia longa, secunda breui. vt docet Ouidius ipse 4. de Ponto el. 2. vbi tamen necessitate metrica adductus aliter timidè vsurpat eius versus retuli in 2. Parte Prosodiæ Regula 9. propè finem.

VAS, VADIS, non est euidens producendum esse, cum incrementi prima breuis sit ex primo Indice verbo *vades dium*, & vltima in *anas atis* breuis sit, & consueuerint Latini in similibus vltimam corripere si incremento breuis sit, sic & in finitis in es.

VIETVS. Trisyllabum secunda longa, vtpote à verbo *vieo, vies, viaui, vietum*, quo est ad alligare, ea quæ sine *vi* sunt, hinc fiunt *vimina*, & vietores, vide Varronem lib. 1. de Analogia, & lib. 1. de Re Rustica c. 59.

59. ac Ianum Laurembergium in antiquario. Rectè igitur produxere Plautus, Terentius, Lucretius, & Prudentius versibus apud nos 247. 395. 953. 13518. quamuis idem Prudentius producat etiam in hymno ieiunantium, & l. 1. contra Symmachum hexametrum sic terminans, & *turbida ab ore vieto*. Nec obstat illud Horatij Od. 12. Epodon.

Qui sudor vietis, & quam malus vndique membris,

Syneresi enim facta, potest in dissyllabo *vietis* retineri consuetus modulus quantitatis: esto Quintianus Stoa Epographe 6. cap. 3. concedat secundam esse communem.

VLVLO: Prioribus breuibus vsurpatur à plerisq; Poetis, vt docui in Indice Primo, notatis versibus 2381. 5698. 6407. 8229. At Boetius lib. 4. carm. 3. produxisse videtur eo carmine Glyconio.

Flere dum parat vlulat,

In quo toto carmine nunquam ponit anapæstum, ideoque inde excusari nequit, nisi ab obliuione, aut necessitate.

VNCINVS. Penultimam habere breuem contra Gauantum affirmant PP. Labbeus, & Cauallius in Ianua Musarum, & merito nam apud Græcos ὄγκινος dactylus est, vt ex lib. 2. Anthologiæ colligitur, vide versum aliàs 17931.

VNIVERSVS. Secunda ob regulam compositorum rectè corripitur à Martiali, & Gazeo, versibus in meo Indice Primo 17087. & 17101. illud autem Lucretij lib. 4. carmen quod adducit Smetius.

Sed magis vniuersum fierique perinde videmus.

Legendum, *Sed magis vniuersum*, syncope facta, vt habeo versu 23299. aliter enim carmen nullo modo consistit, ne si legas quidem *mage*.




IN-

INDEX TERTIVS ÆQVIVOCORVM, VEL QVASI ÆQVIVOCORVM

Ob diuersam Significationem, quantitatem Variantium.

PROEMIVM.



